

TRAGTATUS DOGMATICUS

DE EUCHARISTIA

TOM. II. DE SACRIFICIO

EMMANUEL DORONZO, O.M.I.

s.T. rfr ph.d.

Lector Theologiae Dogmaticae
In Catholica Universitate Americae
Washington!!, D. C.

EX TYPOGRAPHY BRUCE

Milwaukee

Imprimi potest: William A Robbins, Superior Provincialis
Nihil obstat: Joseph C. Fenton, Censor Deputatus
Imprimatur: Φ Joannes M. McNamara, D.D., Episcopus Eumcniae,
Administrator Archidiececesis Baltimorensis et Washingtoniensis

September 5, 1947

14608

Copyright, 1948
The Bruce Publishing Company
Printed in the United States of America

PATRI HILARIO BALMES, O.M.I.

Ex Memori Animo

“Sacramentum Memoriae” (*Augustinus*, Contra Faustum. 20).

“Recolitur memoria passionis eius”
(*S. Thomas*, Opusc. 30).

SEGRETERIA DI STATO

DI

SUA SANTITÀ

Ex Aedibus Vaticanis
die 10 Junii 1947

Reverende Pater,

Augustus Pontifex gemina de causa grata accepta habuit duo volumina, recens Ei abs te muneri data, quibus inscriptio alteri “De sacramentis in genere” et alteri “De baptismo et confirmatione.”

Sanctitas Sua enim inde perspexit, luculenta testificatione declaratam, pietatem et obsequium, quibus in exemplum Petri Sedem excolis, et ubertatem perspicuitatemque doctrinae manifesto vidit, qua rem theologiam ad sacramenta spectantiam fuse pertractasti.

Sanctitas Sua gratulatur plurimum tibi, quod curas laboresque tuos in hoc insigne opus contuleris, atque omnia facit, ut pergas, divite vena. Ecclesiae vera et mysteria lucido calamo inlustrare.

Hoc autem in auspiciis tibi supernae benignitatis munera invocat inque horum pignus Apostolicam Benedictionem impertit.

Interea qua par est observantia me profiteor

tibi addictissimum

J. B. M o n t i n i
Subst.

Reverendo Patri
Emmanueli Doronzo O.M.I.
Professori in Catholica
Universitate Studiorum
Washingtoniensi

JOANNIS T. MCNICHOLAS
ARCHIEPISCOPI CINCINNATENSIS
PONTIFICIAE STUDIORUM COMMISSIONIS PRAESIDIS
PRAEFATIO

Profecto Nobis licebit prooemium incohare huius libri illud afferendo Angelici Doctoris de venerabili altaris Sacramento: "O pretiosum et admirandum convivium, salutiferum et omni suavitate repletum! Quid enim hoc convivio pretiosius esse potest? . . . Quid hoc Sacramento mirabilius?" Namque Christus "in ultima cena, quando Pascha cum discipulis celebrato transiturus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacramentum instituit, tamquam passionis suae memoriale perenne, figurarum veterum impletivum, miraculorum ab ipso factorum maximum; et de sua contristatis absentia solacium singulare" (Opusc. 57). Quo quid potest esse pulchrius vel sublimius? Quae cum ita sint, haud mirum est iis qui sacrae theologiae operam dederunt, ab ipso initio Ecclesiae nascentis usque ad hodiernum diem, semper solemne fuisse omnes vires atque omne ingenium suum adhibere in hoc augustissimo Sacramento exponendo et uberius illustrando. Quod etiam felici eventu nuper fecit D. Emmanuel Doronzo, O.M.I., auctor huius aurei libri, cui titulus "De Eucharistia: tomus ii, De Sacrificio."

Hoc in volumine quod quartum in serie de re sacramentali a docto auctore conscripta ex sollertibus Bruce typis nunc demum in lucem prodit, ipse amplissimum praebet excursus theologicum de excellentissimo Eucharistiae sacrificio.

Etenim aequilibrium illud scientificum, ut dicitur, inter positivam et speculativam hodiernae theologiae partes, quod auctor noster in praefatione prioris operis "De Sacramentis in genere" peropportune auspicabatur, in hoc quoque tractatu non mediocriter eum assecutum esse manifeste constabit vel celeri digito pervolutanti fusas expositiones earum quae in hac re agitari solent quaestionum celebriorum, utpote, de ipsa veritate Missae sacrificii adversus Protestantes et hodiernos Rationalistas, de natura et indole sacrificii in genere apud doctores scholasticos disputata, de ipsa essentia sacrificii Missae, quae quidem ultima quaestio recte vocatur "crux modernorum theologorum."

In his autem aliisque quaestionibus tractandis, Divi Thomas Aquinatis, Ducis studiorum et communis Ecclesiae Doctoris, “rationem, doctrinam, et principia” auctor fideliter prosequitur, ecclesiastici ipsius magisterii dictamini obtemperando.

Ob uniformem ac constantem expositionis methodum dilucidumque rerum ordinem necnon ob copiosum hodiernisque lectoribus facilem sermonem, hoc opus, ceteroquin praestantissimum, omnibus sacrae scientiae cultoribus ultro se ipsum commendabit, iis praesertim profuturum qui in Universitatibus et Seminariis disciplinae theologicae addiscendae vel tradendae fideliter ac strenue incumbunt.

Denique sacerdotibus omnibus hunc optimum librum valde commendamus, cum circa adorabile illud Eucharistiae Sacramentum tota fere vita sacerdotalis atque operatio directe vel indirecte versetur, veluti circa centrum et finem totius religionis Christianae. Nam si sacerdotem non orantem vix quisquam animo concipere poterit, sacerdotem non litantem omnino absonum habebit. Neque enim umquam vere homo Dei et alter Christus erit sacerdos, quin in primis hominem Eucharisticum se praebeat et tota mentis acie se dedat studio et amori illius Fidei Mysteriorum, in quo Christus ipse manet et operatur.

Quare auctori clarissimo ex animi sententia gratulamur eique optamus ut Deus Optimus Maximus opus ipsum auctoremque operis copiose benedicat.

ψ Joannes T. McNicholas
Archiepiscopus Cincinnatiensis

Cincinnati, Die 7 Novembris 1947

ORDO PARTIUM

DE EUCHARISTIA

(Continuatio Ordinis praecedentis voluminis)

Tom. II. De Sacrificio

*CAPUT VII. DE RITU EUCHARISTICO SEU
DE SACRIFICIO MISSAE*

INTRODUCTIO	781-786
Art. 43. Utrum sacrificium in genere convenienter definiatur: signum interioris agnitionis supremi Dei domini, consistens in oblatione rei sensibilis per aliquam mutationem destructivam, facta Deo in eius honorem a legitimo ministro publice deputato.	786-827
Art. 44. Utrum Missa sit verum et proprie dictum sacrificium N.L.	827-917
Art. 45. Utrum Missa sit sacrificium essentialiter relativum, seu repraesentativum sacrificii crucis.	917-928
Art. 46. Utrum Missa consistat essentialiter in duplici consecratione.	928-967
Art. 47. Utrum sacrificium Missae consistat formaliter in ipsa oblatione atque immolatione crucis, prout repraesentative reiterata in mystica mactatione ejusdem victimae, per consecrationem peracta.	967-1033
Art. 48. Utrum Christus sit principalis et formalis offerens sacrificii eucharistici, sacerdos vero ut repraesentans Ecclesiam sit secundarius et instrumentalis offerens, Ecclesia autem et fideles sint offerentes mediati per sacerdotem.	1033-1049
Art. 49. Utrum sacrificium eucharisticum habeat quadruplicem finem, latreuticum nempe, eucharisticum, impetratorium et propitiatorium.	1049-1061

ORDO PARTIUM

Ar t. 50. Utrum propria et intrinseca efficacia sacrificii Missae proveniat unice ex parte Christi, seu ex valore victimae oblatae, ex dignitate principalis offerentis et ex dispositione interioris affectus quo ipse movetur.	1061 1064
Ar t. 51. Utrum sacrificium Missae habeat efficaciam ex opere operato et infallibiliter.	1064-1069
Ar t. 52. Utrum efficacia sacrificii Missae secundum se et in actu primo habeat valorem simpliciter infinitum, tum intensive tum extensive.	1069-1076
Ar t. 53. Utrum efficacia sacrificii Missae, in actu secundo et secundum eius applicationem, sit tum intensive tum extensive finita, idque ex sola ratione dispositionis subiecti.	1076-1100
Ar t. 54. Utrum fructus immediatus vel mediatu sacrificii Missae sit expiatio seu remissio peccati mortalis et venialis, satisfactio seu extinctio poenae temporalis, impetratio tum primae gratiae, tum augmenti gratiae, tum aliorum auxiliorum supernaturalium, tum temporalium quorumcumque bonorum.	1100-1106
Ar t. 55. Utrum efficacia impetratoria et propitiatoria sacrificii Missae sit applicabilis omnibus et solis vivis ac defunctis in statu ultimi termini nondum constitutis.	1106-1158
Ar t. 56. Utrum in Eucharistia ratio sacrificii et ratio sacramenti adaequate distinguantur ac perfecte copulentur in mirabili synthesis unius mysterii Corporis Christi.	1158-1162
Ar t. 57. Utrum convenienter assignentur caeremoniae et sacramentalia Eucharistiae in celebratione sacrificii Missae.	1162-1219

INDICES

Index Biblicus	Li]-[5]
Index Exegeticus	[6]-[8]
Index Thomisticus	[9]-[10]
Index Onomasticus	H1]-[20]
Index Analyticus	[21]-[47]

CAPUT VII

DE RITU EUCHARISTICO

SEU

DE SACRIFICIO MISSAE

INTRODUCTIO

1. *RATIO ET MOMENTUM CAPITIS.*

S. Thomas quaestioni 83, quae est de sacrificio Missae, aptissimum praefigit titulum: “*DE RITU HUIUS SACRAMENTI*”, ut inde ostendatur unitas formalis totius tractatus qui est de ipso sacramento Eucharistiae.

- ‡ Praeter communia manualia et generalia scripta theologica, confer sequentia opera:
Cajetanus, Tractatus 10us, De Missae sacrificio et ritu adversus Lutheranos (1531). in Opuscula omnia, t. 3, Augustae Taurinorum, 1582.
M. Bains, De sacrificio liber unus, Opera, Coloniae Agrippinae, t. 1, 1595.
Tanner, De ss. Missae sacrificio, Ingolstadii, 1620.
Becanus, De triplici sacrificio naturae, legis, gratiae, Lugduni. 1631. De triplici coena calvinistica, lutherana, catholica, Moguntiae, 1608.
.I. Bona, De sacrificio Missae, Romae, 1658.
Pasqualigo, De sacrificio N.L., Lugduni, 1662.
Benedictus XIV, De Missae sacrificio (Apud Migne, Theol. Cursus, t. 23).
De Condren, L'idée du sacerdoce et du sacrifice de Jésus-Christ, Parisiis, 1677.
Le Brun, Explication littéraire, historique et dogmatique des prières et des cérémonies de la Messe, Paris, 1716.
Stockl, Das Opfer nach seinem Wesen und nach seiner Geschichte, Mainz, 1861.
Thalhofer, Die Opferlehre des Hebraerbrüdes, Regensburg, 1870.
Stenrup, De sacrificio Eucharistiae, Oeniponte, 1889.
J. Schwane, Die eucharistische Opferhandlung, Freiburg, 1889.
.A. Vacant, Histoire de la conception du sacrifice de la messe dans l'Eglise latine. Lyon, 1894.
Probst, Die Abendlindische Messe von 5. bis 8. Jahrhundert. 1896
A. Franz, Die Messe im deutschen Mittelalter, Freiburg, 1901.
Many, Praelectiones de Missa, Parisiis, 1903.
IV. Giitzmann, Das eucharistische Opfer nach der Lehre der alteren Scholastik, Freiburg, 1901.
J. Bellord, The Notion of Sacrifice, in The Ecclesiastical Review. Philadelphia, 1805. t. 33, p. 1 sq. The Sacrifice of the New Law, ibid., p. 258 sq.
Semeria, La messa nella sua storia e nei suoi simboli, Genova, 1907.
.A. Huppertz, Über den Opferbegriff der drei ersten christlichen Jahrhunderten. in Der Katholik, 1908, t. 37, p. 434 sq.; 1909, t. 39, p. 126 sq., 188 sq.
Grimai, La sacerdoce et le sacrifice de N.S. Jésus-Christ, Paris. 1908.
Santer, Das hl. Messopfer, Paderborn, 1909.
E. Dorsch, Wieland, Renz, infra citandi, p. 839 sq.
J. E. Briser, Der Opfercharakter der Eucharistic, in Theolog. Quartalschrift. 1913, t. 95, p. 1 sq.

Ut enim dictum est in Introductione tractatus (p. 30), disputatio de sacrificio Missae non est considerata ut peculiaris tractatus, veluti materialiter appositus disputationi de sacramento Eucharistiae, sed ingreditur suo modo ipsam formalem considerationem sacramenti. Id namque est huic sacramento prorsus singulare ut non modo indirecte, quemadmodum cetera, sed etiam directe et essentialiter sit ritus, seu actus cultus, quatenus nempe ipsum sacramentum in fieri consistit in sacrificio.

Ex qua ratione manifestatur imprimis *mysterii eucharistici excellentia*, quippe quod cetera sacramenta sibi subicit non solum in ratione sacramenti, tanquam finis totius ordinis sacramentalis, sed maxime in ratione sacrificii, in quo tota religio colligitur et a quo tanquam a principali pendent omnes actus et signa religionis. Ostenditur praeterea *harmonia et unitas trium mysteriorum* quae in Eucharistia obserantur, quoniam sub iisdem symbolis idem Christus, realiter *praesens, sacramentatur et sacrificatur*, descendit ad homines in sacramentalem cibationem et ascendit ad Patrem in sacrificalem adorationem.

G. Peli, Jesu Opferhandlung in der Eucharistie, Passau, 1913.

E. Vendeur, La Sainte Messe, Maredsous, 1914.

G. Rauschen, Eucharist and Penance (Versio ex lingua germanica), St. Louis, Mo., 1913.

Lépicier, De sacrosancto sacrificio eucharistico, Romae, 1916.

O. Casei, Oblatio rationabilis, in Tiibinger theol. Quartalschrift, 1917-1918, p. 419; Die Liturgie als Mysterienfeier, Freiburg, 1923; Die Messopferlehre der Tradition, in Theol. und Glaube, 1931, p. 351 sqq.

J. Brinktrine, Der Messopferbegriff in den ersten zwei Jahrhunderten, Freiburg, 1918. Die hl. Messe in ihrem Werden und Wesen, Paderborn, 1931.

G. Simons, le sacrifice de la Loi nouvelle, Bruxelles, 1918.

Batiffol, Leçons sur la Messe, Paris, 1919.

N. Gühr, Das hl. Messopfer, dogmatisch, liturgisch und asketisch erklärt, Freiburg, 1919.

II. Lamiroy, De essentia SS. Missae sacrificii, Louvain, 1919.

J. Rivière, Un nouveau système sur l'essence du sacrifice de la messe, in Revue de Sciences religieuses, janv.-mars, 1921.

II. Fortescue, La Messe, étude sur la liturgie romaine (Versio A. Boudinhon), Paris, 1921.

E. Caronti, Il Sacrificio cristiano e la liturgia della Messa, Torino, 1923.

V. Bernardi, Il S. Sacrificio della Messa, Treviso, 1924.

4. MacDonald, The Sacrifice of the Mass in the Light of Scripture and Tradition, London-St. Louis, Mo., 1924. The Sacrifice of the New Law, in The Ecclesiastical Review, Dec. 1905.

J. Krainp, Die Opferanschauungen der römischen Messliturgie, Regensburg, 1924. Opfergedanke und Messliturgie, Regensburg, 1921. Zur Frage der Konsekrationstheorie, in Theol. Quartalschrift, 1923, p. 233 sqq.

A. Freericks, Das eucharistische opfer, Hildesheim, 1925.

J. B. Brosnan, The Sacrifice of the New Law, London, 1926.

F. Cabrol, La Messe, Paris, 1927.

4. Vonier, A key to the doctrine of the Eucharist, London, 1925.

De la Taille, Mystère de la foi suivie de quelques éclaircissements, Paris, 1924. A propos d'un livre sur la Cène, Romae, 1930.

Lepin, L'Idée du sacrifice de la Messe, d'après les théologiens depuis l'origine jusqu'à nos jours, Paris, 1926 (In hoc opere citantur 500 fere scriptores de sacrificio missae). L'idée du sacrifice dans la religion chrétienne principalement d'après le P. de Condren et M. Olier, Paris-Lyon, 1897. La messe et nous, Paris, 1937.

Tum S. Thomas tum ceteri theologi Concilio Tridentino antiquiores, qui ita copiose rationem sacramenti Eucharistiae exposuerunt ut vix quidquam posterioribus determinandum reliquerint, minus diffuse doctrinam sacrificii exposuerunt. Ad hanc vicissim, ratione protestanticae impugnationis, recentiorum theologorum acies peculiariter conversa est, ita ut multa de sacrificio Missae scripta ac disputata fuerint, tum sub aspectu positivo, ad defendendam ejus existentiam ex fontibus revelationis, tum sub aspectu dogmatico, ad illustrandam seu determinandam ejus essentiam et indolem sacrificalem.

Merito tamen dubitari potest num tot sententiae quae circa essentiam sacrificii Missae per quatuor fere saecula prolatae sunt et adhuc in dies multiplicantur, quidquam revera novum addiderint simplici doctrinae S. Thomae tum de relativa indole hujus sacrificii tum de ipsa ratione sacrificii in genere.

5. *THOMAS* in q. 83, supposita ut de fide existentia *sacrificii Missae*, unico ac brevi articulo (a. 1, infra cit., p. 926) determinat ejus essentiam, per quinque subinde articulos (a. 2-6) in explicationem ejus caeremoniarum se diffundens.

Ceterum S. Doctor de *sacrificio in genere* directe agit in proprio loco, i.e. in 2-2, ubi de virtute religionis. De ipso sacrificio est tota quaestio 85 (cf. textus infra cit., p. 789 sq. 793. 797); ad idem refertur etiam q. 86, a. 1 (infra cit., p. 798), ubi agitur de oblatione seu de genere cui pertinet sacrificium.

Rohner, Messopfer-Kreuzesopfer, in Divus Thomas, Freiburg, 1930, p. 3 sqq. 145 sqq.
IF. Goossens, Les origines de l'Eucharistie sacrement et sacrifice, Paris, 1931.

E. Masure, Le sacrifice du chef, Paris, 1932.

V. Héris, Le Mystère du Christ, Paris, 1927, p. 332-368. *Item*, Le Mystère de l'Eucharistie, Editions Siloé, 1943.

Dictionnaire de Théologie Catholique, art. Messe (*Ruch, Gaudel, Rivière, Michel*).

Dictionnaire Apologétique de la foi catholique, art. Eucharistie (*J. Lebreton*), col. 1563 sqq.

Inter acatholicos:

IF. B. Frankland, The Holy Eucharist, London, 1902.

A". G. Goetz, Die Abendmahlsfrage, Leipzig, 1904, p. 185.

F. Loojs, Leitfaden zum Studium der Dogmengeschichte, Halle, 1906. Abendmahl, in *Protest. Realencyclopädie*, t. 1.

F. Kattenbush, art. Messe, in *Protest. Realencyclopädie*, t. 12.

Ch. Gore, Dissertations on subjects connected with the Incarnation, 1907. The Body of Christ, London, 1902.

A. Harnack, Lehrbuch der Dogmengeschichte, Freiburg, 1910.

R. Scobberg, Lehrbuch der Dogmengeschichte, Leipzig, 1913.

B. B. Warfield, Christ our sacrifice, in *Princeton Theological Review*, t. 15, p. 385-422 (1917).

A. Loisy, Essai historique sur le sacrifice, Paris, 1920.

Wetter, Altchristliche Liturgien 1. Das christliche Mysterium. Gottingen; 2. Das christliche Opfer, 1921-1922.

H. Lietzmann, Messe und Herrenmahl, Bonn, 1926.

F. Gavin, The catholic idea of the Eucharist in the first four centuries, in *ephemeride Londinensi "Theology"*, Oct.-Nov., 1930.

Transeunter etiam in aliis locis tradit plura quae ad hanc materiam referuntur:

De relativa indole sacrificii Missae: 3 p., q. 73, a. 4, corp, et ad 3; q. 79, a. 7; q. 83, a. 1, corp, et ad 1-2 (cf. infra, art. 45, p. 926).

De consecratione ut essentia sacrificii Missae: 3 p., q. 76, a. 2, ad 1; q. 80, a. 12, ad 3; q. 82, a. 10, corp, et ad 1; In 4 Sent., dist. 11, q. 2, a. 1; In 1 Cor. 11, lect. 5 (cf. ibid., p. 927); 3 p., q. 74, a. 1; q. 83, a. 2, ad 2.

De sacrificio in genere: 3 p., q. 48, a. 3 (cf. infra, p. 798).

De divisione sacrificiorum A.L.: 1-2, q. 102, a. 3, ad 8 (cf. infra, p. 822 sq.).

2. OBJECTUM CAPITIS.

Definitio nominalis.

Celebratio mysterii eucharistici vocatur *apud Graecos* *μυσταγωγία* (mysterii celebratio), *λατρεία* (cultus latreuticus), *ιερουργία* (operatio sacri), *praecipue vero ac communiter post saec. 4* *λειτουργία* (liturgia, sacrum ministerium; a *λειτουργεί* = ministro, publicum officium praesto); *apud Latinos* collecta vel congregatio (populi), actio vel agenda (veluti antonomastice), sacrificium, *praecipue vero et communiter post saec. 4* *Missa*.

De sensu vocis *Missae* dictum est in Introductione tractatus (p. 7-9); de vi vocis *sacrificii* dicetur infra in primo articulo (art. 43, p. 787), ubi praeterea ipsa indoles sacrificii in genere aperietur (cf. praecipue in p. 788).

Definitio realis (cf. definitionem sacrificii in genere in p. 788).

Definitio, ut ita dicatur, *vulgaris, communis et dogmatica*, in qua omnes theologi cum *Cone. Trid.* necessario convenire debent, sic exprimi potest: Missa est verum et proprie dictum sacrificium, consistens in quadam mystica oblatione et immolatione ipsius Christi praesentis sub speciebus sacramentalibus, essentialiter repraesentativa sacrificii crucis.

Definitio vero *scientifica et theologica*, quam infra in art. 47 contra discrepantes aliorum theologorum definitiones defendemus, sic se habet (cf. in p. 1018 sq.):

Quoad sacrificium Missae *materialiter* consideratum, i.e. ex parte actionis in qua ratio formalis sacrificii invenitur: Duplex atque indivisa consecratio, quatenus importat mysticam seu sacramentalem separationem corporis et sanguinis Christi.

Quoad sacrificium Missae *formaliter* consideratum, i.e. secundum ipsam rationem sacrificii:

Definitio metaphysica: Sacrificium renovativum ipsius sacrificii crucis in esse objective»; vel si placet: Signum divini domini in immolativa oblatione crucis subjectatum, prout haec renovatur in esse objetivo.

In hac definitione sacrificium crucis est veluti genus, renovatio vero in esse objetivo stat pro differentia specifica.

Definitio physica: Oblatio immolativa corporis Christi in cruce peracta, prout renovatur in esse objetivo sub speciebus sacramentalibus.

In hac definitione materia est corpus Christi ut praesens sub speciebus sacramentalibus, forma vero est oblatio immolativa in cruce peracta prout renovatur in esse objetivo; in ipsa forma autem distingui potest ratio generica (oblatio) et ratio specifica (immolatio) (cf. in p. 788).

3. *DIVISIO CAPITIS.*

Augustinus, De Trin. 4, 14, 19, sequentibus verbis perstringit quidquid sive de sacrificio in genere, sive de sacrificio crucis, sive de sacrificio Missae, dici potest: “Ut quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio: *cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur*; idem ipse unus verusque Mediator, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat, unum in se faceret pro quibus offerebat, unus ipse esset qui offerebat, et quod offerebat” (M.L. 42, 901).

Quaestio “quid offeratur” refertur ad essentiam sacrificii, quaestio “a quo offeratur” vertit circa causam efficientem seu offerentem, quaestio “pro quibus offeratur” ostendit finem sacrificii. Hinc delineatam habes fundamentalem divisionem hujus capituli. Agemus enim tum de existentia, tum de essentia sacrificii eucharistici secundum quatuor ejus causas, praemissa quaestione de sacrificio in genere et apposita ad calcem comparatione inter sacrificium et sacramentum et explicatione caeremoniarum Missae. Hinc divisio capituli in 15 articulos, sequenti ordine dispositos:

De sacrificio in genere	Art. 43
De existentia sacrificii Missae	Art. 44
De ejus essentia	
De essentia physica, consistente in duplici consecratione	Art. 45
De essentia metaphysica	
De indole repraesentativa sacrificii Missae	Art. 46
De formali ratione sacrificii Missae, consistente in ipso sacrificio crucis in esse objetivo seu repraesentativo	Art. 47

Dc causa <i>efficiente</i> , seu de Christo principali offerente et de celebrante et Ecclesia secundario offerente	Art. 48
De causa <i>finali</i>	
De <i>fine cuius</i>	
In <i>ordine intentionis</i> et indeterminate, seu de quadruplici fine latreutico, eucharistico, impetratorio et propitiatorio	Art. 49
In <i>ordine executions</i>	
De <i>efficacitate</i> hujus sacrificii	
De <i>causa</i> morali efficacitatis ejus, seu dignitate victimae et principalis offerentis	Art. 50
De <i>modo</i> quo influit, seu ex opere operato et infallibiliter	Art. 51
De <i>ejus proprietate</i> seu valore infinito	Art. 52
De <i>ejus effectu seu fructu</i>	
De fructu <i>in communi</i> , quoad ejus limitatam rationem	Art. 53
De variis fructibus <i>in particulari</i>	Art. 54
Dc <i>finecui</i> , seu de subjecto applicationis fructus sacrificii	Art. 55
Dc <i>comparatione inter sacrificium et sacramentum</i> eucharisticum	Art. 56
De <i>caeremoniis Missae</i> , seu de ritu accidentali sacramenti Eucharistiae	Art. 57

ART. 43. Utrum Sacrificium In Genere Convenienter Definiatur: Signum Interioris Agnitionis Supremi Dei Domini, Consistens In Oblatione Rei Sensibilis Per Aliquam Mutationem Destructivam, Facta Deo In Eius Honorem A Legitimo Ministro Publice Deputato (2-2, q. 85, a. 1 ; a. 2 ; a. 3, ad 3 ; q. 86, a. 1 ; 3 p., q. 22, a. 2 ; q. 48, a. 3 ; In Psal. 34, n. 4; C. Gent. 3, 120; 1-2, q. 102, a. 3. ad 8).²

STATUS QUAESTIONIS

Antequam statuatur existentia et natura sacrificii Missae utile videtur praemittere *QUAESTIONEM DE NATURA SACRIFICII IN GENERE*.

Huius quaestionis utilitas non est exaggeranda nec parvipendenda;³

² Cf. *Lugo*, De Euch., disp. 19, sect. 1; *Salmanticenses*, De Incarn., disp. 31, dub. 1, § 1; De Euch., disp. 13, dub. 1, § 1; *Franzelin*, De Euch., thes. 20. 21. 22; *Billot*, De Euch., De Sacrificio Missae, § 1 et 2; *Pesch*, De Euch., De Sacrificio Missae, Praenotanda; *Lepin*, *De la Taille* et *Gaudel* infra citandos (p. 808).

³ Eam videntur exaggerare *Lepin* (in verbis infra citandis, p. 818) et *Ami du Clergé*, 1 febr. 1923, t. 40, p. 72, ubi legitur: "Qui nous donnera la véritable définition du sacrifice, qui seule peut trancher un pareil débat [sur l'essence du sacrifice de la Messe], en déterminant ce qui lui est essentiel et ce qui ne l'est pas?"

Eam vero parvipendere videtur *A. Michel*, in Diet. Théol. Cath., art. Messe, col. 1246: "Poser d'abord une définition du sacrifice, pour en montrer *ensuite* la vérification dans le sacrifice de la messe, c'est vouloir éclairer le certain par l'incertain. C'est précisément parce que la plupart des théologiens ont voulu trouver dans la définition du sacrifice la justification de leurs systèmes qu'ils se sont divisés en opinions contraires. L'Eglise, d'ailleurs, ne s'est jamais souciée de nous donner une définition authentique du sacrifice;

nam ex una parte quaestio de essentia sacrificii Missae potest, et praecipue debet, solvi ex documentis revelationis et Ecclesiae, ex alia vero parte ad id non parum etiam confert analysis conceptus et definitionis sacrificii in genere.

Definitio nominalis sacrificii.

Etymologice vox “sacrificium” significat *jactionem sacri*, et sacrificare dicit sacrum facere. Ita S. Thomas (2-2, q. 85, a. 3, ad 3) aliique doctores omnes post *Isidorum Hisp.* scribentem: “Sacrificium dictum, *quasi sacrum jactum*” (Etym. 6, 19, M.L. 82, 255).

Definitio realis.

Augustinus in opere *De civitate Dei* duas tradit definitiones, quarum prima metaphysice, altera physice sonat:

“Sacrificium . . . visibile *invisibilis sacrificii* sacramentum, id est sacrum *signum*, est” (10, 5, M.L. 41, 282).

“Verum sacrificium est omne *opus, quod agitur, ut sancta societate inhaereamus Deo*, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus” (10, 6, M.L. 41, 283).

Isidorus Hisp., Etym. 6, 19, definitionem sacrificii in genere involvit in definitione sacrificii eucharistici, scribens: “Sacrificium dictum, quasi sacrum factum, quia prece mystica consecratur in memoriam pro nobis dominicae passionis; unde hoc eo jubente corpus Christi et sanguinem dicimus, quod; dum sit ex fructibus terrae, sanctificatur, et fit sacramentum, operante visibiliter Spiritu Dei, cujus panis et calicis sacramentum Graeci Eucharistiam dicunt, quod Latine bona gratia interpretatur. Et quid melius corpore et sanguine Christi?” (M.L. 82, 255).

S. Thomas elementa definitionis sacrificii veluti sparsim tradit in 2-2, q. 85, a. 3, ad 3 et q. 86, a. 1 (infra cit., p. 798), inquit: “Sacrificium est oblatio”, “Sacrificia proprie dicuntur quando circa res Deo oblatae aliquid fit”, “Si aliquid exhibeatur in cultum divinum, quasi in aliquod sacrum quod inde fieri debeat, consumendum, et oblatio est et sacrificium. . . Si vero sic exhibeatur ut integrum maneat . . . erit oblatio et non sacrificium.”

Ex quibus haec definitio colligi potest: Sacrificium est oblatio rei circa quam aliquid fit, ita ut ipsa non integra maneat sed in aliquod sacrum consumetur.

et donc, même si sur ce point on pouvait espérer trouver par des moyens humains la vérité, cette vérité ne saurait encore être proposée comme règle de notre croyance.

“A notre avis, il faut donc laisser de côté la définition du sacrifice en général. Nous savons, par la foi, que la messe est un sacrifice véritable et proprement dit. Elle doit donc vérifier la définition du sacrifice en général, quelle que doive être d'ailleurs cette définition. Mais, puisque les diverses définitions essayées ne sont pas satisfaisantes, nous ne nous en occuperons pas ici.”

Theologorum traditionalis definitio sic exprimitur a *Pcsch*: “Solet . . . sacrificium definiri: Oblatio substantiae sensibilis per aliquam eius immutationem Deo legitime facta ad ostendendam agnitionem supremae eius maiestatis et vitae necisque absolutae potestatis. Hanc definitionem, per multa iam saecula communiter receptam, quidam nostra aetate impugnarunt. . .”⁴

Quidam theologi moderni, fautores sic dictae theoriae sacrificii-oblationis, suppresso conceptu immutationis ac aliquatenus modificata ratione rei quae per sacrificium significatur, sic fere definiunt sacrificium: Oblatio rei sensibilis, facta per modum alicuius actionis sacrae, ad significandam personalem oblationem hominis Deo et ad finem honoris divini atque nostrae coniunctionis cum Divinitate (cf. infra, p. 808 sqq.).

Ut patet ex duabus ultimis definitionibus, praecipua *quaestio quae disputatur* inter theologos est: an ad essentiam sacrificii requiratur *immutatio destructiva*.

Definitio quam defendendam suscipimus sic se habet:

Definitio metaphysica: Signum interioris agnitionis supremi Dei dominii.

In hac definitione signum est genus, interior vero agnitio supremi Dei dominii est differentia specifica.

Definitio physica: Oblatio rei sensibilis per aliquam mutationem destructivam.

In hac definitione oblatio rei sensibilis se habet ut materia, mutatio vero destructiva considerari potest veluti forma qua oblatio afficitur ac trahitur ad rationem sacrificii; ipsa autem res sensibilis est materia circa quam sive oblatio sive mutatio versatur. Vel melius dici potest rem sensibilem esse materiam, oblationem vero immutativam esse formam, ita ut intra ipsam formam sacrificii oblatio se habeat ut genus, mutatio vero ut differentia specifica.

Definitio completa, additis duabus causis extrinsecis, seu efficienti et finali: Signum interioris agnitionis supremi Dei dominii, consistens in oblatione rei sensibilis per aliquam mutationem destructivam, facta Deo in Eius honorem a legitimo ministro publice deputato.

CONCLUSIO *affirmativa*.

Defenditur et explicatur proposita definitio per singulas partes:

1 Pars. “SIGNUM”.

Sacrificium est *in genere signi* (cf. 2-2, q. 85, a. 2 mox citando)

⁴De Euch., sect. 3, n. 83S, Friburgi Br., 1914, p. 394.

sicut sacramentum; in quo sensu ipsum sacramenti nomen accipit apud *Augustinum* (De civ. Dei, 10, 5, supra cit.).

Praeterea sacrificium est, sicut sacramentum, signum *ad placitum* seu conventionale, quia nulla res vel rei oblatio est de se ordinata ad significandam interiorem agnitionem divini dominii; item est signum *symbolicum*, quia non omnis res vel rei oblatio est apta ut assumatur in signum talis agnitionis.

2 Pars. “*INTERIORIS AGNITIONIS DEI DOMINII*”, seu submissionis et oblationis animi ad Deum.

Haec animi agnitio et submitio non est proprie sacrificium sed significatum per sacrificium. Cum ergo quandoque ipsa vocatur sacrificium (ut apud *Augustinum*, De civ. Dei, 10, 5, supra cit., et in Scriptura, Psal. 49, 14; Psal. 50, 19; Psal. 140, 2), imo “verum sacrificium” (*Augustinus*, De civ. Dei, 10, 6, supra cit., et C. Gent., mox citand.) vel “principale sacrificium” (2-2, q. 85, a. 3, ad 2; a. 4; mox citand.), est impropria et metaphorica acceptio signati pro signo (propterea ipse *Augustinus*, De civ. Dei, 10, 5, ait: “Illud quod ab omnibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificii”), quae ideo adhibetur quia signatum est potissimum quod intenditur et ratio quare signum ponatur (quemadmodum collatio gratiae est ratio quare sacramentum assumatur).

Ex quo sequitur quod quamvis praedicta interior dispositio non sit proprie sacrificium, tamen dici potest vehit anima sacrificii, quatenus sine ipsa nequeat haberi exterius sacrificium, quia, deficiente signato, deficit signum et, extincto termino relationis, evanescit ipsa relatio.

Ad rem S. *Thomas*, 2-2, q. 85, a. 2: “Oblatio sacrificii fit ad aliquid significandum. Significat autem sacrificium quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo anima seipsam offert Deo, secundum illud Psalmistae [Psal. 50, 19]: ‘Sacrificium Deo spiritus contribulatus’: quia, sicut supra dictum est (qu. Ixxxii, art. 7, et qu. Ixxxiv, art. 2), exteriores actus religionis ad interiores ordinantur. Anima autem se offert Deo in sacrificium, sicut principio suae creationis, et sicut fini suae beatificationis”.

Ibid., a. 3, ad 2: “Triplex est hominis bonum: primum quidem est bonum animae, quod Deo offertur interiori quodam sacrificio per devotionem, et orationem, et alios huiusmodi interiores actus; et hoc est *principale sacrificium* [sed improprie dictum]; secundum est bonum corporis, quod Deo quodammodo offertur per martyrium et abstinentiam, seu continentiam. Tertium est bonum exteriorum rerum, de quo sacrificium offertur Deo; directe quidem, quando immediate res

nostras Deo offerimus [sacrificium proprie dictum]; mediate autem, quando eas communicamus proximis propter Deum [sacrificium improprie dictum].”

Ibid., a. 4: “Duplex est sacrificium. . . Quorum *primum et principale est sacrificium interius*. . . Aliud autem est sacrificium exterius, quod in duo dividitur. Nam quoddam est quod ex hoc solum laudem habet quod Deo aliquid exterius offertur in protestationem divinae subjectionis [sacrificium proprie dictum]. . . Aliud vero est exterius sacrificium, quando actus exteriores aliarum virtutum in divinam reverentiam assumuntur [sacrificium improprie dictum].”

C. *Gent.* 3, 120: “Exterius . . . sacrificium repraesentativum est interioris veri sacrificii, secundum quod mens humana seipsam Deo offert; offert autem se mens nostra Deo, quasi suae creationis principio, quasi suae operationis auctori, quasi suae beatitudinis fini; quae quidem conveniunt soli summo rerum principio.”

Ad rem *Gregorius Naz.*, Orat. 2, 95: “Cum ego nossem neminem magno et Deo et sacrificio et pontifice dignum esse, nisi qui prius se ipsum hostiam viventem, sanctam exhibuerit, et rationabile obsequium, gratum atque acceptum ostenderit, Deoque sacrificium laudis ac spiritum contritum obtulerit, quod solum sacrificium is, qui omnia dedit, a nobis exposcit, quo tandem modo externum illud [Eucharistiae] sacrificium, illud magnorum mysteriorum antitypum ipsi offerre auderem, aut quomodo sacerdotis habitum et nomen subire, priusquam sanctis operibus manus purificassem?” (M.G. 35, 498).

Ex dictis sequitur:

Primo, quod honor Dei, coniunctio cum Deo et alia id genus, non sunt proprie et directe significatum sacrificii, sed finis ipsius, de quo erit sermo in Parte 8; significatum enim sacrificii est ipsa agnitio divini domini, quae ordinatur ad cultum seu honorem Dei.

Secundo, quod sacrificium pertinet ad cultum, et quidem externum, adeoque est actus virtutis religionis. Actus enim elicitus virtutis religionis dividuntur in interiores seu principales et exteriores seu secundarios (2-2, q. 81, a. 7), atque sequenti ordine numerantur: devotio, oratio, adoratio, sacrificium, oblatio, votum, iuramentum, adiuratio divini nominis, laudatio divini nominis (2-2, q. 82-91).

3 Pars. “SUPREMI DEI DOMINII”.

Supremum Dei dominium ingreditur indirecte et in obliquo in ratione significati per sacrificium, scilicet ut obiectum ipsius interioris agnitionis; si enim poneretur signum divini domini absque huius interiori agnitione, sacrificium non haberetur.

Directum obiectum huius agnitionis non est quodlibet divinum attributum sed ipsum *dominium*, seu attributum Dominationis. Ceterum hoc fundatur in altiori attributo Causae seu Principii; inde est quod S. Thomas (2-2, q. 85, a. 2; C. Gent. 3, 120, nuper citat.; cf. 1-2, q. 102, a. 3) ait sacrificium offerri Deo ut principio nostrae creationis, auctori nostrae operationis et fini nostrae beatitudinis.

Praeterea obiectum agnitionis est dominium Dei ut *supremum*, seu prout respicit res creatas secundum ea quae in illis sunt suprema et maxime fundamentalia, nempe esse et substantiam, atque in casu viventis, ipsam vitam; unde per sacrificium praecipue significatur agnitio Dei ut domini ipsius esse, substantiae et vitae.

Ad haec generatim *doctores moderni post Vasquez* (Disp. 220, c. 3. n. 22 sq.) addunt in sacrificio supremum dominium Dei significari non utcumque sed *jormaliter ut dominium in vitam et mortem, in cuius proinde honorem dignum est ut res destruantur.*

Praeterea *multi post Lugo* hanc sententiam ulterius determinant, docentes in sacrificio significari divinum dominium *in vitam et mortem ipsius hominis, in cuius domini agnitionem dignum est ut vel vita hominis destruat, ubi liceat et oporteat (ut contingit in passione Christi), vel destructio alterius rei animatae aut inanimatae substituat destructioni nostrae vitae, ubi haec, ut regulariter contingit, non liceat {theoria substitutionis vel vicariae destructionis, a Franzelin, thes. 21, n. 2, fusius explicata).*

Ad rem *Lugo*: “Mihi semper placuit ratio, quam insinuavit *Eusebius* lib. I de Demonstrat, c. ult. dicens: ‘Hominem debere vitam suam Deo in sacrificio; quia tamen hoc non expedit, ideo lege naturae introductum fuisse, ut in sacrificium animalis, vel aliquid ejusmodi commutaretur,’ quasi dicat, sacrificium esse protestationem; qua homo profitetur, se habere totum suum esse a Deo. et ideo dignum esse Deum, in cuius honorem et cultum, idem esse et eadem vita consumatur et destruat; quod quia regulariter non licet, offertur pro vita propria, vita, seu entitas alterius rei, protestando eodem modo nostram vitam oblaturus, si liceret et oporteret. . .

“*Hinc injero primo*, sacrificium non differre, praecise ab aliis Dei cultibus, in hoc, quod sit protestatio supremae Dei excellentiae, vel ipsius in vitam et mortem potestatis, ut dicebat Pat. *Vasquez*: nam ad hoc ipsum significandum posset homo producere vel extinguere ignem, v.g. vel aliquid aliud, protestando se fuisse etiam a Deo productum, et posse a Deo destrui, sicut ille ignis producitur vel extinguitur. et tamen illa actio procul dubio non esset sacrificium. Significat ergo sacrificium aliquid aliud, et alio modo, per quod differt ab omni alio cultu, in primis ex parte rei significatae, quia significat dignum esse Deum, in cuius honorem nostra vita consumatur: ex parte vero modi, quia hoc ipsum significat per destructionem alicujus rei, per quam explicamus affectum nostrae destructionis, si ad cultum Dei licita esset vel necessaria.

“Adverte tamen non esse de essentia sacrificii, quod fiat per destructionem alterius rei, quae pro nobis substituat. Posset enim melius et verius salvari ejus essentia, si nostra ipsa vita sacrificaretur; sicut Christus Dominus in cruce verum

sacrificium Deo obtulit per destructionem et mortem propriam, quae eamdem Dei excellentiam et dignitatem protestatus est. Dicimus ergo, de ratione sacrificii esse, quod sit protestatio illius excellentiae divinae, qua dignus est ut in ipsius cultum nostra vita destruat, sive haec protestatio fiat per realem destructionem propriae vitae, sive per destructionem alterius rei, per quam noster affectus explicetur, quando destructio propria non licet vel expedit.

“*Injero secundo*, in omni sacrificio debere intervenire destructionem aliquam rei oblatae . . . , quia sine aliqua rei destructione non apparet, quae peculiaris proportio sit in sacrificio ad significandam illam supremam Dei potestatem et dignitatem, quam diximus significari apte per sacrificium: per destructionem vero id aptissime significatur”.⁵

Hanc sententiam reiciunt plures alii, ut *Pasqualigo*,⁶ *Lepin*,¹ *Gaudel*,^{*} *Galtier*^{*} et *De la Taille*, qui scribit:

“[Juxta illam] explicationem sacrificium, ut latreuticum, non significaret aliquid ex sese hominem perficiens, sed in deterius adducens. Positio autem illa nec rationi satisfacit (quippe quia citra peccati suppositionem nulla inflictio mali habet rationem illam perfectivam, quae virtuti omni inesse debet: est autem religio, tamquam justitiae pars, una ex virtutibus moralibus), nec testimonio ullo Patrum comprobari potest, quanquam advocatur aliquando in istum sensum *Eusebius Caesariensis* (Demonstr. Evangel. 1. 1, c. 10, P.L. 84-85), sed immerito: cum is sacrificii rationem non latreuticam aut eucharisticam solum, sed utique propitiatoriam atque piacularem expendat, ad quam pertinet . . . , ut pro poena mortis, non solum temporalis, sed et aeternae, mortificatio seu occisio animantis rependatur. Quare nos, duce utentes sancto Thoma, non rationem sacrificii latreutici vitae hominum inimicam expollemus, sed amicam, rati cultum sensibilem adhiberi ab hominibus, secundum se, non ideo ut per vitae existentiaeve amissionem a Deo, qui est ipsum Esse subsistens perfectionemque vivendi omnem obtinet, elongentur, sed omnino ‘quia per hujusmodi actus proficimus in Deum’ (3 Cg. 119, §3). Per prius igitur, in enodanda quaestione de sacrificio, spectari debet Deus ut Finis noster, seu ut summa Bonitas, perfectiva rerum omnium. Acutam crism lugoniani placiti circa affectum nosmetipsos destruendi in honorem Dei, vide apud *Zachariam Pasqualigo*, De sacrificio novae Legis, quaest. 6, n. 5, Romae 1707, t. I, p. 6.”¹⁰

Quidquid sit de inclusione talis significationis in ratione sacrificii in genere, certum videtur eam contineri in ratione sacrificii expiatorii, ut ipse *De la Taille* admittit (1. c.).

⁵ De Euch., disp. 19, sect. 1, n. 5-7, Parisiis, 1892, p. 224 sq.

⁶ De sacrificio novae Legis, q. 6, n. 5, Romae, 1707, t. 1, p. 6.

¹ La messe et nous, Paris, 1937, p. 74.

^{*} In Diet. Théol. Cath., art. Sacrifice, col. 674 sq.

^{*} De Incarnatione, thes. 38, n. 521.

^{**} Mysterium Fidei, elue. 1, Parisiis, 1931, p. 3, in nota.

Ad rem S. *Thomas*, 1-2, q. 102, a. 3, ad 5: "Per occisionem animalium significatur destructio peccatorum, et quod homines erant digni occisione pro peccatis suis, ac si illa animalia loco eorum occiderentur ad significandam expiationem peccatorum".

4 Pars. "OBLATIONE".

Materia sacrificii, in qua cadit supradicta relatio signi, pertinet ad genus oblationis.

Ad rem S. *Thomas*, 2-2, q. 85, a. 1: "Ex naturali ratione procedit quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum debitae subjectionis et honoris, secundum similitudinem eorum qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii. *Hoc autem pertinet ad rationem sacrificii*. Et ideo oblatio sacrificii pertinet ad jus naturale."

Hanc communem doctorum sententiam ausus est impugnare *Jacobus Bellord*, episcopus milevitanus, docens" essentialem et primitivum conceptum sacrificii, juxta inquisitiones archeologicas et historicas de sacrificiis paganorum et juxta Antiquum Testamentum, non esse oblationem, nec a fortiori destructionem, sed sacrum epulum seu *convivium hominum cum Divinitate* (The banquet-theory).

Jamvero, quamvis convivium sacrum fuerit sat generaliter connexum cum sacrificio,¹² non in eo tamen homines reposuisse essentiam sacrificii constat ex ipsis documentis quae Bellord tam confidenter invocat. In illis enim cenceptus oblationis semper apparet, nota vero convivii non inde ab initio nec constanter.

In primitivis quippe religionibus paganis sacrificium apparet sub forma oblationis primitiarum (seu fructuum terrae et animalium). In evolutis etiam religionibus tum extremi orientis (Brahamanismo).¹³ tum semiticis,¹⁴ conceptus oblationis constituit essentiam sacrificii; ita in tabulis liturgicis Assyriorum et Babyloniorum communissime invenitur praeceptum offerendi donum huic vel illi divinitati. Ad rem *M.-J. Lagrange*: "On rencontre toujours dans le sacrifice l'idée d'une offrande. . . . C'est le seul concept qui groupe les sacrifices sanglants et les sacrifices non sanglants."¹⁵

¹² In sua dissertatione postuma "The notion of sacrifice" et "The sacrifice of the New Law", in *The Ecclesiastical Review*, 1905, t. 33, p. 1-14 et 258-273.

¹³ Cf. apud *Lepin*, *L'idée du Sacrifice de la Messe*, Paris, 1926, p. 619, in nota, et *De la Taille*, l. c., p. 7, in nota 2.

¹⁴ Cf. *IF. Schmidt*, *Notions générales sur le sacrifice*, in *Semaine d'ethnologie religieuse*, 3 sess., Tilbourg, 1922.

¹⁵ Cf. *Loisy*, *Essay historique sur le sacrifice*, Paris, 1920.

¹⁶ Cf. *A. Vincent*, *La religion des judéo-araméens d'Éléphantine*, Paris, 1937, p. 144-233.

¹⁷ "Études sur les religions sémitiques, Paris, 1903, p. 249.

Ad Antiquum Testamentum quod attinet, in primis quae memorantur sacrificiis, i.e. Caini et Abelis (Gen. 4, 3-5), nulla habetur mentio convivii sed solius oblationis (hebr.: minchah; Vulgata: munera; Septuaginta et Hebr. 11,4: Oiwa); similiter secundum sacrificium quod commemoratur, i.e. sacrificium Noe, dicitur tantum oblatio, imo holocaustum super altare combustum (Gen. 8, 20: 'Obtulit holocausta super altare'); inter sacrificia levitica tum holocausta tum quaedam ex ceteris sacrificiis complete destruebantur nec ullae relinquebantur epulae sacrificales (cf. Lev. 6, 8 sqq.).

Advertit *De la Taille*: "Vix intellegitur quomodo nobis Christianis possit istud esse dubium, cum vel omisso Vetere Testamento, habeamus auctoritatem et Christi (Matth., 5, 23: 'Si ergo offers munus tuum ad altare' etc. — Matth., 23, 19: 'Quid enim majus est, donum, an altare quod sanctificat donum?' — Matth., 8, 4: 'Offer munus quod praecepit Moyses') et Apostoli (Hebr., 6, 1: 'Omnis namque pontifex . . . constituitur . . . ut offerat dona' etc. — Hebr., 8, 3-4: 'Ad offerendum munera et hostias constituitur . . . essent qui offerent secundum legem munera', cf. 9, 9 et 11, 4; quibus omnibus Novi Testamenti locis et de sacrificiis agitur, et pro voce 'munus' aut 'donum' semper habetur in graeco δῶρον), et sanctorum Patrum jam inde a Clemente Romano, et Liturgiis nostrarum omnium, quibus dona et munera de divinis donis ac datis Deo reddita praedicantur."¹⁷

5 Pars. "REI SENSIBILIS".

Sacrificium esse oblationem rei sensibilis constat ex historia sacrificiorum et exigitur tum ex ratione actus cultus tum etiam ex ipsa ratione signi; nam, ut dictum est in tractatu De sacr. in gen. (art. 3, p. 85), non datur signum nisi sensibile. Unde oratio, laus, aliique actus interiores non sunt sacrificia nisi metaphorice.

6 Pars. "PER ALIQUAM MUTATIONEM DESTRUCTIVAM".

De hac re *DISPUTATUR INTER THEOLOGOS*.

Omnes quidem admittunt in sacrificio inveniri illam moralem et improprie dictam immutationem qua res ponitur extra usum hominum et fit sacra seu reservata Deo, quod in ipsa ratione oblationis involvitur. In hoc saltem sensu justificatur significatio ipsius vocis sacrificii (i.e. sacrum facere).

Quaestio est utrum sacrificium importet essentialiter solam oblatio-

¹⁷ *Mysterium Fidei*, cluē 1, Parisiis, 1931, p. 6, in nota.

nem an etiam aliquam rei oblatae immutationem, et quidem utrum sufficiat immutatio moralis an requiratur physica, et ulterius utrum sufficiat quaelibet immutatio physica an requiratur destructiva.

PRIMA SENTENTIA, communior ac fere traditionalis inter theologos, docet praeter oblationem requiri aliquam rei oblatae *immutationem physicam et destructivam*, ita ut oblatio sit ratio generica sacrificii, immutatio vero, et quidem physica ac destructiva, sit ratio specifica, qua sacrificium distinguitur ab aliis oblationibus.

Destructio autem intelligitur formaliter (ut in occisione animalis) vel aequivalenter (ut in effusione licoris in terram), talis nempe per quam res fiat proxime inepta usui hominis.

Veritas huius sententiae *probat*ur quintupliciter, i.e. ex ritu sacrificiorum verae religionis (sive antiquae sive novae legis), ad quam praecipue attendendum est cum agitur de determinanda vera natura sacrificii; ex ipsa significatione et fine sacrificii; ex sensu communi; ex communi suffragio theologorum; ex auctoritate S. Thomae.

a. *In omnibus sacrificiis antiquae legis* observatur quaedam realis vel aequivalens destructio rei oblatae. In praecipuis enim sacrificiis, scilicet cruentis, occidebatur victima et igne consumebatur, in secundariis etiam, scilicet incruentis, alimenta solida similiter crematione, liquida vero effusione, destruebantur. Imo quo maior intercedebat destructio eo perfectius sacrificium censebatur; perfectissimum enim sacrificium erat holocaustum, in quo res oblata totaliter consumebatur.

Obiciet quis nullam observari destructionem in praeviis sacrificiis *Caini, Abelis et Melchisedech* (Gen. 4, 3-5; 14, 18) necnon in ipso sacrificio levitico *panum propositionum* quod consistebat in sola expositione panum super mensam per octo dies (Lev. 24, 5-9).

Respondetur. Quoad *tria priora sacrificia* destructio non negatur sed tantum tacetur, nec ritus quo ea sacrificia oblata sint ullatenus describitur sed tantum memoratur communi voce oblationis. Ceterum in sacrificio Abelis adfuisse occisionem animalium innuitur voce "adipibus" ("Obtulit de primogenitis gregis sui. et de adipibus eorum") et sacrificium Noe, quod est primum post oblationem Caini et Abelis in Scriptura memoratum, exhibetur ut holocaustum (adeoque ut oblatio) super altare combustum (Gen. 8, 20).

Quoad oblationem *panum propositionis*, quidam, ut *Logo* (Disp. 19. sect. 1, n. 9), *Azor* et *Moderns*, ut solvant difficultatem dicunt eam non fuisse sacrificium sed simplicem oblationem. Quae responsio dura videtur, attentis ipsis verbis Lev. 24, 8 sq.: "Per singula sabbata muta-

buntur coram Domino . . . eruntque Aaron et filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto, quia *sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini jure perpetuo.*"

Unde dicendum videtur cum *Franzelin* (thes. 21, n. 2) destructionem in illo sacrificio fuisse duplicem, scilicet tum combustionem incensi, illis panibus impositi et ad modum unius cum illis oblatis (Lev. 24. 7) (incensum enim removebatur antequam panes comedi possent et absque dubio in altari aureo comburebatur), tum ipsam panum comestionem, quae non erat simplex convivium in sustentationem sacerdotum, sed sacra manducatio, ut patet ex Lev. 24, 9 nuper citato.

In Nova lege duplex habetur sacrificium: Crucis et Missae. Jamvero juxta sensum Ecclesiae et Traditionis sacrificium Crucis consistit in passione et morte Christi (cf. *Cone. Trid.*, Denz. 938. 940. 950. 951; *Isai.* 53, 7. 10. 12; *Joan.* 10, 11 sqq.; *Ephes.* 5, 2; *Epist. Barnabae*, 7, 3; *Tertull.*, Adv. Jud. 13; *S. Thomas*, 3 p., q. 48, a. 3); Missae quoque sacrificium, juxta *Cone. Trid.*, consistit non solum in oblatione sed in incruenta quadam immolatione (Denz. 940).

b. *Ipsa propria significatio sacrificii* videtur requirere aliquam immutationem rei oblatae, qua nempe res realiter vel aequivalenter destruat, seu humano usui physice inepta reddatur.

Nam non nisi per talem rei immutationem ac veluti destructionem, quippe quae est completa rei abrenuntiatio ac in divinum dominium alienatio, *apte* significatur tum ipsa *suprema ratio* divini domini tum interior agnitio eiusdem seu *totalis* submitio et oblatio animi.

Ad rem *A. Bonal*: "Sacrificium definitur: Actio qua res aliqua offertur soli Deo, ad ejus in res creatas supremum dominium recognoscendum, pro aliqua societate, per aliquam rei oblatae immutationem." "Per aliquam rei oblatae immutationem: et in hoc praecise et formaliter consistit actio sacrificii constitutiva; siquidem sacrificium fit in significationem et protestationem divinae excellentiae ac supremi domini Dei: porro summa excellentia et supremum dominium Dei expresse recognoscitur et colitur quando res aliqua ita Deo offertur ut in ejus honorem immutetur aut consumatur, et, in quantum possibile, in nihilum redigatur." "Patet eo perfectiorem esse interni sacrificii expressionem quo res sensibilis magis destruitur."¹⁸

A fortiori rei immutationem et destructionem exigit significatio dominationis divinae in vitam et mortem, juxta sententiam *Vasquez et Lugo* supra citatam (p. 791 sq.), necnon significatio *expiatoria*, quae forte sacrificio accedat.

¹⁸ "Insl. theologicae. Parisiis, 1901, t. 2, p. 570. 573. 577.

Sub hac ultima tantum ratione *De la Taille* admittit necessitatem destructionis in sacrificio, inquit:

“Jam igitur concludere utram in partem sit dirimenda controversia illa doctorum; sitne destructio rerum oblatarum ut talis (sive formalis sive acquivalens) essentialiter requisita ad constituendum verum sacrificium. Ubi quippe finis primarius et praevalens est solum laetificus, non videtur requiri destructio, sed sufficit si, juxta verba sancti Thomae (2-2, 85, 3, 3m), circa res oblatas aliquid fiat, quo intellegantur verti ex humana possessione in mancipium divinum, oppignorandi nostrimet gratia. In quo *Suarezio* consentimus (De Eucharistia, disp. 73, s. 5, n. 4-5), neganti requiri destructionem. Ubi autem eminet finis propitiatorius, videtur magis consona destructio aliqua seu occisio victimae; et in hunc sensum (restrictione igitur aliqua usi) accipimus verba *Bellarmini* (De Missa, l. 1, c. 2, § ult.). *Vasquezii* (disp. 220, c. 3, n. 22 sq.), *Lugonis* (Disp. 19, s. 1. n. 7), recentiorumque plurimorum, inter quos eminet cardinalis *Billot*.¹ 3

c. *Sensus communis* videtur intelligere in ratione sacrificii saltem aliquid plus quam conceptum oblationis. Quis enim dicet omnem oblationem Deo factam esse sacrificium? Ipsa latina vox *sacrificii*, quae a sensu communi adaptata est ritui de quo loquimur, significat hunc consistere in aliqua physica tractatione (factione) ex qua resultet aliquid sacrum. Praeterea in his, quibus haec vox in sensu metaphorico tam profano quam religioso accommodata est (uti opere poenoso in beneficium aliorum, corde contrito seu poenitentia, operibus misericordiae), frequenter conceptus alicuius mutationis vel abdicationis dolorosae importatur.

d. *Commune suffragium theologorum* ex omni schola indicium est veritatis hujus sententiae. Ex dicendis enim infra de tribus aliis opinionibus apparebit nonnisi paucos ab hac sententia magis vel minus explicite recessisse.

e. *Auctoritas S. Thomae*.

2-2, q. 85, a. 3, ad 3: “Sacrificia proprie dicuntur quando *circa res Deo oblatas aliquid fit*; sicut quod animalia occidebantur et comburebantur, quod panis frangitur, et comeditur, et benedicitur. Et hoc ipsum nomen sonat: nam Sacrificium dicitur ex hoc quod homo facit aliquid sacrum. Oblatio autem directe dicitur, cum Deo aliquid offertur, *etiamsi nihil circa ipsum fiat*; sicut dicuntur offerri denarii vel panes in altari, circa (pius nihil fit. *Unde omne sacrificium est oblatio, sed non convertitur.*”

¹ *Mysterium Fidei*, elue. 1, Parisiis, 1931, p. 10.

Hic explicite S. Doctor opponit sacrificium oblationi, tanquam speciem generi; clare etiam ostendit factionem sacri, in qua sacrificium consistit, non esse ipsum offerri (“Cum Deo aliquid offertur, etiamsi nihil circa ipsum fiat”). Unica difficultas provenire potest ex verbo “benedicitur”, quo videtur S. Doctor docere solam benedictionem (absque physica immutatione) rei oblatae constituere posse sacrificium. Attamen, attentis tum immediato contextu tum verbis immediate citandis, patet S. Doctorem loqui non de simplici benedictione sed immutativa, qualiter habetur in verbis consecrationis eucharistiae, ad quam manifeste alludit,²⁰ ut patet vel ex ipsa forma praesenti verborum “panis frangitur, et comeditur, et benedicitur”, opposita formae praeteriti praecedentis incisi “animalia occidebantur et comburebantur”.

2-2, q. 86, a. 1: “Sicut dictum est (quaest. praec., art. 3, ad 3), nomen oblationis commune est ad omnes res quae in cultum Dei exhibentur; ita quod si aliquid exhibeatur in cultum divinum, *quasi in aliquod sacrum quod inde fieri debeat, consumendum*, et oblatio est et sacrificium. . . Si vero sic exhibeatur *ut integrum maneat* divino cultui deputandum, vel in usum ministrorum expendendum, erit oblatio et non sacrificium.”

In his verbis clarius S. Doctor explicat quid in praecedenti textu intelligat per incisum “quando circa res oblatae aliquid fit”; oportet scilicet ut id quod offertur integrum non maneat sed consumatur et ex eo aliquid novum et sacrum resultet.

In Psal. 34, n. 4: “Omne enim sacrificium est oblatio, sed non omnis oblatio est sacrificium, quia sacrificium importat factionem sacri. Unde, cum in oblatione nihil est aliud nisi quod in usum sacerdotis venit, est pura oblatio, quando aliquid aliud fit (al. fiebat) inde, puta quod comburebatur, tunc vocabatur sacrificium.”

3 p., q. 48, a. 3: “Sacrificium proprie dicitur *aliquid jactum in honorem proprie Deo debitum*, ad eum placandum; et inde est quod *Augustinus* dicit [De civ. Dei, 10, 6]: ‘Verum sacrificium est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhaereamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possumus.’ Christus autem, ut ibidem subditur, ‘seipsum *obtulit in passione* pro nobis’; et *hoc ipsum quod voluntarie passionem sustinuit*, Deo maxime acceptum fuit, utpote ex charitate maxime proveniens. Unde manifestum est quod passio Christi fuerit verum sacrificium.”

Xota. Arbitraria prorsus videtur, nec ceterum sibiipsi constans, se-

; Cf. *Lcftiit*, L'idée du Sacrifice de la Messe, Paris, 1931, p. 193 sq.

quens *interpretatio* quam *Lepin*, ut trahat S. Thomam ad suam theoriam sacrificii in sola oblatione consistentis, affert praecipue de duobus prioribus textibus S. Doctoris:²¹

Ad 2-2, q. 85, a. 3, ad 3: “Il est remarquable que le Docteur angélique range expressément le sacrifice dans la catégorie des oblations, et que, voulant désigner ce qui s’ajoute à l’oblation simple pour en faire un sacrifice, il emploie une formule aussi large que celle-ci: ‘une certaine action exercée à l’égard de la matière offerte’. L’action en question est tout ce qu’il y a de plus indéterminé: *aliquid fit*. Et il n’est pas dit nettement qu’elle s’exerce ‘sur’ la matière, mais simplement ‘à son égard’; on pourrait même entendre, ‘autour’ d’elle, car c’est le premier sens de l’expression choisie, *circa*. Il paraît évident que la formule n’a pas été conçue pour une action qui affecterait intrinsèquement l’objet donné, au point de le détruire ou du moins de le modifier dans son être.”

“Tout le contexte établit que S. Thomas voit plutôt dans la Consécration un acte de *transformation*, et proprement de *sacrification*. c’est-à-dire un acte faisant passer la matière offerte de l’état profane à l’état sacré. Cela s’accorde exactement avec l’explication que le saint Docteur, s’inspirant de S. Isidore, met à la suite de sa définition. Etymologiquement, dit-il, le sacrifice est ‘un acte qui rend une chose sacrée’, ‘facit aliquid sacrum; factio sacri’, comme il dit ailleurs dans son Commentaire des Psaumes [In Psal. 39, n. 4]. Et c’est pourquoi, voulant déterminer en général l’action qui doit nécessairement affecter la matière de l’oblation pour qu’il y ait sacrifice, il emploie à dessein cette formule vague: ‘quelque chose qui se fait à l’égard (ou autour) des choses offertes à Dieu’, ‘quando circa res Deo oblatas aliquid fit.’ ”

Ad 2-2, q. 86, a. 1 ait: “Il y a un mot nouveau qui frappe dans cette définition: ‘*consumendum*’. N’introduit-il pas une idée nouvelle?”

“A première vue, l’expression semble faire entendre que l’objet offert en l’honneur de Dieu doit être ‘consumé’, ou ‘détruit’; et cette destruction de la matière offerte apparaîtrait comme le but propre et le caractère distinctif du sacrifice.

“A y regarder de plus près, on remarque que *la destruction dont il s’agit* n’est pas précisément voulue pour elle-même et en tant que telle: elle est ordonnée essentiellement à une sorte de production qui en résulte. C’est plutôt *un acte de transformation intrinsèque de la matière offerte*, la faisant passer à un état supérieur; un acte de sublimation, si l’on peut ainsi dire, en vertu duquel elle devient une chose sacrée, transférée ainsi au domaine de Dieu: ‘*consumendum . . . in aliquid sacrum quod inde fieri debeat*’.”

²¹Op. cit., p. 193. 194. 195. 196. 235. 734 sq. 753.

"En somme, ni dans l'une ni dans l'autre définition, S. Thomas ne fait valoir, comme élément essentiel du sacrifice, l'idée d'une réelle immolation ou destruction. Il met plutôt en évidence celle d'une certaine action exercée à l'égard de la matière offerte et tendant d'une façon générale à en faire une chose sacrée."

"Nous avons vu comment S. Thomas, préoccupé de déterminer en quoi le sacrifice se distingue de la simple oblation, a mis en évidence *l'action exercée sur la matière offerte* pour en faire une chose sacrée."

"Redisons que, dans les deux [définitions de Saint Thomas] . . . , le sacrifice apparaît essentiellement comme une oblation, conditionnée par une certaine action exercée autour de la chose offerte, ou un certain rite de consécration".

"Il y a donc, selon la pensée de S. Thomas, une matière profane qui devient sacrée, étant transformée en la chose sainte qui est réellement offerte. Mais il s'agit de transmutation, ou de conversion, non proprement de destruction. Ce n'est d'ailleurs pas la destruction de la matière profane dont Dieu peut se soucier. Ce qu'il regarde, c'est, selon le langage de Suarez, la production admirable qui en résulte: savoir le Corps et le Sang de son Fils lui-même, devenus le bien de l'Eglise, et que l'Eglise lui offre comme le don le plus excellent et le plus digne de lui qui soit."

Merito *P. Galtier*¹ ait de sententia Lepin et aliorum negantium requiri mutationem consumptivam ad rationem sacrificii: "Aperte contradicit eis quae S. Thomas habet, ubi ipse aperit cujusmodi actionem intellegat in sacrificio fieri circa rem oblatam. Ibi enim confirmat sacrificium per se addere oblationi seu dedicationi ad Dei cultum rationem consumptionis, ita ut, prout ea ratio adfuerit vel non, oblatio sit vel non sacrificium".

SECUNDA SENTENTIA docet ad rationem sacrificii *non requiri immutationem destructivam sed sufficere quamlibet immutationem, etiam pcrjectivam*, imo hanc praecipue, vel saltem semper, intendi, cum ipsa destructio, quando habetur, non propter se intendatur sed ordinetur ad immutationem seu transformationem rei oblatae in meliorem statum.

Sic in sacrificiis antiquis res animatae vel inanimatae comburebantur ut transformarentur per ignem in exhalationem ascendentem ad Deum in odorem suavitatis; in sacrificio crucis vita humana et passibilis Christi destruitur ut inde consummetur et transformetur in vitam immortalem et impassibilem; in Eucharistia substantia panis et vini

¹ De Incarnatione, thes. 38, n. 517, Paris, 1926, p. 439.

destruitur ut inde obtineatur melior substantia seu corpus et sanguis Christi.

Hic conceptus sacrificii, inquit, melius *convenit definitioni Augustini* (De civ. Dei, 10, 6, supra cit., p. 787), in qua exprimitur intimus et formalis finis sacrificii, seu coniunctio cum Divinitate.

Hanc sententiam magis vel minus explicite et determinate proponunt *Matthaeus Galenus, Suarez, Arriaga, De Condren, Olicr*, et inter modernos *Scheeben* et *Schanz*.

Galenus (Van der Galen; f 1573):

“Sacrificium proprie esse sacram actionem, qua hostia ita adficiatur atque immutetur, ut neque ab immolatione seu mactatione, neque a crematione existât aliena”.²³

“Ut PP. missam catholicam passim (ut jam demonstratum est plus satis) sacrificium panis, et panem ac vinum nuncupant, ita nos praecidaneam hostiam, et *insecuturæ perjectæque victimæ materiam, offerri quidem per se, non sacrificari proprie, connecti tamen arctissime eidem absolutissimæ et principali corp, et sang. Dn. victimæ, et in hanc desinere ac converti, itaque demum existere plenum, verum et consummatum sacrificium, seu rem divinam. . .* Ex quibus quoque satis apparet liquidum, nos summam Christianorum latriam, seu Dei cultum, minime omnium in nudo terminare pane et vino, sed in panis et vini rite mixti transsubstantiatione seu consecratione, seu in eo quod Christus admirabiliter, repente quondam immolatus, existât sub duplici symbolo. . . Quin igitur (quod res est) fateantur mutationem quidem totam in pane et vino existere, quatenus sacrificialis est substantiæ videlicet: in iisdem transmutatis, id est, corpore et sanguine Christi, meritum et dignitatem considerari, e cuius cruce derivatum meritum missæ obitione, hoc est proprie consecratione, applicari, rectissime Tridentini PP. definierunt”.²⁴

Suarez (t 1617):

“Sacrificare idem est quod sacrum facere; sacrificium ergo significat sacrificeationem ipsam, seu actionem per quam res aliqua offertur, sacrum aliquid circa illam efficiendo”.²⁵

“Dicendum est enim sacrificium constitui in genere signi sacri. . . Tota ratio honoris et cultus talis actus in significatione consistit, scilicet, quia per talem actum homo significat existimationem quam de Deo habet, et submissionem animi sui ad ipsum, vel aliquid huiusmodi.”

De sacrosancto missæ sacrificio, c. 6, Antuerpiæ, 1574, p. 97.

²³ Ibid., c. 7, p. 112 sq.

²⁴ Opera omnia, Parisiis, 1856-1861, Tract, de missæ sacrificio, disp 73, sect. 1, n 2, p. 602.

²⁵ Ibid., n. 3, p. 602.

“Sacrificium fit in significationem et protestationem divinae excellentiae ac supremi dominii Dei. Hoc autem expressius significatur, quando res aliqua ita offertur ut in illius honorem immutetur, seu consumatur, vel *aliquid aliud sacrum fiat.*”²¹

“Ex his ergo constat . . . qualis esse debeat actio quae rationem oblationis in sacrificio habet; in communi enim solum dicere possumus, debere esse actionem *consecrativam* aliquo modo rei oblatae, et *immutativam* ejus. Ita *D. Thom.*, dicta solutione ad 3, dicens: Sacrificia proprie dicuntur *quando circa res Deo oblatae aliquid fit.*”²³

“[Sacrificium] nec significat quemlibet actum sacerdotis, sed potissimum ac supremum actum ejus, qui consistit in oblatione aliqua, in qua sacrum aliquid in honorem Dei *conficiatur.*”²⁹

“Cum enim homo animo et corpore constet, non solum internis actibus, sed etiam externis, et rebus ipsis sensibilibus Deum colere debet, ejusque dominium et principatum confiteri: quod fit accommodatissime, dum res aliqua ita Deo offertur, ut in ejus honorem *immutetur* seu *conficiatur.*”³⁰

“Oportet rationem veri et proprii sacrificii ex dictis colligere, quae duobus modis tradi potest. Unus est, per modum physicae definitionis, ex materia et forma constantis, ita ut sacrificium sit: Oblatio facta Deo per immutationem alicujus rei in signum legitime institutum divinae excellentiae et reverentiae. . . Alter modus definiendi esse potest, si dicamus: Sacrificium est signum sensibile ad divinam excellentiam et cultum illi debitum immediate significandum impositum, per alicujus rei immutationem.”³¹

“Quod quidam aiunt necessarium esse ut haec actio talis sit ut per eam res oblata interficiatur seu pereat: quamvis ita sit secundum frequentiore usum . . ., nihilominus tamen non fuit hoc ita perpetuum et necessarium quin absque hujusmodi actione, vel tanta immutatione, interdum legamus sacrificium oblatum. Melchisedech enim, Gen., vii, sacrificium Deo obtulit in pane et vino, ubi non legimus immutationem aliquam factam circa rem oblata, nisi fortasse quod panis ille et vinum *aliqua externa demonstratione* oblata sunt Deo *cum aliqua benedictione, seu elevatione*, vel fractione et distributione, ac sumptione per modum cibi et potus sanctificati; et in Levitico similia sacrificia reperientur, praesertim in panibus propositionis et aliis sacrificiis ex similia et hujusmodi. *Semper tamen aliqua immutatio in re oblata reperietur*, quia hoc modo, ut dixi, expressius significatur

r' Ibid., sect. 5, η. 4, p. 614.

Λ Ibid., η. 5, p. 614.

31 Ibid., sect. I, n. 2, p. 602.

50 Ibid.

“Ibid., sect. 6, n. 3, p. 617.

Deum esse omnium auctorem. Ergo in genere hoc. satis est dicere actionem illam debere esse aliquo modo consecratiuam et immutatiuam rei in Dei honorem.”³²

“*Sola consecratio* est sufficiens, et de se apta, ut possit imponi ut in ea tota essentia alicujus sacrificii consistat. Haec conclusio videtur mihi certissima, quia in consecratione potest fundari tota significatio, tam mystica, quam moralis, ad sacrificium sufficiens. Ergo illa per se est apta, ut in ea ponatur tota essentia sacrificii.”³³

“In omni sacrificio, in quo aliqua res destruitur in honorem Dei. est aliqua res oblata per modum materiae sensibilis, circa quam actio sacrificandi versatur, quae per eandem actionem aliquo modo transmutatur. Ergo similis materia reperitur etiam in hoc sacrificio. Haec autem non est alia, nisi panis et vinum.”³⁴

“[Consecratio] potest etiam imponi in recognitionem supremi cultus Deo debiti, ut auctori rerum omnium, quatenus per hanc actionem fit mirabilis quaedam et supernaturalis rerum immutatio, in hunc finem ut Deo offeratur, seu in honorem ejus in altari ipsius praesens fiat, res nobilissima maximeque illi grata, quae est Christus Deus homo. Ergo est sufficiens de se illa actio ut integra ratio et significatio sacrificii in ea fundetur; ergo ut imponatur, ut sit tota essentia sacrificii.”

“Est autem hic . . . valde notanda differentia inter hoc sacrificium et alia antiqua. Nam in illis materia sacrificii erat res principalis oblata, cujus destructio erat etiam praecipue intenta in cultum Dei. Hic vero, non materia, sed terminus sacrificeationis est res praecipue oblata; et destructio materiae non est tam per se intenta sicut effectio termini ad quem tendit actio; nam desitio panis tantum est quasi via ad introductionem corporis Christi. Ratio autem hujus differentiae sumenda est . . . ex modo actionis tendentis *magis ad efficiendum quam ad destruendum.*”³⁰

“Recte . . . responsum est, ad rationem sacrificii potuisse sufficere transmutationem panis et vini in corpus et sanguinem Christi, quae per consecrationem fit; et ad primam replicam in contrarium respondetur: Hoc esse singulare et excellens in hoc sacrificio, quod *per se primo potius est propter efficiendum quam propter destruendum.* In omni enim sacrificio quod per realem immutationem fit. invenitur destructio alicujus rei oblatae, ex qua necessario resultat aliud, quasi consurgens et oblatum in honorem Dei. Est tamen differentia inter vetera sacrificia et hoc nostrum, quod illa, quia erant imperfecta et fiebant per actiones

Ibid., sect. 5, η. 5, p. 615.

" Ibid., disp. 75, sect. 5, η. -I, p. 666.

' Ibid., sect. 1, η. 11, p. 653.

" Ibid.

* Ibid., η. 12, p. 653.

mere naturales et humanas, potissimum consistebant in destructione alicujus rei, per quam significabatur Deum esse auctorem omnium, vel aliquid simile. Unde, quod principaliter offerebatur, erat res illa interficienda vel destruenda in Dei honorem; *consequenter etiam*, quod inde resultabat offerebatur in honorem Dei, seu *incendebatur in odorem suavissimum Domino*, ut saepe dicitur in Levitico. At vero in nostro sacrificio, quia per actionem supernaturalem et divinam perficitur, licet substantia panis et vini destruat, tamen, *quod potissimum intenditur est effectio et praesentatio* (ut sic dicam) corporis et sanguinis Christi super altare Dei in honorem ejus. Et ideo res oblata in hoc sacrificio principaliter ac simpliciter est Christus, qui est terminus talis actionis.”³⁷

Arriaga († 1667) :

“An . . . vox haec sacrificium significet consumptionem rei oblatae. In qua quaestione si auctores scholasticos consulamus, plures sunt qui eam consumptionem requirunt; licet hi ipsi non omnino in eo puncto conveniant. . . Ego, licet in quaestione de nomine videatur tuenda sententia communior, ob dicenda tamen puto longe probabiliorem contrarium, quae *non requirit physicam immutationem, sed solum moralem, rei sacrificatae.*”³⁸

“Probatur nostra sententia. Primo quia, ut videbimus infra, multo commodius per eam ostenditur quo pacto Christus in altari sacrificetur. . . Secundo in Scriptura aliqua sine ea immutatione (sacrificium zelotypiae, Melchisedech, hirci emissarii). . .”³⁹

“Licet in multis sacrificiis legis mosaicae intervenerit consumptio rei, non tamen proprie illam consumptionem fuisse sacrificeationem, sed positivum id quod post consumptionem resultavit. Gravior enim fuit Deo in ratione sacrificii *flamma et nidor ex consumptione victimae proveniens*, quam ipsamet victimae seu animalis occisio. . . Ac proinde sacrificium Deo gratissimum non fuisse bovis mactationem, sed *odorem et flammam inde resultantem*. Haec autem productionem significant formaliter, non destructionem (Levit, i, 17; xvii; Num., xv, 18 etc.). Deinde infero: Esto praecesserit destructio rei, formaliter tamen loquendo, non in ea constitisse sacrificium, sed *in positiva actione inde resultante*; ac proinde *magis propriam videri actionem positivam quam destructivam pro sacrificio, vel certe aequalem esse*”.⁴⁰

Dc Condren (-f- 1641):

“Si vous me demandez ce qui restait de ce corps immolé en la croix, après la

³⁷ Ibid., sect. 5, n. 2, p. 66S.

³⁸ Disp, theol. in III partem S. Thomae, disp. 49, sect. 3, Lugduni, 1669, t. 7, p. 521.

* Ibid., p. 522.

⁴⁰ Ibid., p. 523.

destruction de sa vie humaine, pour être consumé, comme il restait quelque chose aux sacrifices anciens, je vous diray que c'est l'organisation du corps d'Adam tout ce qu'il avait de bas et de terrestre, et la ressemblance de la chair du péché. La consommation, consommation et inflammation du corps de Jésus-Christ, comme victime, s'est donc faite en sa résurrection: 'resurrexit per gloriam Patris' [Rom 6, 4]. Il a été ressuscité par ce feu divin de la gloire du Père, qui a consommé tout ce qui était indigne de Dieu dans le corps de Jésus-Christ. . . L'inflammation du sacrifice de la loi nouvelle, qui est sans comparaison plus parfaite, et n'est plus en figure, mais en vérité, s'est faite en sorte que la victime n'est pas changée seulement en la représentation de Dieu, mais est comme changée en Dieu même sans rien perdre néanmoins de la vérité de la nature humaine. C'est en la résurrection que cette sacrée victime, qui est Jésus-Christ, est dégagée de tout ce qu'elle avait de terrestre et de vil, est toute revêtue et toute pénétrée d'une gloire telle qu'elle convient au Fils unique du Père, est donnée à Dieu, mise dans le sein de Dieu même, dans un état tout divin".⁴¹

Olier (J- 1657) :

"Non content de s'être immolé sur le Calvaire et d'y avoir perdu la vie, voyant qu'il lui restait encore quelque chose de l'être infirme qu'il avait reçu de sa mère, il voulut le consommer entièrement au jour de sa sainte résurrection. C'est de la sorte qu'il porte sa religion au plus haut point où elle pouvait aller; car il ne sacrifie pas seulement une portion de lui-même, mais il s'offre d'une manière si entière et si parfaite qu'il ne lui reste plus rien de lui qui ne soit consommé dans la gloire de son Père, et pour ainsi dire anéanti dans ce feu dévorant dont il est dit: 'Deus noster ignis consumens est' [Hebr. 12, 29]. C'était alors une religion parfaite que celle de Jésus-Christ, qui s'anéantissait tout soi-même en son Père, et retournait ainsi entièrement en Dieu, comme la religion le demande. Car ce n'est pas assez de mourir à soi, et de s'anéantir: pour faire un sacrifice parfait, il faut que la victime retourne en Dieu. . . Cela s'est fait en Notre-Seigneur au jour de sa résurrection, où, non content d'être mort, et de s'être privé de la vie pour l'amour de son Père, il a voulu se consommer totalement en Dieu et retourner en lui; il a voulu entièrement périr à son premier état, et cesser d'être à cette première vie et à cette première génération, qui l'assujettissait aux infirmités de la chair, et qui lui faisait porter la ressemblance du péché".⁴²

"Ce que le Père éternel a fait en son Fils le saint jour de Pâques, savoir de le consommer en lui, c'est proprement l'acte du sacrifice, que le prêtre continue de faire tous les jours à l'autel; car il engendre et il produit Jésus-Christ consommé en son Père; et pour continuer de le produire tous les jours, ce ne laisse pas d'être un vrai sacrifice; comme le Père, pour continuer la génération de son Verbe, ne laisse pas de l'engendrer encore à tout moment".⁴³

Scheeben (-f. 1888) :

"La destruction du pain et du vin n'est pas une destruction pure et simple, réduite à elle-même: c'est une destruction destinée à faire place à une substance nouvelle et plus haute, donc une destruction qui s'achève en une transformation, et ne trouve que là sa signification. Or cette signification est toute en ceci, que la transformation surnaturelle opérée signifie et réalise notre propre alliance surnaturelle avec le sacrifice de l'Homme-Dieu."⁴⁴

" L'Idée du sacerdoce et du sacrifice de Jésus-Christ, 2 part., n. 20, Paris, 1677, p. 94 sq.

4: Traité des saints ordres, 3 part., ch. 5, Paris, 1831, p. 383-385.

41 Explication des cérémonies de la grand'messe de paroisse, l. 7, c. 2, Paris, 1858, p. 394.

"Die Mysterien des Christentums . . . , Freiburg i. B., 1898, p. 448 sq., apud *I.cpin*, L'idée du Sacrifice de la Messe, Paris, 1926, p. 578.

Schatz (f 1905) :

“C'est sous l'influence de la discussion avec les Réformés que l'idée de destruction a remplacé, dans la définition du sacrifice, celle de simple immutation. On est, au contraire, d'accord avec l'Écriture et avec toute la tradition antérieure à la fin du xvi siècle, si, au lieu de cette idée de destruction, on s'en tient à une idée large d'immutation, et si l'on met en relief le dessein d'union à Dieu.”⁴⁵

“[Le sacrifice est] l'offrande d'un présent tiré de nos biens, lequel, par sa consécration, passe au domaine de Dieu, et, par une certaine transformation, généralement par l'effusion et la combustion, est accepté de Dieu, sanctifie l'offrant et le fait entrer dans la société de Dieu”⁴⁵

“On veut à tout prix trouver dans l'Eucharistie un anéantissement, une espèce de mise à mort, qui en fait ne s'y laisse pas apercevoir. C'est assez qu'il y ail une commémoration et représentation, 'memoria et repraesentatio', du sacrifice de la croix, par le Christ glorifié; il y a une immutation suffisante dans la consécration du corps et du sang du Christ sous les espèces séparées, et l'offrande pleinement agréable qui en résulte de l'homme-Dieu lui-même.”¹⁷

Contra hanc sententiam haec peculiariter notentur:

In ipsa manifeste apparet quaedam attenuatio et quidam recessus a doctrina communi et traditional! (ut concedit ipse Arriaga) eo fine ut commode vitetur difficultas inveniendi aliquam rationem destructionis in sacrificio eucharistico et in ipsa transsubstantiatione.

Hic ipse finis qui intenditur aegre obtinetur. Nam praedicti doctores coguntur retinere aliquam destructionem, puta substantiae panis et vini, praeter actionem perfectivam corporis et sanguinis Christi. Ex quo impingunt in novam difficultatem, explicandi scilicet in quo sacrificium eucharisticum consistat, an v.g. in destructione panis (qui tamen non est propria materia seu victima sacrificii), an in productione corporis Christi (quod tamen nulli destructioni subicitur), an simul in utraque (ex quo videtur sequi duplex esse sacrificium, alterum in pane, alterum in corpore Christi, cum destructio panis et productio corporis Christi sint formaliter aliud et aliud, quantumvis ad invicem ordinentur).

Modus parum firmus et indeterminatus, quo isti doctores loquuntur, non est magnum indicium veritatis. Id patet praecipue apud Suarez et Arriaga qui procedunt ex ipsa communi definitione sacrificii-destructionis ut eam deinde sic evacuent et extenuent ut nullus in ea amplius maneat conceptus non solum destructionis sed verae immutationis.

Non videtur quomodo conceptus productionis vel effectiois, qualis, seu abstrahendo a ratione destructionis, determinet conceptum oblationis ad significandum immediate divinum dominium, quod, juxta sensum traditionalem, est proprium significatum sacrificii.

⁴⁵ *Lehrbuch von den heiligen Sakramenten der katholischen Kirche*, Freiburg i. B., 1893, p. 482, apud *Lepin*, op. cit., p. 654.

¹⁷ “Opfer, in *Kirchenlexikon*, t. 9, 1895, apud *Lepin*, l. c.

411. *Lehrbuch von den heiligen Sakramenten . . .*, Freiburg i. B., 1893, p. 482, apud *Lepin*, op. cit., p. 655.

Nec valet cum Scheeben et Schanz dicere proprium significatum, vel potius finem, sacrificii esse intimam unionem cum Deo. Nam hic est tantum finis remotus sacrificii et religionis, proxime vero est finis charitatis. Religio enim ordinatur directe et immediate ad finem divinae reverentiae per agnitionem divini dominii, qui actus subinde per charitatem ordinatur ad unionem cum Deo. Cum autem omne opus, quo ad unionem divinam tendimus, implicite aut eminenter cedat in divinam reverentiam, *Augustinus in obiecta definitione*, generaliter et *improprie* accipiens rationem sacrificii, docet omne tale opus esse sacrificium, et quidem *verum sacrificium*, seu in se quodammodo continere id quod est *proprius et specificus finis sacrificii* (cf. 2-2, q. 85, a. 2; a. 3, ad 2; cit. in p. 789).

Ad rem S. *Thomas*, explicans definitionem Augustini: "Hoc ipsum quod Deo quadam spirituali societate volumus inhaerere, ad divinam reverentiam pertinet; et ideo cujuscumque virtutis actus rationem sacrificii accipit ex hoc quod agitur ut sancta societate Deo inhaeremus" (2-2, q. 85, a. 3, ad 1).

TERTIA SENTENTIA docet ad rationem sacrificii non requiri ullam physicam immutationem, sed *sufficere immutationem improprie dictam seu moralem*, consistentem in aliquo ritu sacrificio seu in externa aliqua demonstratione, qua significetur rem oblatam fieri moraliter sacram et divino usui reservatam, puta in aliqua benedictione, vel elevatione, vel manuum impositione.

Ita praecipue *Suarez* et *Arriaga*, qui in quibusdam locis modo citatis hanc potius quam secundam sententiam amplectuntur.

Eos praeivit *Maldonatus* (t 1583) scribens: "Possumus igitur ex sacris litteris hanc definitionem colligere veri sacrificii: Sacrificium est oblatio sensibilis rei sensibilis, facta soli Deo, ad agnitionem humanae infirmitatis ac naturae, et ad professionem divinae majestatis, a legitimo ministro, *ritu aliquo mystico*. Cum dicimus fieri debere ritu mystico, declaramus generalem formam sacrificii, quae semper *consistit in aliqua caeremonia habente aliquid mysterii*, sicut erat illa in sacrificio pro peccato, *ut sacerdos imponeret manus super caput victimae*.

Contra hanc sententiam haec notentur:

Ipsa proponitur ut ultimum effugium ad solvendam apparentem contradictionem inter traditionalem definitionem sacrificii-immutationis et realitatem sacrificii eucharistici in quo non videtur ulla inveniri physica immutatio rei oblate.

"Opera varia theologica, De sacramentis disputationes, De Euch., 3 pars, Lutetiae Parisiorum, 1677, coi. 217.

Moralis immutatio, quae invocatur, nihil revera addit ad oblationem, nam per ipsam oblationem sufficienter demonstratur rem divino usui reservari.

Juxta S. *Thomam* ipsa moralis immutatio quae additur quibusdam oblationibus per consecrationem seu benedictionem Ecclesiae (puta cum benedicuntur vestimenta sacra vel consecrantur vasa sacra a fidelibus oblata) non mutat rationem simplicis oblationis. Ait enim: 'Oblationes, postquam fuerint consecratae, non possunt cedere in usum laicorum; sicut vasa et vestimenta sacra. . . Illa vero quae non sunt consecrata, possunt in usum laicorum cedere ex dispensatione sacerdotum, sive per modum donationis, sive per modum venditionis" (2-2, q. 86, a. 2, ad 3).

QUARTA SENTENTIA reponit *totam essentiam sacrificii in sola ratione oblationis*, ita ut *immutatio* quaelibet, sive physica sive moralis, et a fortiori destructio (cum datur), sit elementum extrinsecum, quamvis forte necessario requisitum *per modum conditionis* ad hoc ut fieri possit oblatio.

Hanc sententiam, quam indirecte praepararunt duae praecedentes opiniones, magis vel minus signanter proposuerunt quidam auctores moderni, ut *Lepin*,⁹ *De la Taille* (?),¹⁰ 7. *Grivet*,¹¹ *Batiffol*;¹² *J. Rivière*,¹³ *D'Alès*,¹⁴ *A. Gaudel*¹⁵

Doctrina et rationes propositae a Lepin, praecipuo defensore huius doctrinae, breviter exponuntur¹⁶ ac refelluntur:

a. Sacrificium consistit essentialiter in oblatione (Theoria sacrificii-oblationis). Differt tamen a simplici oblatione quatenus *prae-reqyirit aliquam actionem*. Per simplicem oblationem res tantum offertur seu praesentatur Deo ad significandum supremum eius dominium: per sacrificium vero res datur Deo effective ac pragmatice, seu veluti sensibiliter transfertur in dominium Dei, ad significandum quod homo se offert personaliter Deo ut ei uniatur (p. 739 sq.).¹⁷ Mutatio vel

** L'idée du sacrifice dans la religion chrétienne, principalement d'après, le P. de Condren et M. Olier. Paris-Lyon, 1897. L'idée du sacrifice de la messe, d'après les théologiens depuis l'origine jusqu'à nos jours, Paris, 1926. La messe et nous, Paris, 1937.

⁹ "Mysterium Fidei (l. 1, cap. 1 De sacrificio in genere), Paris, 1931, p. 3 sqq.

¹⁰ "La messe de la terre et la messe du ciel, Paris, 1917, p. 24.

¹¹ Leçons sur la messe, Paris, 1919, leç. 6, p. 188.

¹² "Un nouveau système sur l'essence du sacrifice de la messe, in *Revue des Sciences religieuses*, janv.-mars, 1921.

¹³ MDC SS. Eucharistia, thés. 6, Parisiis, 1929.

¹⁴ "In Diet. Théol. Cath., art. Sacrifice, col. 672 sqq.

¹⁵ Juxta opus citatum "L'Idée du Sacrifice de la Messe. . ."

¹⁶ "La simple oblation consiste dans l'offrande à Dieu de biens reçus de lui: ainsi des premiers fruits de la terre, ou prémices; et par cette offrande, l'homme se contente de marquer le souverain domaine de Dieu sur tout ce qu'il possède. Le sacrifice est une

destructio rei, quae fit in variis sacrificiis, est tantum *extrinseca conditio* oblationis in qua sacrificium essentialiter consistit (p. 730. 736. 741. 751, et alibi passim).

Critica.

Assignata distinctio inter oblationem simplicem et oblationem sacrificalem minime intelligitur. Nam per quamlibet oblationem significatur sensibiliter et effective rem transferri in dominium Dei, cum ipsa oblatio sit quaedam actio sensibilis. Ad quid ergo requiritur alia actio, praeter ipsam oblationem, ad talem significationem exprimendam?

b. *Termini* qui apud varios populos adhibentur ad significandum sacrificium sonant oblationem (p. 676 sq.). Ita apud *Latinos*: oblatio et offerre; apud *Graecos*: προσφορά (oblatio) et προσφέρω (offerro); θυσία et θύω} quorum radix θυ, ut apparet ex derivato θυμίαμα (incensum, thus, thymiama), importat conceptum boni odoris; apud *Hebraeos*: higerib (forma hiphil verbi qârab = appropinquare) i.e. offerre, praesentare, ex quo qorbân (oblatio seu sacrificium, tam incruentum quam cruentum); minchah (donum; sic vocabantur sacrificia incruenta); 'olâh (holocaustum, nomen proprium perfectissimi sacrificii), i.e. quod ascendit, ex radice alah (ascendere), ex qua forma hiphil hé 'élâh (facere ut ascendat).

Critica.

Haec ratio nihil probat in favorem sententiae Lepin. Nam imprimis sacrificium pertinet ad genus oblationis; imo immutatio, quam diximus requiri ad rationem sacrificii, non alia ratione requiritur quam ad determinandum ipsum conceptum oblationis ita ut significetur talis oblatio quae debetur Deo ut supremo domino; inde non mirum est sacrificium aptissime exprimi vocibus quae oblationem sonant.

Praeterea non rarae sunt voces quibus ipsa immutatio et destructio

offrande semblable, mais qui comporte d'abord une action et comme un petit drame. La chose sacrifiée n'est pas seulement présentée, elle est donnée effectivement à Dieu, et comme transférée en sa jouissance d'une manière sensible. D'autre part, on peut dire qu'en faisant cette donation effective ou pragmatique, l'homme témoigne sensiblement qu'il se donne lui-même personnellement à son Créateur, dans l'intention de le glorifier et de réaliser avec lui l'union parfaite pour laquelle il a été créé. Ainsi se justifie la belle formule de S. Augustin, devenue traditionnelle: 'le sacrifice visible', ou *rituel*, est 'le signe du sacrifice invisible', qui est le sacrifice *personnel* ou *direct*."

Ad rem etiam *Gaudel* (l. c., c. 678): "Tout sacrifice est une oblation sensible; mais toute oblation n'est pas un sacrifice. Il faut donc définir l'élément spécifique par quoi la simple offrande se différencie du sacrifice. Le mot oblation évoque l'idée de la simple présentation d'une chose offerte spontanément à Dieu; le sacrifice impliquera plus que cette simple présentation, mais une manière d'offrir, une *action sacrée*, qui, en vertu de l'usage, ou d'une institution humaine ou divine, sera significative d'hommage réservé à Dieu."

Ad rem compendiose *Grivel* (l. c., p. 22): "Le sacrifice est une oblation dans un geste religieux".

significatur. Ita apud *Hebraeos*: zâbakh (occidere) et shâkhat (jugulare); apud *Graecos*: θυσία (aθύω, quod juxta primitivam acceptionem significat: cremando immolare, juxta derivatam vero: immolare, sacrificare, animal mactare;⁵⁸ vox quoque θυμίαμα originalem sensum suffimenti seu combustionis, adeoque destructionis, importat), Ολοκαύτωμα (ex ολο-καυτό = totus combustus);⁶⁰ apud *Latinos*: victima (a vincio), hostia (ab hostio seu ferio), immolatio (immolo, ex: in [super] et mola; sensu derivato dicta est mola ipsa farina; hinc immolare significavit aspergere farinam super caput victimae sacrificii, et subinde sacrificium offerre, occidere victimam sacrificalem), sacrificium i.e. factio sacri.

c. *Ex analyst antiquorum sacrificiorum* ostenditur immolationem non esse de essentia sacrificii, nam nulla erat immolatio in sacrificiis incruentis; combustio enim substantiae solidae super altare et effusio libationis vini circa altare non correspondebat actui destructionis et occisionis animalis, seu immolationis, sed subsequenti combustioni carnum super altare quae erat ipse actus oblationis (p. 678).

Critica.

Ex hoc quod in sacrificiis incruentis non haberetur praevia quaedam destructio rei oblatae, quemadmodum in cruentis, non sequitur ea non constitisse in immutatione seu destructione, nisi probetur ipsam combustionem vel effusionem (quae erat quaedam realis vel aequivalens destructio) non pertinuisse ad rationem sacrificii.

Ex ipso examine sacrificiorum antiquorum *Lagrange* concludit: “L’immolation est la différence spécifique qui fait de l’offrande un sacrifice . . . ; les anciens n’ont jamais pensé que l’immolation fût secondaire dans le sacrifice. Elle en est l’acte central, nous l’avons vu par l’examen des faits”.⁶⁰

d. *Sacrificium Crucis* non consistit in immolatione seu in ipsa passione et morte Christi, sed in oblatione seu donatione facta a Christo patienti et morienti; nam sacrificium est actus ponendus ab ipso sacerdote, causa vero passionis et mortis Christi non fuit ipse Christus sed milites et Judaei (p. 740 sq.).

Critica.

Ut notatum est supra, sensus Ecclesiae et Traditionis est ipsam passionem et mortem Christi fuisse sacrificium; unde sacrificium Crucis integratur ex oblatione a Christo facta sui corporis ac suae vitae et ex ipsa eiusdem immolatione ab eodem Christo volita, seu non physice sed moraliter facta.

Cf. *Zorell*, *Lexicon Graecum Novi Testamenti*.

“ Cf. *Zorell*, op. cit.

“ Les religions sémitiques, Paris, 1903, p. 279.

Ad rem S. *Thomas*, 3 p., q. 22, a. 2, ad 1: “Christus non se occidit, sed seipsum voluntarie morti exposuit, secundum illud Isa. liii, 7: Oblatus est, quia ipse voluit”; et ideo dicitur seipsum obtulisse.” Ibid., q. 47, a. 4, ad 2: “Passio Christi fuit sacrificii oblatio, in quantum Christus propria voluntate mortem sustinuit ex charitate”. Ibid., q. 48, a. 3: “Christus . . . ‘seipsum obtulit in passione pro nobis;’ et hoc ipsum quod voluntarie passionem sustinuit, Deo maxime acceptum fuit. . . Unde manifestum est quod passio Christi fuerit verum sacrificium.”

e. *Conceptus sacrificii-immutationis est quid ignotum antiquis theologis et ipsi S. Thomae*, sed incoepit saec. 16 post Cone. Tridentinum, cum theologi, ut responderent Protestantibus negantibus Missam esse verum sacrificium quippe quae nullam importet Christi immutationem vel destructionem, loco negandi suppositum obiectionis, conati sunt invenire aliquam immutationem in sacrificio eucharistico ac coeperunt introducere conceptum immolationis in ipsa generali definitione sacrificii.

Viam aliis aperuit *Ruardus Tapper* († 1559) qui generalem expressionem S. Thomae “Sacrificia proprie dicuntur quando *circa res* Deo oblatas illiquid fit” arbitrarie interpretatus est de quadam *intrinseca* immutatione rei oblatae, scribens: “Nec tantum in sacra Eucharistia vera est oblatio, sed et verum sacrificium proprie dictum, quod fit quando id quod offertur intrinsecus afficitur aliqua qualitate vel nova dispositione.”⁰¹

E contra conceptus sacrificii-oblationis est vera doctrina traditionalis (cui apprime convenit ipsa definitio tridentina), obscurata quidem apud multos inde a saec. 16 sed substantialiter transmissa ab aliis, praecipue in *schola gallica Oratoriana et Sulpitiana* saec. 17-19, et favorabiliter accepta a pluribus modernis, inter quos praecipue *Pesch et De la Taille*, qui “se prononcent nettement pour l'idée du sacrifice-oblation” (p. 727-737).

Critica.

Conceptus *sacrificii-immutationis* essentialiter continetur in definitione S. *Isidori* (“Sacrificium dictum, quasi *sacrum jactum*”), ex qua procedunt posteriores definitiones ac signanter definitio S. *Thomae* quam, ut diximus supra (p. 798), Lepin modo arbitrario interpretatur.

Nec aliter videtur frequenter interpretari *alios doctores* quos citat pro sua sententia (in p. 729 sq.). Nam cum illi dicunt sacrificium consistere in oblatione ipse hoc intelligit in sensu exclusivo. cum vero

⁰¹“Explicatio articulorum . . . , art. 16, Opera, t. 2, p. 253, coi. 2.

loquuntur etiam de immutatione, ipse interpretatur hanc esse tantum extrinsecam conditionem.

Jamvero, si excipiantur pauci illi moderni quos pro hac sententia modo citavimus, omnes alii videntur manifeste includere in essentia sacrificii conceptum alicuius immutationis, quamvis loquantur vel de mutatione morali (Suarez, Arriaga), vel de mutatione non destructiva (Suarez, Arriaga, De Condren, Olier, Thomassinus, Schanz), vel de mutatione non necessario physica sed saltem mystica uti contingit in Eucharistia (De Berulle, De Condren, Bossuet, Juénin, Le Brun, Babin, Natalis Alexander, Calmet, Benedictus XIV, Gosselin, Pesch), vel dicant oblationem esse elementum formale sacrificii, mutationem vero elementum materiale (Bouvier, Pesch), vel coniungant oblationem Missae cum mutatione seu immolatione Crucis (De Berulle, Bouvier, Bonal, Klee, Pesch).

En quaedam definitiones quas de sacrificio in genere hi doctores afferunt:

De Condren: “Le sacrifice étant institué pour reconnaître Dieu comme auteur de tout l'être, et pour honorer son souverain domaine sur l'être, il demande la consommation et la destruction entière de l'être. . . De sorte que la mort n'est proprement qu'une représentation de cette entière destruction de l'être, qui devrait se faire dans le sacrifice, en hommage de l'être divin et de son domaine sur tout l'être créé” (apud Lepin, p. 471).

“L'immolation se trouve aussi dans la messe; car Jésus-Christ y est immolé, non pas d'une manière sanglante, mais d'une occision sacramentale et mystérieuse. . . Il est vraiment dans la messe l'Agneau mis à mort: 'Agnus occisus': et nous pouvons dire que Jésus-Christ est en état de mort dans le saint Sacrement, à cause qu'il n'a plus la vie qu'il avait sur la terre: outre les autres manières qui se trouvent dans les théologiens, comme de ce qu'il ne fait aucune action extérieure de vie ni aucun usage de ses sens et de son corps” (apud Lepin, p. 478 sq.).

Thomassinus: “Sacrificium quodeumque victimae immutatio est. Duplex est autem mutatio: altera in defectionem, altera in profectum. . . Plenissima hominis totius immutatio fit per resurrectionem. . . Hoc igitur Deo suavius accommodatiusque sacrificium erit” (apud Lepin, p. 502).

Juénin: “Sacrificium stricte sumptum definitur: Oblatio externa, soli Deo facta, qua in testimonium supremi illius dominii a legitimo ministro res aliqua sensibilis et permanens ritu mystico consecratur ac mutatur. . . Dicitur . . . ac mutatur: cum enim sacrificium fit in testimonium supremi dominii Dei, par est ut per rei oblatae mutationem, aut mystice aut physice factam, supremum illud dominium significetur” (apud Lepin, p. 543 sq.).

Le Brun: “Dans les holocaustes et dans les sacrifices pour les péchés et pour les délits, la victime était immolée et égorgée; elle changeait d'état. Ici le pain et le vin sont changés au Corps et au Sang de Jésus-Christ, qui est immolé et comme en état de mort sur l'autel, parce qu'il est privé des fonctions de la vie naturelle qu'il avait sur la terre, et parce qu'il y est avec des signes de mort par la séparation mystique de son Corps d'avec son Sang” (apud Lepin, p. 545 sq.).

Natalis Alexander: “Sacrificium definitur: Oblatio externa, soli Deo facta, qua in recognitionem supremi ejus dominii, a legitimo ministro res aliqua sensibilis et

permanens ritu mystico consecratur et mutatur. . . Res oblata mutari debet ac re ipsa, seu modo quodam mystico destrui, ut ratio sacrificii constet, quo Deum supremum vitae nostrae dominum profiteamur et colamus' (apud Lepin p. 549

Calmet: "Le sacrifice diffère de la simple oblation, en ce que dans le sacrifice il faut qu'il y ait changement réel ou destruction dans la chose offerte, au lieu que l'oblation n'est qu'une simple offrande du don" (apud Lepin, p. 552).

Benedictus XIV: "Docent theologi omnes sacrificium oblationem esse rei sensibilis cum ejus destructione vel immutatione (non enim in sacrificio semper opus esse destructione, sed satis esse immutationem, ut ex sacrificio capri emissarii intelligitur . . .); oblationem esse Deo factam in recognitionem ejus supremi domini; demum oblationem esse ritu mystico consecratam" (apud Lepin. p. 557 ».

Bouvier: "A multis definitur: Oblatio externa rei sensibilis, divinitus instituta soli Deo per ministrum legitimum facta, cum destructione rei oblatae vel aliqua ejus immutatione, ad recognoscendum supremum Dei dominium in omnes creaturas."

"Haec autem definitio, si applicetur propriis terminis sacrificio missae, non caret difficultatibus."

"Quaedam proferuntur difficultates ex ratione petitae, scilicet ex eo quod immutatio victimae ad constituendum sacrificium requisita, in missa reperiri nequeat."

"Ideo alii ad definitionem et distinctionem a Vasquezio datam recurrunt. . . His positus difficultas facile solvitur."

"Habetur in illo sacrificio quidquid sacrificium commemorativum constituit Non enim in hujusmodi sacrificio requiritur immolatio et immutatio realis. sed ea sufficit quae praecessit in sacrificio absoluto; quia non sunt duo sacrificia, sed unum et idem sacrificium, quod, semel in cruce peractum, quotidie iteratur mystice in sacrificio altaris et commemoratur" (apud Lepin, p. 579).

Bonal citatus supra (p. 796).

Sauvé (loquens de oblatione Christi in coelo): "Ces choses demeureraient vraies, alors même, comme il est à craindre, que ni l'idée ni le mot de sacrifice, consacré sur la terre à exprimer surtout l'immolation, ne leur conviendrait strictement" (apud Lepin, p. 631).

De sententia De Condren, quem Lepin ponit veluti ad caput totius *scholae gallicae Oratorianae et Sulpitiana*, in qua, ut ipse ait, servata et transmissa est traditionalis sententia sacrificii-oblationis, scribit /1. *Michel*:

"Rien de particulier dans la doctrine du P. de Condren n'autorise à classer cet auteur parmi les défenseurs du concept de sacrifice-oblation dans le sens exclusif où nous l'avons exposé. Le P. de Condren, comme le cardinal *de Berulle*, retient la thèse de l'essence du sacrifice eucharistique placé dans l'acte de la consécration, en tant que cet acte contient l'oblation de Jésus placé sous un état de mort par l'immolation mystique. . . Nous avons la doctrine courante au xvii^e siècle, telle que *Bossuet* l'a si exactement exposée."®'

" In Diet. Théol. Cath., art Messe, col. 1202.

Sententia De la Taille, fatente Lepin (mox citando), clara non est.

In textu enim supra citato (p. 797) ait in sacrificio latreutico non requiri *destructionem* rei oblatae, requiri vero in sacrificio expiatorio.

Immediate autem subiungit:

“Ex praedictis consequitur, non integrari sacrificium ipsa *immutatione*, vel, quatenus locum habeat, *destructione* rei; sed rei quantumlibet immutatae vel etiam destructae requiri omnino quamdam oblationem ad Deum, eamque sensibilem, ritualement, liturgicam (id est opus liturgi exhibentem, sine quo nulla est litatio). Quae quidem sensibilis oblatio non necesse est ut semper ab immutatione rei realiter distinguatur, sed sufficit, si, ut nonnunquam contingit, ex adjunctis externis censeatur ipso ritu *mactativo* vel quomodolibet *immutativo* implicata” (Mysterium Fidei, Parisiis, 1931, p. 11).

“Sacrificium ergo integratur proprie ex duobus: nimirum et actu (externo) offerendi et immolatione, quippe quia victima *vel offeratur immolanda, vel offeratur immolatione, vel offeratur immolata*. Neque oblatio, neque immolatio, secundum se solam sumpta, sufficit ad statum victimae conferendum, sed requiritur utraque” (ibid., p. 11 sq.).

“Vox quippe *sacrificare* nominat actum sacerdotis sacrificantis, id est donum facientis aut deferentis Deo, et pro tanto ponit in recto oblationem, nec nisi in obliquo immolationem seu mactationem. Ad verum igitur sacrificium sufficet ut *offeratur* aliquid *aut tanquam immolandum aut tanquam immolatum*.

“Habent ex mactatione sacrificia ut sint cruenta. Ea igitur dicuntur sacrificia incruenta, quae carent mactatione: *sive nulli connectitur immolationi oblatio*, ut contingit in sacrificiis rerum inanimatarum; sive, praesupposito aliquo sacrificio cruento, ex quo sortita sit hostia statum victimalem adhuc perdurantem, refertur ad praeteritam immolationem oblatio mea recens, veluti iterans principalem illam oblationem in cuius virtute fit: quo casu sacrificium est incruentum, sed essentialiter relativum ad cruentum, ut amplius exponetur suo loco” (ibid., p. 12).

Ad haec observat ipse Lepin:

“Mais, si le P. de la Taille identifie très justement le sacrifice à un acte de donation, on s'étonne de le voir ajouter que le sacrifice, d'une façon générale, comprend essentiellement deux choses: *l'oblation* et *l'immolation*. L'oblation n'est que l'acte de donation, déclaré essentiel à tout sacrifice: faut-il donc supposer qu'en tout sacrifice cet acte essentiel doit être accompagné d'un autre, qui serait l'immolation? . . .

“Le P. de la Taille ne parle-t-il pas lui-même, en termes exprès, de ‘sacrifices non sanglants dans lesquels l'oblation ne s'accompagne d'aucune immolation: tels les sacrifices de choses inanimées’? On ne

voit pas bien comment accorder son affirmation de principe avec cette donnée de fait.

“La formule ‘oblation et immolation’ ne convient donc pas à toutes les espèces de sacrifice; on ne peut l’ériger, semble-t-il, en principe général et absolu.

“Tout au plus s’adapte-t-elle à la condition du sacrifice sanglant. Et encore peut-on se demander si, même à cet égard, elle est parfaitement juste, étant donné qu’elle paraît placer l’immolation sur le même pied que l’acte de donation, comme si l’immolation était, au même titre et avec la même rigueur, acte constitutif de ce sacrifice. Le P. de la Taille n’a-t-il pas observé lui-même que l’acte proprement essentiel, dans le sacrifice propitiatoire, qu’il identifie plus ou moins avec le sacrifice sanglant, est le même que dans le sacrifice latreutique, savoir un ‘acte de donation’? Et n’a-t-il pas souligné, d’autre part, que l’immolation ‘n’était pas un acte proprement sacerdotal?’ Cela invite à voir dans l’immolation une condition nécessaire du sacrifice sanglant, beaucoup plus qu’un acte partageant avec l’oblation le rôle de partie essentielle et proprement constitutive.”⁰³

His ultimis verbis Lepin conatur trahere De la Taille ad suam sententiam. Et tamen alibi, tradens compendium doctrinae De la Taille, ipse scribit: “Les grandes lignes peuvent se résumer ainsi: *Tout sacrifice requiert essentiellement, avec l’immolation* d’une victime, son oblation rituelle.”⁰⁴

*Sententia Pesch*TM minus adhuc favet opinioni Lepin.

Ex praecipuis dictis illius auctoris, quae immediate submittimus, iudicet lector an, ut ait Lepin, Pesch “se prononce nettement pour l’idée du sacrifice-oblation”:⁰⁰

“Solet . . . sacrificium definiri: Oblatio substantiae sensibilis *per aliquam eius immutationem* Deo legitime facta ad ostendendam agnitionem supremam eius maiestatis et vitae necisque absolutae potestatis. Hanc definitionem, *per multa iam saecula communiter receptam, quidam nostra aetate impugnarunt*, inter quos eminet *Iacobus Bellord*. . . [Refutata sententia Bellord de sacrificio consistente non in oblatione sed in convivio, prosequitur] *Idea donationis* Deo factae nusquam deest in sacrificiis. Ergo haec est idea maxime primitiva. Fiebat autem haec donatio apud omnes veteres populos *aliqua actione*, qua res sive

“L’idée Sacrifice de la Messe, Paris, 1926, p. 678 sq.

M Op. cit., p. 658.

“Praei. Dogm., v. 6, tract. 4 De Euch., sect. 3, n. 834 sqq., Friburgi Br., 1914, p. 394 sqq.

“ Op. cit., p. 730.

tota sive partiim ex usu profano removebatur et Deo irrevocabiliter tradebatur” (n. 835).

Asserit igitur eam definitionem esse communem, nec ab ea recedit.

“Materia proxima [sacrificii] est aliqua immutatio rei, qua usui communi subtrahitur (cf. S. Thom. 2, 2, q. 85, a. 3 ad 3 et q. 86, a. 1). Utrum haec immutatio sufficienter adsit per solam moralem consecrationem, *an debeat consistere in physica rei destructione*, sive formali, ut est mactatio animalis, sive aequivalenti, ut est effusio vini, disputant theologi. Negant requiri destructionem *Suarez . . ., Arriaga . . ., Viva . . .*, alii; affirmant *Bellarm . . ., De Lugo . . .* alii. *Sed haec controversia nullo efficaci argumento dirimi potest*” (n. 841).

Nullo igitur modo uni vel alteri sententiae favorem vel praejudicium affert.

“*Formalis ratio* sacrificii [ut opponitur alteri parti essentiali seu materiae] consistebat [in A.T.] non in interfectione animalis sed in *oblacione* sanguinis animalis interfecti, a sacerdote facta. Quae aspersione sanguinis a iudaeis dicebatur ‘*radix et principium sacrificii*’ (Maimonides, De pasch. c. 2 6). . . Sive . . . destructio fit simul cum . . . oblacione per ipsum sacerdotem sive ante oblacionem per alium, nihil refert, nam in omni casu non destructio qua talis sed ipsa oblacio constituit *jormam sacrificii*. *Ita card. Franzelin docet. . . Ita iam Suarez. . . Similiter P. Vasquez dicit: ‘Ex parte jormae sacrificium est nota existens in re, qua profitemur Deum auctorem vitae et mortis’; ex parte vero materiae ‘est mutatio rei, quae Deo offertur’ (disp. 220, c. 3, n. 25 sq.)*” (n. 842. 844).

Hic dicit tantum oblacionem esse formam sacrificii sed non negat mutationem esse eius materiam, ut patet ex auctoritatibus quas citat et quibus consentit, i.e. Franzelin et Vasquez, qui docent destructionem esse de essentia sacrificii, et Suarez, qui vult immutationem (quamvis non destructivam) ingredi rationem sacrificii.

“*Consecratio* [eucharistica] est sacrificium, si omnia elementa sacrificii in ea inveniuntur. Atqui inveniuntur; nam in consecratione Deo offertur substantia sensibilis a legitimo ministro secundum legitimam institutionem ad agnoscendam eius supremam maiestatem *per immutationem hostiae*. De ceteris elementis nulla potest esse dubitatio; sola explicatio *materiae proximae, i.e. immutationis hostiae*, creat aliquam difficultatem, quam in proxima thesi solvemus” (n. 901).

“*Prop. xci*. Consecratio eatenus habet rationem actionis sacrificialis, quatenus per eam producitur Christus in statu mysticae mactationis, dum vi verborum corpus et sanguis Christi separatim ponuntur sub

speciebus panis et vini, et hac ratione mactatio cruenta in cruce facta Deo offertur. . .

“*Arg. 1. Ex verbis Christi.*

“Christus Dominus dixit in missa ‘corpus suum dari et sanguinem suum effundi’ in remissionem peccatorum. Ergo *ratio sacrificii in missa consistit in corporis mactatione et sanguinis effusione*. Iamvero corporis mactatio et sanguinis effusio realis esse non potest, quia Christus non iam moritur. Ergo verba Christi explicanda sunt de *mystica mactatione et effusione*, quae consistit in separatione specierum, sub quibus solis Christus visibiliter in sacrificium offertur. . . Quodsi dicunt [Lugo et alii] non adesse in hac sanguinis effusione sufficientem hostiae destructionem, respondendum est sufficientem esse eam destructionem, quam Christus reapse instituit, ut per eam peccata remittantur, sci. *destructionem sacramentalem*; multo enim certius est id, quod Christus instituerit, esse sacrificium quam requiri ad sacrificii rationem aliquam *reient destructionem*, quae in ista sanguinis effusione non habeatur; neque ex incertis certa sunt diiudicanda, sed ex certis incerta sunt determinanda. . .

“*Arg. 3. Ex eo, quod per mysticam sanguinis effusionem sufficienter explicatur ratio sacrificii.* . .

“Sacrificium *secundum rationem formalem* non consistit in destructione physica sed in eo ritu, quo haec destructio ad Deum colendum eique satisfaciendum ordinatur seu in oblatione reali. Ergo licet physica destructio sit una, tot tamen diversa sunt sacrificia quot diversae sunt rationes offerendi, quomodo in sacrificiis veteris testamenti occisio in multis sacrificiis fiebat eodem modo; et tamen sacrificia erant diversa pro diverso ritu oblationis. In sacrificio igitur eucharistico vere sacramentaliter Christus Deo offertur, quae sacramentalis oblatio non est oblatio ficta vel picta vel scenice tantum repraesentata, sed oblatio vera, qua satisfactio in cruce praestita vere Deo offertur et hominibus applicatur.

“His igitur suppositis facile *explicatur, quomodo missa sit verum sacrificium. Adest hostia, ipse Christus. Adest physica huius hostiae destructio olim in cruce facta*, quae in ordine physico diu quidem praeteriit sed in ordine morali a missae sacrificio est inseparabilis. *Adest oblatio sensibilis*, quia, dum vi verborum corpus Christi ponitur sub una specie et sanguis Christi sub altera specie, habetur mystica mactatio, per quam sensibiliter repraesentatur et offertur physica sanguinis Christi effusio in cruce facta ad Deum colendum et placandum. Ergo nihil deest, quod ad verum sacrificium requiritur. . .

“[Sic] igitur res se habet in sacrificio missae, si comparatur cum sacrificio crucis. Hostia (materia remota) est eadem, eadem quoque

est physica destructio hostiae (materia proxima), diversa vero est oblatio, quia in cruce oblatio quoque ipsa erat cruenta (coincidebat enim realiter cum ipsa morte voluntarie suscepta), in altari autem oblatio est incruenta, quia consistit in mystica tantum effusione sanguinis. Ergo haec duo sacrificia sunt 'sola offerendi ratione diversa' (conc. trid. sess. 22, c. 2), nullo vero modo materia oblata, non modo quantum ad materiam remotam sed etiam quantum ad materiam proximam; nam non solum novus Christus non offertur sed neque nova Christi destructio physica, cum sacrificium missae totum valorem suum habeat ex sacrificio crucis et se habeat ad sacrificium crucis ut causa particularis ad causam universalem. . .

“Sic . . . soluta est . . . illa obiectio, quod non apparet, quomodo Christus sit in statu victimae in altari. Nam est in statu victimae, quatenus physica mactatio in cruce facta fit moraliter praesens et Deo pro hominum salute offertur. Sacrificium igitur missae non realiter destruendo Christum sed Christum constituendo in statu mysticae mactationis et ita repraesentando et applicando sacrificium crucis habet rationem veri et realis sacrificii. Hoc sacrificium non dicendum est mysticum, in quantum mysticum opponitur realitati; sed vocari potest mysticum, ut significetur immolatio hostiae non sub specie propria sed sub specie sacramentali” (n. 909. 910. 912. 913. 914. 915).

Ex his manifeste apparet sententiam sacrificii-oblationis non esse traditionalcm sed noviter in theologiam introductam.

Talis novitatis ipsi eius defensores conscii esse videntur. Ipse namque *Lopin* scribit:

“Pourquoi le système du sacrifice-oblation s'est-il développé parallèlement aux deux autres sans prévaloir sur eux? La raison semble bien en être que, trop souvent, ses partisans ont négligé de l'appuyer sur une révision de la notion habituelle de sacrifice. L'interprétation donnée du sacrifice de l'Eucharistie ne pouvait paraître juste qu'en étant rattachée à une notion générale du sacrifice, conçu comme oblation. *Beaucoup se sont abstenus de préciser cette définition nouvelle, ou même ont continué de souscrire à la définition courante.* Leur thèse n'a pu échapper au reproche de manquer de logique ou d'harmonie.

“La définition du sacrifice en général par l'idée d'oblation a cependant été formulée. Plusieurs théologiens, et des plus éminents, ont eu soin de la mettre en évidence. Mais jusqu'ici *Vopinion commune* est restée trop complètement sous l'impression de la connexité absolue des idées de sacrifice et de destruction, pour se rendre facilement à une définition différente et *jugée nouvelle.*”^{*1}

* L'idée du Sacrifice de la Messe, Paris, 1926, p. 730 sq.

Intimum punctum controversiae, ex quo variae theologorum sententiae ortum habuerunt reponitur in hac duplici quaestione: 1. Quinam sit directus finis sacrificii, estne consecutio unionis cum Deo, an agnitio divini domini? Fautores sententiae sacrificii-oblationis insistunt praecipue in primo conceptu, defensores vero sententiae sacrificii-mutationis in altero. 2. Quomodo agnitio divini domini exprimatur in sacrificio, an per solam mutationem vel destructionem alicuius rei. an per solam oblationem, an per utramque seu per oblationem rei immutatae.

Sententia traditionalis in theologia est sacrificium ordinari ad agnoscendum supremum dominium divinum per signum aliquod externum, quo res aliqua ita perfecte Deo offertur ac reservatur ut totaliter usui hominum subtrahatur, per aliquam nempe formalem vel aequivalentem destructionem.

7 Pars. *||FACTA DEO*”.

His verbis formaliter indicatur non finis sacrificii sed *terminus ad quem oblationis sacrificialis. Soli Deo esse sacrificium oficrendum* sequitur ex ipsa ratione sacrificii prout est signum interioris agnitionis supremi domini, quod soli Deo competit.

Ad rem S. *Thomas*, 2-2, q. 84, a. 1: “Aliquid est quod soli Deo exhibetur, scilicet sacrificium. Unde *Augustinus* dicit [De civ. Dei. 10, 4]: ‘Multa de cultu divino usurpata sunt quae honoribus deferuntur humanis, sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera; ita tamen ut quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi et venerandi; si autem multum eis additur, et adorandi. Quis vero sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?’.”

Ibid., q. 85, a. 2: ‘Oblatio sacrificii fit ad aliquid significandum. Significat autem sacrificium quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo anima seipsam offert Deo. . . Anima autem se offert Deo in sacrificium, sicut principio suae creationis, et sicut fini suae beatificationis; secundum autem veram fidem solus Deus est creator animarum nostrarum. . . In solo etiam Deo animae nostrae beatitudine consistit. . . Et ideo sicut soli Deo summo debemus sacrificium spirituale offerre, ita etiam soli ei debemus offerre exteriora sacrificia. . . Hoc etiam videmus in omni republica observari quod summum rectorem aliquo signo singulari honorant; quod cuicumque alteri deferretur, esset crimen laesae majestatis. Et ideo in lege divina statuitur poena mortis his qui divinum honorem aliis exhibent.’”

S Pars. "IN EIUS HONOREM".

His verbis indicatur specificus et primarius *finis sacrificii*. Ut patet ex dictis supra (p. 789 sq.), agnitio divini domini proprie loquendo est significatum per sacrificium, non eius finis, et vicissim honor Dei non est significatum per sacrificium sed eius finis.

Attento fine, S. *Thomas* definit sacrificium: "Sacrificium proprie dicitur aliquid factum *in honorem proprie Deo debitum*" (q. 48, a. 3; cf. 2-2, q. 85, a. 3).

Unde finis sacrificii est specificè et primario *latreuticus*; ceteri fines sunt vel secundarii, ut fines *cucharisticus* et *propitiatorius* (sive expiatorius sive impetratorius) (qui habent magis rationem finis *cui* quam finis *cuius*), vel remoti et generales, uti finis societatis aut conjunctionis cum Deo, qui est finis ultimus et generalis totius vitae hominis, seu non solum virtutis religionis sed omnium virtutum sub imperio charitatis.

Ut dictum est supra (p. 807), ad hunc praecipuum sed non specificum finem attendit *Augustinus* in sua definitione (De civ. Dei, 10, 6). quam quidam theologi inepte invocarunt in confirmationem suae sententiae de essentia sacrificii.

9 Pars. "A LEGITIMO MINISTRO PUBLICE DEPUTATO".

His verbis indicatur *causa efficiens sacrificii*, non quidem institutionis, sed confectionis.

Ad *causam institutionis* quod attinet, dicendum est sacrificium modo generali et indeterminato institutum esse *a lege naturali*, nam ipsa ratio naturalis dictat significandam esse subiectionem Deo ut supremo domino (cf. 2-2, q. 85, a. 1 supra cit., p. 793); quoad suam vero determinationem institutum esse *a lege positiva* humana vel divina.

Ad rem S. *Thomas*, 2-2, q. 85, a. 1, ad 1: "Aliqua in communi sunt de jure naturali, quorum determinationes sunt de jure positivo; sicut quod malefactores puniantur, habet lex naturalis; sed quod tali poena, vel tali puniantur, est ex constitutione divina vel humana. Similiter etiam oblatio sacrificii in communi est de lege naturali; et ideo in hoc omnes conveniunt; sed determinatio sacrificiorum est ex institutione humana vel divina; et ideo in hoc differunt."

Ibid., a. 4: "[Ad sacrificium] aliter tenentur illi qui sunt sub lege nova, vel veteri; aliter illi qui non sunt sub lege. Nam illi qui sunt sub lege, tenentur ad determinata sacrificia offerenda secundum legis prae-

cepia; illi vero qui non erant sub lege, tenebantur ad aliqua exterius facienda in honorem divinum, secundum condecenciam ad eos inter quos habitabant, non autem determinate ad haec, vel ad illa.”

In sic dicto static legis naturae (S. Thomas: “Qui non erant sub lege”), in quo religio nondum erat in forma societatis organizata, sacrificia determinabantur ab ipsis hominibus, juxta conditionem humani generis (prius a singulis, ut ab Adamo, Abele, Caino, mox, juxta inorem familiarum, a naturali earum capite, i.e. a patriarchis vel primogenitis), non raro (ut patet ex sacrificio Abrahae, Gen. 22, 13) sub impulsu divino quo regebatur ille status quique necessarius certe fuit ad institutionem sacramentorum (cf. tractatum De sacr. in gen., art. 28, p. 389).

In statu vero legis scriptae tam Mosaicae quam Evangelicae, in quo religio assumpsit formam sociale a Deo directe institutam, necesse fuit ut ipsum sacrificium a Deo determinaretur, quippe quod sit praecipuus actus ac vehiti essentia religionis. Ex quo intelligitur non esse in potestate Sinagogae vel Ecclesiae instituere aut determinare sacrificia, nec proinde rationem sacrificii habere plures caeremonias et ritus quibus aliunde nihil deesset quominus possint esse signa oblativa et sacrificalia, seu apta ad divinum dominium exprimendum.

Ad *causam conjectionis* quod attinet, conveniens est tum rationi societatis, tum indoli expiatoriae sacrificii, ut in omni lege oblatio sacrificii reservaretur ministris specialiter electis, ita ut oblatio facta a privatis ratione sacrificii careret.

In statu legis naturae caput familiae connaturaliter aut divino instinctu ad hoc munus designatum est. *In lege Mosaica* de facto una tribus (Levi), et ex hac una familia (Aaron) ad hoc officium divinitus designata est, ita ut sacrificia ab aliis usurpata tanquam profanationes haberentur (cf. Lev. 17; 2 Parai. 26, 16 sqq.; Hebr. 5, 1. 4). *In lege Evangelica* unum genus ministrorum per sacramentum Ordinis eligitur et consecratur.

Ad rem *Apostolus*, Hebr. 5, 1-6: “Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. . . Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: . . . Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.”

Ad rem *Cone. Trid.*, sess. 23, cap. 1: “Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione coniuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. Cum igitur in Novo Testamento sanctum Eucharistiae sacrificium

visibile ex Domini institutione catholica Ecclesia acceperit: fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile et externum sacerdotium, in quod vetus 'translatum' est [Hebr 7, 12 sqq]" (Denz. 957).

NOTA 1. *DE DIVISIONE SACRIFICII.*

1. *Ratione finis* sacrificium dividitur quadrupliciter, i.e. in: *Latreuticum*, quod offertur in honorem Dei, quasi exterior adoratio patriae.

Eucharisticum, quod offertur in gratiarum actionem.

Impetratorium, quod offertur ad impetrandos divinos favores.

Propitiatorium, quod offertur ad reparationem divini juris laesi, ac subdividitur in:

Expiatorium, quod offertur ad reparationem pro culpa.

Satisfactorium, quod offertur ad reparationem pro poena.

Haec divisio non implicat aequalitatem praedictorum finium nec exclusionem unius vel alterius, sed tantum peculiarem rationem quae ex parte nostra intenditur in oblatione sacrificii. Nam imprimis *finis latreuticus est proprius et essentialis*, ceteri vero sunt adventitii et accidentales. Praeterea finis latreuticus est consequenter inseparabilis a sacrificio, ceteri vero sunt per se separabiles, licet de facto, seu ratione praesertim conditionis naturae lapsae, sint inseparabiles saltem ex implicita intentione tum hominis offerentis tum Dei acceptantis; ex hoc enim quod Deo beneficienti et offenso honor redditur, necessario sequitur quod ei gratiae reddantur et ipse fiat largitor bonorum et indulgentiae.

*lahn*TM ait quadruplicem hanc theologorum distinctionem nullum habere fundamentum in Scriptura. Jamvero in A.T. clara est distinctio inter *sacrificium pro peccato* (hât' ât = sacrificium offerendum pro peccatis magis vel minus involuntariis, Lev. 4, 1-35; 5, 1-13; 6, 17-23; 'âsâm = sacrificium offerendum pro peccatis plene voluntariis, Lev. 5, 14-26; 6, 10; 7, 1-7) et *sacrificium seu hostiam pacificam* (Lev. 3, 1. 6. 9; Num. 15, 1-6; Ezech. 45, 17; 46, 12); imo in Lev. 7, 11 est etiam sermo de hostia pacifica *pro gratiarum actione*; praeterea *holocaustum* distincte proponitur ut praecipuum sacrificium in quo eminet finis latreuticus (Lev. 1, 1-17; 6, 1-6; 22, 17-25).

In A.T. triplex distinguebatur sacrificium : *holocaustum*, *hostia pro peccato* et *hostia pacifica*.

Ad rem S. Thomas, 1-2, q. 102, a. 3, ad 8: "Triplex erat sacrificiorum genus: quoddam erat quod totum comburebatur; et hoc dice-

" In Biblische Archaologic, t. 5, § 95, p. 371 sqq.

batur *holocaustum*, quasi 'totum incensum'. Hujusmodi enim sacrificium offerebatur Deo specialiter ad reverentiam majestatis ipsius et amorem bonitatis ejus; et conveniebat perfectionis statui in impletione consiliorum; et ideo totum comburebatur, ut, sicut totum animal resolutum in vaporem sursum ascendebat, ita etiam significaretur, totum hominem et omnia quae ipsius sunt, Dei dominio esse subjecta, et ei esse offerenda.

“Aliud autem erat sacrificium *pro peccato*, quod offerebatur Deo ex necessitate remissionis peccati; et conveniebat statui poenitentium in satisfactione peccatorum; quod dividebatur in duas partes: nam una pars ejus comburebatur, altera vero cedebat in usum sacerdotum, ad significandum quod expiatio peccatorum fit a Deo per ministerium sacerdotum, nisi quando offerebatur sacrificium pro peccato totius populi, vel specialiter pro peccato sacerdotis; tunc enim totum comburebatur. Non enim debebant in usum sacerdotum venire ea quae pro peccato eorum offerebantur, ut nihil peccati in eis remaneret; et quia hoc non esset satisfactio pro peccato. Si enim cederet in usum eorum pro quorum peccatis offerebatur, idem esse videretur ac si non offerretur.

“Tertium vero sacrificium vocabatur *hostia pacifica*, quae offerebatur Deo vel pro gratiarum actione, vel pro salute et prosperitate offerentium, ex debito beneficii vel accipiendi vel accepti; et convenit statui proficientium in impletione mandatorum. Et ista dividebatur in tres partes; nam una pars incendebatur ad honorem Dei, alia pars cedebat in usum sacerdotum, tertia vero pars in usum offerentium, ad significandum quod salus hominis procedit a Deo dirigentibus ministris Dei, et cooperantibus ipsis hominibus qui salvantur.”

In *N.T.* est duplex sacrificium, i.e. *sacrificium Crucis* et *sacrificium Missae*, quorum utrumque in eadem Victima cumulat triplicem rationem holocausti, hostiae pro peccato et hostiae pacificae vel quadruplicem supradictum finem sacrificii.

Ad rem *S. Thomas*, q. 22, a. 2: “Ipse Christus, inquantum homo, . . . fuit . . . hostia perfecta, simul existens hostia pro peccato, et hostia pacifica, et holocaustum.”

2. *Ratione formae* seu oblationis immolativae sacrificium dupliciter dividitur:

- a. *Sacrificium cruentum* (i.e. coniunctum cum occisione seu sanguinis effusione). Praecipua sacrificia *A.T.* et *sacrificium Crucis*. *Sacrificium incruentum*. Secundaria et suppletiva sacrificia *A.T.* et *sacrificium Missae*.

- b. Sacrificium *absolutinn*. Sacrificia /1.7'. et *sacrificium Crucis*.
Sacrificium *relativum*. *Sacrificium Missae*.

Quidam praeterea distinguunt sacrificium in *verum et jalsum*, in *proprie dictum et improprie dictum*, in *personale* {*Crucis et Missae*) *et substitutum* (sacrificia A.T.). Sed prima distinctio non est ad rem, secunda fundatur in generaliori et analogia acceptione sacrificii (de qua mox erit sermo in Nota 2), tertia in secundo membro supponit sacrificium importare rationem substitutionis vicariae (qua homo propriae sui ipsius oblationi et immolationi substituit oblationem et immolationem alterius rei), quae non ab omnibus theologis admittitur.

NOTA 2. *DE ANALOGICA SEU METAPHORICA ACCEPTIONE SACRIFICII* (cf. 2-2, q. 85, a. 2; a. 3, ad 2; a. 4; cit. in p. 789 sq.).

Translata significatione, seu analogice et metaphorice, vox sacrificii applicatur aliis actibus tum profanis, tum religiosis sive internis sive externis, propter aliquod elementum commune cum sacrificio proprie dicto vel propter aliquam similitudinem cum ipso.

In sensu *prozano* dicitur communiter sacrificium omnis oblatio ad finem bonum ordinata et cum aliqua abdicatione dolorosa coniuncta.

In sensu *religioso* imprimis dicitur sacrificium *ipsa interior agnitio divini domini*, quae est proprium significatum per proprie dictum exterius sacrificium. Improprietas acceptionis vocis solet indicari per addita verba "invisibile", "spirituale", "verum", "principale" (cf. supra, p. 789 sq.). Ita apud Augustinum, De civ. Dei, 10, 5 (cit. in p. 787).

Praeterea sacrificium dicitur *omne opus* quo homo directe vel indirecte significat semetipsum Deo offerre, vel in Deum ferri (S. Thomas), vel tendere ad sanctam societatem inhaerendam cum Deo (Augustinus). Ita *preces* (seu hostia laudis, hostia vociferationis, vituli labiorum, fructus labiorum: Psal. 140, 2; Os. 14, 3; Hebr. 13, 15), *opera misericordiae* (Eccli. 35, 4; Hebr. 13, 16), *vita bona* (Psal. 4, 6; Sap. 3, 6; Rom. 12, 1), *mortificatio carnis* (Rom. 12, 1), *contritio cordis* (Psal. 50, 19), *labores apostolici* (Rom. 15, 16; Phil. 2, 17).

Ad rem S. Thomas, q. 22, a. 2: "Invisibile . . . sacrificium est per quod homo Deo spiritum suum offert . . . et ideo omne illud quod Deo exhibetur, ad hoc quod spiritus hominis feratur in Deum, potest dici sacrificium."

Ad rem Augustinus, De civ. Dei, 10, 6: "Verum sacrificium est omne opus, quod agitur, ut sancta societate inhaereamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. Unde et

ipsa *misericordia* qua homini subvenitur, si propter Deum non fit, non est sacrificium. Etsi enim ab homine fit vel offertur, tamen sacrificium res divina est: ita ut hoc quoque vocabulo id Latini veteres appellarint. Unde *ipse homo* Dei nomine consecratus, et Deo votus, in quantum mundo moritur ut Deo vivat, sacrificium est. Nam et hoc ad misericordiam pertinet, quam quisque in se ipsum facit. . . Corpus etiam nostrum cum per *temperantiam* castigamus . . . sacrificium est. . . Cum igitur vera sacrificia opera sint misericordiae, sive in nos ipsos, sive in proximos, quae referuntur ad Deum; opera vero misericordiae non ob aliud fiunt, nisi ut a miseria liberemur, ac per hoc ut beati simus; quod non fit, nisi bono illo de quo dictum est, 'Mihi autem adhaerere Deo bonum est' (Psal. Ixxii, 28): profecto efficitur, ut tota ipsa redempta civitas, hoc est *congregatio societasque sanctorum*, universale sacrificium offeratur Deo per sacerdotem magnum, qui etiam se ipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus, secundum formam servi. . . Hoc est sacrificium Christianorum: 'multi unum corpus in Christo'. Quod etiam Sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia, ubi ei demonstratur, quod in ea re quam offert, ipsa offeratur" (M.L. 41, 283 sq.).

Haec autem dici sacrificia in solo *sensu improprio* patet ex ipsa Scriptura quae in aliis locis ea simpliciter opponit sacrificio:

1 Reg. 15, 22: "Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimae, et auscultare magis quam offerre adipem arietum".

Isa. 1, 11. 13. 16: "Holocausta . . . nolui. . . Ne offeratis ultra sacrificium. . . Lavamini, mundi estote; auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis vestris; quiescite agere perverse, discite benefacere; quaerite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam."

Os. 6, 6: "Misericordiam volui, et non sacrificium; et scientiam Dei plus quam holocausta."

Ceterum in quibusdam ex supra memoratis textibus potius quam metaphorica appellatio sacrificii habetur *mera comparatio* cum sacrificio proprie dicto. Ita in Psal. 140, 2: "Dirigatur oratio mea *sicut* incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum [sicut] sacrificium vespertinum" (cf. Sap. 3, 6; Eccli. 35, 4; Rom. 15, 16; Phil. 2, 17; Hebr. 13, 16).

NOTA 3. DE COMPARATIONE INTER SACRIFICIUM ET SACRAMENTUM.

Utrumque pertinet ad *essentiam religionis*, praecipue tamen sacri-

ficiam, quod accipitur ex parte hominis, dum sacramentum magis est donum Dei ad homines.

Essentia metaphysica utriusque consistit in *ratione signi*, at non eadem res significatur; sacrificium enim significat interiorem agnitionem divini domini, sacramentum vero interiorem sanctificationem homini collatam. Ex qua differentia sequuntur ceterae tum quoad essentiam physicam tum quoad causas extrinsecas finalem et efficientem.

Essentia physica utriusque consistit in *re sensibili*, sed sacrificium consistit in oblatione immolativa apta ad exprimendam interiorem oblationem, sacramentum vero in actione vel re apta ad exprimendam interiorem gratiae collationem.

Finis utriusque est religiosus, seu bonum divinum, sed sacrificium directe ordinatur ad bonum Dei, quod est divinus honor, sacramentum vero ad bonum spirituale hominis, quod consequenter cedit in divinum honorem.

Causa efficiens utriusque est Deus, sed sacrificium per se fundatur et exigitur a lege naturali, et non nisi per accidens instituitur per legem positivam, sacramentum vero requirit positivam Dei institutionem. Item sacrificium per se potest determinari ab homine, sacramentum vero non nisi a Deo.

Causa efficiens confectionis, seu ministerialis. Sacrificium nequit offerri nisi a persona publica, ad administrationem vero sacramenti potest deputari etiam persona privata (ut patet in Baptismo et Matrimonio), nam “ministrans sacramentum se habet ut Dei instrumentum ad sanctificationis effectum; instrumentum autem Dei in quantum huiusmodi non est persona publica, communitatem repraesentans.

“Addendum tamen, debuisse omnino sacramenta institui a Deo dispensanda regulariter per sacerdotes (si unum matrimonium excipias propter specialem eius conditionem): ut scilicet per eandem viam descenderent Dei dona ad homines, per quam ascendunt hominum vota ad Deum, et servaretur pulcherrimus ille ordo quo divina Providentia suaviter disponit omnia, perducens ad suos fines infima per media et media per summa. Aliunde vero quaedam sacramenta sunt, quae ex peculiari sua indole sacerdotale ministerium evidenter exigunt, puta sacramentum Poenitentiae per modum indicii institutum, itemque sacramenta Confirmationis et Ordinis quibus distribuuntur gradus et officia in Ecclesia Christi; hoc enim non ad alios pertinere potest quam ad principes civitatis. Quare, licet de essentia sacerdotii in genere non sit nisi deputatio ad sacrificium offerendum, debuit ei adiungi in prae-

senti ordine officium ministrandi sacramenta, ut de sacerdote quoque verificetur illud Genes. XXVIII-12: 'Et vidit in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens caelos, angelos quoque Dei *ascendentes et descendentes* per eam'. Ascendit quippe sacerdos ab hominibus ad Deum cum sacrificium offert; descendit a Deo ad homines cum ministrat sacramenta."⁷⁰

Effectus utriusque est gratia, sed sacrificium nonnisi indirecte ad consecutionem gratiae ordinatur, directe enim et per se fit ad honorem Dei, sacramentum vero ordinatur directe ad causandam gratiam.

Hinc fluit diversitas in *modo efficacitatis*; nam efficacitas sacramenti est ad modum *efficientiae*, efficacitas vero sacrificii est ad modum *impetrationis*; ex quo praeterea sequitur quod sacramentum causât gratiam *ex opere operato* (et quidem, juxta thomistas. *physice*}, sacrificium vero *ex opere operantis*.

In sacrificio tamen Christi (tam Crucis quam Eucharistiae), cum sit dignitatis indefectibilis et infinitae, efficacitas ex opere operantis Christi convertitur, relate ad homines et humanos ministros qui illud offerunt, in efficacitatem *ex opere operato moraliter*; imo in hac ipsa efficacitate tanquam in causa meritoria fundatur et ex ea vim habet omnis efficacitas tum ex opere operantis bonarum actionum tum ex opere operato sacramentorum.

NOTA 4. DE COMPARATIONE INTER SACRIFICIUM ET MARTYRIUM.

Martyrium non est sacrificium proprie dictum, *primo*, quia non est per se ordinatum ad significandam interiorem agnitionem divini domini sed ad *protestandam fidem*; *secundo*, quia non est activa oblatio propriae vitae sed *passio* vulneris letalis, quamvis voluntarie admissa, non enim habet homo potestatem vitam suam voluntarie destruendi.

Aliunde tamen in *martyrio Christi* concurrunt praedictae rationes sacrificii, quia ipse, ut dominus suae humanitatis, eam immolavit in honorem Divinitatis.

ART. 44. Utrum Missa Sit Verum et Proprie Dictum Sacrificium N.L. (q. 83, a. 1).

STATUS QUAESTIONIS

Cum existentia sacrificii in omni vera religione ab ipsa lege naturali exigatur et *EXISTENTIA SACRIFICII MISSAE* in fontibus reve-

⁷⁰ *Billot*, De Euch., De sacrificio Missae, § 1, n. 5, Romae, 1914, p. 590 sq.

lationis clarissime proponatur, mirum non est veteres theologos antetridentinos hanc quaestionem prorsus omisisse, quam e converso diligenter expendunt moderni contra Protestantes arguentes negationem sacrificii Missae ex male intellecta sufficientia sacrificii crucis.

PARS NEGATIVA

Sacrificium Missae negatum est *primo* indirecte ac modo generali a *sectis mediaevalibus* quae Protestantismum praepararunt, *secundo* directe et signate sub ratione sacrificii ab omnibus *Protestantibus*, *tertio* insistentem ac nova argumentationis methodo a modernis *Rationalistic et Protestantibus liberalibus*, qui ab ipso Protestantismo orthodoxo originem ducunt.

1. SECTAE MEDIAEVALES SAEC. 11-14.

Cathari, Petrobrussiani, Albigenses, Waldenses, Fraticelli, Wicleflicae et Hussitae tripliciter sacrificium Missae negarunt: *primo indirecte*, scilicet evacuando ipsum sacramentum omni sua realitate, seu negando post Berengarium praesentiam realem et transsubstantiationem, *secundo directe sed generaliter*, scilicet abiciendo Ecclesiae cultum, templa, altare, sacerdotium, sacramenta, ac nominatim Eucharistiam, *tertio directe et peculiariter* ipsam Missam impugnando, quamvis signanter in ipsa ratione sacrificii non insisterent.

In supracitatis (p. 178) documentis Cone. Later. II (contra Petrobrussianos), Innocentii III et Cone. Later. IV (contra Albigenses et Waldenses) mentioni sacramenti Eucharistiae coniungitur mentio sacrificii et sacerdotii. Praeterea ad ipsam directam negationem Missae praecipue referuntur haec testimonia:

Saec. 11 *Catharismus* ex Italia in Galliam transivit ibique incipiens haeresis statim damnata est in *Cone. Aurelianensi* (Orleans; a. 1022), teste *Rodulpho Glaber* († 1050) monacho Chiniacensi (cf. M.L. 142, 659 sqq.), et in *Cone. Cameracensi seu Atrebatensi* (Arras; a. 1025), teste eius praesidente *Gerardo*, episcopo Cameracensi, qui sic refert Acta Concilii:

“Relatum est . . . quosdam ab Italiae finibus viros eo loci advenisse qui, quamdam novam haereseos sectam introducentes, evangelicae atque apostolicae sanctionis disciplinam pervertere tentabant, et, quamdam justitiam praeferentes, hac sola purificari homines asserebant nullumque in sancta Ecclesia aliud esse sacramentum, per quod ad salutem pervenire potuissent. . .

“Ad notitiam episcopi pervenerat illos sacri baptismatis mysterium

penitus abhorrere, Dominici corporis et sanguinis sacramentum respuere, negare lapsis poenitentiam post professionem proficere. Ecclesiam annullare, legitima connubia exsecrari, nullum in sanctis confessoribus donum virtutis spectare, praeter apostolos et martyres neminem debere venerari. . .

“Transitum faciamus ad illud sacrum et immutabile Dominici corporis et sanguinis sacramentum, quod vos, ad vestram confusionem, nisi respueritis, adversum divinam et apostolicam traditionem impugnant, evertere tentatis. . .

“Sacrificium dicitur, quasi ‘sacrum factum’, quia prece mystica consecratur in memoriam pro nobis Dominicae passionis. Unde, hoc ipso jubente, corpus Christi et sanguinem credimus, quod, dum sit ex fructibus terrae, sanctificatur, et fit sacramentum, operante invisibiliter Spiritu Dei. Quod quidem ideo sacramentum esse dixerim quia tanquam viaticum nobis sit introducens ad contemplationem aeternitatis. Cujus panis et calicis sacramentum Graeci Eucharistiam dicunt, quod Latine ‘bona gratia’ interpretatur. Quid enim melius corpore et sanguine Christi? Quod quidem sacrificium de pane, et vino cum aqua misto, ineffabili sanctificatione, cruce et verbis illius in altari consecratur, dumque passionis et resurrectionis ejus, atque in coelum ascensionis ibidem salutifera memoria agitur, verum ac proprium corpus ipsius Domini nostri Jesu Christi, et sanguis verus ac proprius efficitur, quamvis alius esse videatur” (M.L. 142, 1271-1278).

Saec. 12 *Petrobrussiani* (a Petro de Bruys), qui merito dici possunt primi directi negatores Missae, sic citantur ac refutantur a praecipuo eorum adversario *Petro abbate Cluniacensi* († 1156) in sua “Epistula sive tractatu contra Petrobrusianos”:

“Post baptismum negatum, post cruces exustas post templa destructa, ut nihil sacrum punienda vestra temeritas intemeratum relinquat, quarto jam loco ad ipsum crucifixum, et templorum Dominum et baptismi largitorem, se extendit, et non tantum quae ejus sunt, sed et ipsum Ecclesiae suae auferre molitur. Negat corpus Christi et sanguinem divini Verbi virtute vel sacerdotum ministerio confici: totumque inane ac supervacuum esse quidquid in altaris sacramento altaris ministri agere videntur, affirmat. Sed quia vestrorum nolo relator esse verborum, ipsi vestra proponite, quodque de his seducto a vobis populo praedicare soletis, lectoribus nostris et auditoribus aperite.

“Verba vestra, quae ad nos pervenire potuerunt, ista sunt: ‘Nolite, o populi, episcopis, presbyteris, seu clero vos seducenti credere qui sicut in multis, sic et in altaris officio vos decipiunt, ubi corpus Christi

se conficere, et vobis ad vestrarum animarum salutem se tradere mentiuntur. Mentuntur plane. Corpus enim Christi semel tantum ab ipso Christo in caena ante passionem factum est; et semel, hoc est tunc tantum, discipulis datum est. Exinde neque confectum ab aliquo, neque alicui datum est'...

“Si haeresis haec vestra Berengarianis limitibus contenta esset, quae veritatem quidem corporis Christi, sed non sacramentum vel speciem aut figuram negabat, facile me hujus capituli labore expedirem, et non dico ad Ambrosium, Augustinum, Gregorium, antiquos et sanctos Ecclesiae doctores, quos abjecistis, sed ad moderni temporis doctos et Catholicos viros, Lanfrancum, Guitmundum, Algerum vos mitterem, si saltem vel hos non pro majori auctoritate, sed pro temporis vicinitate et domestica cognitione, dignaremini legere, vel pateremini audire. . . Sed quia, ut dixi, errorem errore, haeresim haeresi, nequitiam nequitia superastis, non tantum veritatem carnis et sanguinis Christi, sed et sacramentum, speciem ac figuram negatis; *et sic absque, summi et veri Dei sacrificio, ejus populum esse censetis.*

“Eapropter sicut novus languor nova medela curandus, sic novus error novo opere confutandus est, ut quod a magnis viris fuerat praeteritum, quia nec auditum, quia *nunc primum sonuit*, nequaquam remaneat indiscussum. Respondet ergo vobis, o hostes Dei, Ecclesia Dei se neque absque sacrificio esse, nec illo suo sacrificio aliquid aliud quam corpus et sanguinem sui Redemptoris offerre” (M.L. 189, 787–789).

De Albigensibus, aut de Waldensibus, scribit *Guilelmus Durantis*, episcopus Mimatensis (Mende, in Gallia) (t 1296), in opere “Rationale divinorum officiorum”, l. 4, c. 1: “Quidam autem perfidi haeretici reprehendunt nos. . . Dicunt etiam quod Ecclesia Christi: nec Missam nec matutinas cantavit; nec Christus nec Apostoli eam instituerunt; nec nomen Missae tunc in mundo audiebatur, nec scriptum inveniebatur; sed id quod Missa repraesentat ab evangelistis coena vocatur.” Ibid., c. 30: “Quidam autem perversi haeretici nobis ad praesumptionem magnam reputant quia sacrificamus, et consecrationem hostiae sacrificium appellamus, cum Scriptura ex persona Domini dicat: ‘Nolo sacrificium’. . .” (Lugduni, 1672, p. 88. 141).

Saec. 14 *Wicleff* in prop. 5 damnata a Cone. Constantiense ait: “Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit” (Denz. 585).

2. *PROTESTANTES ORTHODOXE*

Novatores directe et explicitè impugnarunt *ipsam rationem sacrificii* in Missa. Quamvis praecipuae eorum factiones, nominatim Lutheran!, Calvinistae et Zwingliani, acriter inter se disceptarent quoad ipsum sacramentum Eucharistiae, ac praecipue quoad sacramentalem Christi praesentiam (cf. supra, p. 179-182), in impugnanda tamen catholica Missa, praecipue sub eius ratione sacrificali, omnes pari impetu et acrimonia eisdemque fere fallacibus argumentis in unam aciem convenerunt.

Cuius consensus et acrimoniae ratio patens est, quia nempe celebratio Missae et sacrificium propitiatorium maxime offendit duo capitalia eorum principia de spirituali indole Christianae religionis, ab omni pharisaismo exteriorum operum absolutae, et de justificatione per solam fidem in Christum per sacrificium crucis Redemptorem.

Hinc abolitio Missae catholicae, una cum suppressione coelibatus sacerdotum et communionis sub unica specie, facta est praecipuum vexillum protestantici certaminis adversus catholicos. *Confessio Augustana* (a. 1530) haec tria impugnat in "Articulis in quibus recensentur abusus mutati" et *Lutherus*, Contra Henricum regem Angliae (a. 1522), confidenter scribit: "Triumphata missa puto nos totum papam triumphare" (Opera, ed. Weimar, t. 10 b, p. 220).

A. *Summa doctrinae Novatorum.*

a. *Eucharistia non est verum et proprie dictum sacrificium*, in quo nempe victima immolatur vel occiditur (Zwinglius, Calvinus). Praecipue vero non est sacrificium *propitiatorium* (Omnes post Lutherum), cui ceterum proprie dicta ratio sacrificii unice convenit (Melanchthonius, Calvinus). Dici tantum potest *sacrificium improprie*, seu tum sacrificium memoriale, quatenus est signum veri sacrificii Crucis, tum sacrificium eucharisticum vel laudis et gratiarum actionis, ratione precum et invocationum quae sacramento adiungi solent, quemadmodum sacrificia dicuntur praedicatio Evangelii, fides, preces, afflictiones et quaelibet opera bona (Lutherus aliique. praesertim Melanchthonius).

b. *Eucharistia proprie loquendo est tantum sacramentum*, nam nihil aliud est quam testamentum et memoriale; *testamentum*, i.e. promissio divina nostrae justificationis, firmata per sacrificium Crucis et alligata signo sensibili sacramenti; *memoriale*, i.e. signum promissionis divinae per sacrificium Crucis firmatae, vel (quod idem est) signum sacrificii Crucis per promissionem divinam firmati (Omnes post Lutherum).

c. *Missa catholica abroganda est* utpote continens haeresim circa inedia justificationis, contumeliam Christo eiusque sacrificio, idololatriam et inventum Satanae (In his recriminationibus eminent Lutherus et Calvinus). Loco illius instituendus est simplicior quidam ritus celebrandi sacramentum, constans ex praecibus laudis et gratiarum actionis, ita tamen ut excludatur quidquid sonat oblationem et sacrificium (Lutherus, Confessio Augustana, Melanchthonius, Calvinus). Praecipue abroganda est *missa privata*, quae nempe privatum characterem habeat ratione communis diei, vel paucorum assistentium, vel commodi ipsius sacerdotis, vel praecipue solius communionis celebrantis, cum talis modus celebrandi sit contra finem ipsius sacramenti quod ad fidelium communionem ordinatur, adversetur ipsi usui antiquae Ecclesiae et abusive introductus sit in lucrum sacerdotum (Lutherus, Confessio Augustana, Calvinus). Peculiariter abrogandus est usus *missae pro dejectis*, in quo involvitur error de valore satisfactorio Missae (Confessio Augustana, Melanchthonius, Zwinglius, Calvinus).

B. *Argumenta Novatorum.*

a. *Ex Scriptura.* Ultima Coena, cuius Missa est repraesentatio et memoriale, non fuit aliud quam testamentum seu promissio, ut constat ex verbis institutionis. Praeterea, *Epistola ad Hebraeos* non aliud agnoscit sacrificium quam oblationem Crucis, in qua Christus semel seipsum obtulit, una oblatione consummans in sempiternum sanctificatos (Ita omnes).

b. *Ex Patribus.* Scriptores, praecipue *antiquiores*, non aliud in Missa agnoscunt quam sacrificium improprie dictum, seu laudis et gratiarum actionis. *Ceterum*, quidquid Patres, praecipue posteriores, sentire videantur, doctrina de veritate sacrificii Missae, per multa saecula ab ecclesiastica traditione admissa et vulgata, est agnoscenda ut *communis error*, utpote manifeste contradicens, sensui Scripturae (Ita praecipue Lutherus et Calvinus).

c. *Ex ratione.* Sacrificium proprie consistit in reali quadam *immolatione* seu destructione victimae, quod nullatenus convenit Missae, sed tantum oblationi Crucis (Zwinglius et Calvinus).

Praeterea, sacrificium est *opus nostrum erga Deum*, quo nempe nos aliquid Deo damus, sacramentum vero est opus Dei erga nos, quo nempe Deus nobis aliquid dat: Eucharistia autem est opus et donum Dei erga nos. non vero vicissim; ergo est sacramentum et non sacrificium (Lutherus, Melanchthonius, Calvinus).

Praeterea ac praecipue, sacrificium proprie est ritus propitiatorius; jamvero perfecta et completa propitiatio pro peccatis omnium hominum est facta in Cruce per sacrificium Christi, qui est unica ratio salutis humanae; ergo Eucharistia nequit esse sacrificium, cum nihil illi supersit propitiandum nec possit aliud quam fides in passionem Christi principium esse salutis (Ita omnes).

C. *Opera et verba praecipuorum Novatorum.*

a. *Lutherani.*

Lutherus (1483-1546) Missam esse proprie dictum sacrificium primo negavit a. 1520 in *duplici sermone* de bonis operibus et de Novo Testamento seu de sancta missa (Weimar, Dr Martin Luthers Werke, t. 6, p. 231 et 235-378). Eandem negationem confirmavit et exposuit eodem anno in opere *De captivitate babylonica Ecclesiae*, ubi doctrinam catholicam de sacrificio Missae vocat tertiam captivitatem huius sacramenti (ibid., p. 512 sqq.).

Anno 1522 edidit "ex eremo", ut ipse ait, tractatum "*De abroganda missa privata*" (ibid., t. 8, p. 411 sqq.), quem iterum in germanica lingua publicavit sub titulo "*Missbrauch der Messe*" (i.e. "De abusu Missae"; ibid., p. 477 sqq.); eandem impugnationem missae privatae renovavit a. 1525 in libello "*Vom Greuel der Stillmesse*" (i.e. "De abominatione missae privatae"; ibid., p. 22 sqq.) et a. 1533 in libello "*Vom der Winkelmesse und Pjaflenweihe*" (i.e. "De missa privata et unctione sacerdotum"; ibid., t. 38, p. 195 sqq.).

Anno 1523 ad reformandam *liturgiam* Missae operam dedit in sua "*Formula missae et communionis pro Ecclesia Wittemburgensi*" (ibid., t. 12, p. 205 sqq.); cum autem a Reformatoribus vulgari coepissent variae formulae sic dictae "*missae vernaculae*", quam Lutherus magnopere auspicabatur, rogatus ut ipse aliquam formulam componeret quae caeteris ad uniformitatem inservire posset, a. 1525 edidit suam "*Deutscher Messe*" (i.e. "Missa Germana"; ibid., t. 19, p. 72 sqq.). quae publice applicata est inde ab anno 1526.

De capt. babyl.: "Tertia captivitas ejusdem sacramenti, est longe impiissimus ille abusus quo factum est ut fere nihil sit hodie in Ecclesia receptius et magis persuasum, quam Missam esse opus bonum et sacrificium" (Opera omnia, Jenae, 1600, fol. 264).

Ibid.: "Stet ergo primum et infallibiliter, Missam, seu sacramentum altaris, esse testamentum Christi, quod moriens pro se reliquit, distribuens suis fidelibus. . . Quaeramus ergo quid sit testamentum, et

simul habebimus quid sit Missa, quis usus, quis fructus, quis abusus ejus. . . Vides ergo quod Missa (quam vocamus) sit promissio remissionis peccatorum, a Deo nobis facta, et talis promissio quae per mortem Filii firmata sit” (ibid., fol. 265).

Ibid.: “His omnibus . . . oportet constantissime opponere verba et exemplum Christi. Nisi enim Missam obtinuerimus esse promissionem Christi, seu testamentum, ut verba clare sonant, totum Evangelium et universum solatium amittimus. Nihil contra haec verba permittamus praevalere, etiam si Angelus de coelo aliud docuerit. Nihil enim de opere vel sacrificio, in illis continetur. Deinde et exemplum Christi pro nobis stat. Non enim Christus in caena novissima, cum institueret hoc sacramentum et conderet testamentum, ipsum obtulit Deo Patri, aut ut opus bonum pro aliis perfecit, sed, in mensa sedens, singulis idem testamentum proposuit, et signum exhibuit” (ibid., fol. 269).

Ibid.: “Quid ergo dicemus ad Canonem et auctoritates Patrum? Primum respondeo: Si nihil habetur quod dicatur, tutius est omnia negare, quam Missam concedere opus aut sacrificium esse, ne verbum Christi negemus, fidem simul cum Missa pessumdantes” (ibid.).

De abroganda missa privata: “Auditisne? Christus semel seipsum obtulit, non voluit denuo ab ullis offerri, sed memoriam sui sacrificii voluit fieri. Et vobis unde haec audacia ut sacrificium ex ea memoria faceretis?. . . Existimo igitur, hoc secundo impetu, iterum ruere et jacere Missarum papisticarum impietatem” (ibid., fol. 445).

Ibid.: “Missae vero, quae sacrificia vocant, esse summam idololatriam et impietatem” (ibid., fol. 443).

Ibid.: “Persuasum abitor his tribus argumentis abunde omnibus piis conscientis sacerdotium illud missale et papisticum, prorsus Satanae operationem esse” (ibid., fol. 447).

Formida missae et communionis pro Ecclesia Wittenburgensi: “Hoc libro dicere omittimus Missam non esse sacrificium seu opus sacrificantis, quod alias abunde docuimus. Apprendamus eam ut sacramentum, seu testamentum, seu benedictionem latine, Eucharistiam graece, vel mensam Domini, vel caenam Domini, vel memoriam Domini, vel communionem, vel quocumque nomine pio placet, modo sacrificii aut operis titulo non polluatur, et ritum monstremus quo visum est illa uti. 1. Introitus. . . 6. Evangelica lectio. . . 7. Symbolum Nicaenum non displicet. . . 8. Sequitur tota illa abominatio, cui servire coactum est quidquid in Missa praecedat, unde et Offertorium vocatur. Et hinc omnia fere sonant ac olent oblationem. . . Omnibus illis repudiatis quae oblationem sonant, cum universo Canone, retineamus quae pura et sancta sunt, ac sic Missam nostram ordiamur. . .” (ibid., fol. 557 sq.).

Melanchthonius (1497-1560), theologus Lutheranismi et redactor ipsius Confessionis Augustanae, novam Lutheri doctrinam, quam fideliter secutus est, sub moderatiori forma praesentare curavit, ut eam populis acceptabiliorem faceret. In duobus operibus "*Loci communes theologici*" et "*Apologia Confessionis Augustanae*", distinguens inter sacrificium stricte dictum, seu propitiatorium, et sacrificium late dictum, seu eucharisticum vel laudis, hoc ultimum dicit Missae concedendum juxta ipsam doctrinam Patrum; protestatur etiam Novatores Missam nequaquam abolere sed religiose retinere ac defendere; ipsas orationes pro defunctis non prohibendas dicit sed tantum negandum esse valorem satisfactorium Missae defunctorum.

Loci theologici communes (juxta editionem a Melanchthonio a. 1543 recognitam) :

"Est itaque sacramentum caeremonia, quod est signum promissionis per quod Deus aliquid nobis promittit aut exhibet" (ed. Basileae, 1561, p. 418).

"Sacrificium est caeremonia vel opus nostrum, quod nos Deo reddimus ut eum honore afficiamus. Hoc est testamur nos agnoscere hunc ipsum, cui hanc obedientiam praestamus, vere esse Deum: ideoque nos ei hanc obedientiam praestare" (ibid., p. 418).

"Sunt autem sacrificii species proximae duae, nec sunt plures. Quoddam est sacrificium propitiatorium, videlicet opus quod meretur aliis remissionem culpae et poenae aeternae: seu opus reconcilians Deum et placans iram Dei pro aliis, et satisfactorium pro culpa et poena aeterna. Altera species est sacrificium εὐχαριστικόν, quod non meretur remissionem peccatorum aut reconciliationem, sed fit a reconciliatis" (ibid., p. 418).

"Opponenda est . . . doctrina vera, de merito passionis Christi, de quo dicitur cap. x ad Hebr.: Una oblatione consummavit sanctos. Sola igitur Christi mors fuit sacrificium pro omnibus nostris peccatis, non alia opera Levitica, aut postea secuta. Deinde manifestum et hoc est, remissionem peccatorum fide nos propter Christum, non propter ullum opus nostrum aut sacrificuli accipere" (ibid., p. 416).

"Nunc reliqua sunt sacrificia eucharistica, quae vocantur sacrificia laudis, praedicatio Evangelii, fides, invocatio, gratiarum actio, confessio, afflictiones sanctorum, imo omnia bona sanctorum" (ibid., p. 420).

"Coena Domini utimur tanquam sacramento, quatenus est testimonium, quo erigitur fides. Deinde haec ipsa fides, cum externo opere, est quoddam sacrificium . . . quo tribuitur Deo honos quem requirit et approbat" (ibid., p. 423).

Apologia Confessionis Augustanae: “Nos quidem facile patimur missam intelligi jure sacrificium, modo ut tota Missa intelligatur, hoc est, caeremonia cum praedicatione Evangelii, fide, invocatione et gratiarum actione. Nam haec simul conjuncta sunt jure sacrificium novi Testamenti, quia caeremonia propter hoc instituta est nec ab his divellenda est. . . Quare, etiamsi caeremonia est memoriale mortis Christi, tamen sola non est jure sacrificium, sed ipsa memoria est jure sacrificium, hoc est, praedicatio et fides, quae vere credit Deum morte Christi reconciliatum esse” (Opera omnia, Witebergae, 1601, pars 1, fol. 110).

Confessio Augustana (a. 1530), prima et fundamentalis professio fidei lutheranae, a *Melanchthonio conscripta*, sub mitiori adhuc forma eandem prorsus doctrinam proponit. Indolem sacrificalem et satisfactoriam Missae denegat, quamvis callide eam recenseat non in prima documenti parte, quae est de praecipuis articulis fidei, sed in secunda, quae agit de abusibus corrigendis (communione sub unica specie, coelibatu sacerdotum, Missa) nec vereatur magnum erga Missam venerationem simulare, asserens:

“Falso accusantur Ecclesiae nostrae, quod missam aboleant; retinetur enim missa apud nos, et summa reverentia celebratur. Servantur et usitatae caeremoniae fere omnes, praeterquam quod Latinis cationibus admiscentur alicubi Germanicae, quae additae sunt ad docendum populum” (Melanchthonius, Opera omnia, Witebergae, 1601, pars 1, fol. 33; Confessio fidei exhibita . . . in comitiis Augustae, anno 1530).

Articuli Smalcaldici (a. 1537), secunda professio fidei lutheranae *ab ipso Luthcro redacta* et a praecipuis reformatoribus subsignata, eandem doctrinam modo magis dogmatico proponit ac quinque argumentis conatur ostendere missam in papatu esse e diametro oppositam fundamentali veritati redemptionis per Christum et horrendam abominationem.

b. *Zwingliani*.

Zwinglius (1483-1531) Missae impugnationem suscitavit in Helvetia eodem tempore quo Lutherani in Germania. Ceterum ad eam ipse logice ferebatur ex ipsa sua negatione praesentiae realis Christi in sacramento, quam e contra Lutherani admittebant.

Contra Missam primo egit a. 1523 in publica quadam disputatione in qua defendit *67 articulos* continentes veluti summam suae reforma-

tionis (in art. 18 negatur sacrificium Missae; Opera omnia, ed. Schuler et Schulthess, Zurich, 1928, t. 1, p. 154).

Eodem anno scripsit opus "*De canone missae epicheresis*", in quo magis scientificè disputat contra doctrinam catholicam de sacrificio Missae, refutans praeterea singula verba Canonis (ibid., t. 3, p. 83 sqq.). Cum hoc opere connectuntur duo sequentes libri: "*De canone missae libelli apologia*" (ibid., p. 117 sqq.), "*Adversus Hieronymum Emserum canonis Missae adsertorem antibolori*" (ibid., p. 141 sq.). Anno 1525, tempore controversiae sacramentariae inter Zwinglianos et Lutheranos, scripsit opera "*De vera et de falsa religione*" et "*Subsidium sive Coronis de eucharistia*", in quibus impugnationem Missae insisterenter renovat (ibid., p. 261 sqq. 341. 353 sq.).

Zwinglius logica argumentatione et polemico vigore aliis doctoribus praecellit, dum conatur ex ratione immolationis argumentum conficere ad ostendendum Missam non esse sacrificium et insimul explicationem catholicam directe refutare.

Adversus Hieronymum Emserum . . . antibolon: "Christus illuc tantum offertur ubi patitur, sanguinem fundit, moritur: haec enim aequipollent. . . Christus non potest ultra mori, pati, sanguinem fundere. . . Ergo Christus ultra offerri non potest: mori enim non potest" (edit, supra cit., p. 142).

De canone missae: "Dicunt [catholici] verum esse quod Christus se tantum semel obtulerit, sed nos saepe eum offerre adserunt. . . Sic enim reclamant: Unam esse hostiam non negamus. Quod autem semel oblata sit sic intelligimus quod semel tantum mortuus sit. ultra nunquam moriturus; vivus tamen sibi vivo a nobis quotidie offerri potest. Quasi aliud sit Christum mori et aliud Christum offerri, aut quasi aliud moriendo aliud offerendo actum sit, aut mactari aliquid Deo possit quod non simul offeratur, aut victima ulla offeratur quae non mactetur. At Christus semel tantum mactatus est. . . Ergo semel tantum oblatus est" (ibid., p. 101).

c. Calvinistae.

Calvinus (1509-1564) qui, in quaestione de sacramento seu de praesentia reali Christi in Eucharistia, media via incessit inter Lutherum et Zwinglium, tentans eorum dissidium componere (cf. in p. 179 sq.). hic in quaestione de sacrificio Missae utriusque communi sententiae simpliciter adhaeret, eorum argumenta et acrimoniam colligens in suo praecipuo opere "*Institutio religionis Christianae*" (primo typis latinis impresso a. 1536) et in minoribus operibus "*Petit traicté de la sainte Cène*" (a. 1541), "*Reformation pour imposer silence à un*

certain belistr” (a. 1556), “*Verae Ecclesiae reformandae ratio*”, “*Epistola de sacerdotio papali*” etc.

Inst, relig. christ., l. 4, c. 18: “Horrendae abominationis caput fuit . . . quum pestilentissimo errore totum paene orbem obcaecavit [Satan] ut crederet missam sacrificium et oblationem esse ad impetrandam peccatorum remissionem” (Opera omnia, edit. Baum, Cunitz et Reuss, t. 2, 1, coi. 1051).

“[Cum Patres loquuntur de sacrificio eucharistico] simul exponunt se aliud nihil intelligere quam memoriam veri illius et unici sacrificii quod in cruce peregit Christus. . . Passim apud eum [Augustinum] reperies non alia ratione vocari caenam Domini sacrificium nisi quod est memoria, imago, testimonium illius singularis, veri et unici sacrificii” (ibid., 10, col. 1058).

“Hujus generis sacrificio [i.e. non propitiatorii sed laudis] carere non potest caena Domini, in qua, dum ejus mortem annuntiamus et gratiarum actionem referimus, nihil aliud quam offerimus sacrificium laudis” (ibid., 17, col. 1063).

“Missam in selectissima sua, et qua maxime venditari potest, integritate acceptam, sine suis appendicibus, a radice ad fastigium, omni genere impietatis, blasphemiae, idololatriae, sacrilegii scaterere” (ibid., 18, col. 1064).

Variae Professiones Fidei calvinisticae, uti Confessio Genevae, Catechismus Genevae, Confessio Scotica, Confessio Gallicana, eandem doctrinam et acrimoniam continent.

Nec aliter sese expressit ecclesia *Anglicana*, Calvinismo inquinata, in suo libro liturgico “*Book of common prayer*” (a. 1548-1552) et in symbolis fidei, i.e. *42 articulis fidei* editis sub Edoardo VI a. 1553 et *39 articulis religionis (Confessione Westminster)* editis sub Elisabeth a. 1562.

Art. 31 Confessionis Westminster, qui solus agit de sacrificio Missae, sic sonat: “Oblatio Christi semel facta perfecta est redemptio, propitiatio et satisfactio. . . Neque praeter illam unicam est ulla alia pro peccatis expiatio. Unde missarum sacrificia, quibus vulgo dicebatur sacerdotem offerre Christum in remissionem poenae aut culpae pro vivis et defunctis, blasphema figmenta sunt et perniciosae imposturae”.

Nota. Non defuerunt inter Protestantes, praecipue inter Anglicanos Ritualistas, qui ad doctrinam catholicam de sacrificio eucharistico aliquatenus accesserunt, quamvis verum conceptum sacrificii seu actualis oblationis corporis Christi non attigerint.

Ita *inter Anglicanos Grabe* (1666-1711) (cf. eius verba in p. 916 sq.) et tempore recentiori *J. H. Newman*, Tract. (Oxon.) 90, Remarks on certain passages in the 39 articles, p. 59-63 (ubi conatur in sensu sacrificii interpretare supradictum art. 31); *Ch. Gore* (episcopus anglicanus), The Body of Christ, chap. 3, London, 1902, p. 157-214; *IT. B. Frankland*, The holy Eucharist, London, 1902, p. 105-111; *B. B. Warfield*, Christ our sacrifice, in Princeton theological Review, t. 15, p. 385-422 (1917); *inter Lutheranos Leibnitius* (cf. eius verba in p. 916) et recentius *K. G. Goetz*, Die Abendmahlsfrage, Leipzig, 1904, p. 185.

Vicissim non dejuerunt inter catholicos qui ad protestanticam negationem veri ac proprii sacrificii Missae aliquatenus accesserunt.

Imprimis *Bains* hanc propositionem, a Pio V damnatam, emisit: "Sacrificium Missae non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate Deo homo inhaereat" (Denz. 1045).

Initio huius saeculi agitata est *inter theologos germanos* controversia de sacrificio Missae (controversia *Wieland-Dorsch*, ex nominibus duorum praecipuorum contendentium).⁷¹

Franz Renz (quondam inspector Seminarii Dillingen in Bavaria) a. 1901 sq. edidit Freising magnum quoddam opus (2 volumina fere 1300 paginis constantia) cui titulus "Die Geschichte des Messopferbegriffs oder der alte Glaube und die neuen Theorien fiber das Wesen des unblutigen Opfers" (Historia conceptus sacrificii Missae, vel antiqua fides et novae theoriae de natura incruenti sacrificii), in quo. ex proposito reagendi contra varias theologorum sententias de essentia sacrificii, docet: 1. verum et proprium sacrificium esse tantummodo sacrificium crucis, Missam vero non aliter posse dici verum et proprium sacrificium quam quatenus est figura sacrificii crucis; sic sentiisse totam traditionem et sic sentiendum esse etiam post definitionem Cone. Trid.; 2. hunc sacrificalem Missae characterem esse tantummodo doctrinam traditionalem nec ullatenus ex ipsa Scriptura probari posse.

Franz Wieland (vice-rector eiusdem Seminarii), Renz vestigia secutus, easdem ideas ad extremiores conclusiones deduxit, quae oppositionem theologorum et condemnationem S. Sedis suscitavit.

Primo doctrinam suam exposuit in parvo tractatu "*Mensa und*

⁷¹ De hac controversia confer *Rauschert*, Eucharist and Penance (versio ex germanica lingua), 2 edit., St. Louis, Mo., 1913, p. 62-9S; *H. Lantroy*, De essentia ss. Missae sacrificii, Louvain, 1919, p. 31.

*Confessio*⁹ Studien liber den Altar der altchristlichen Liturgie” (München, 1906), ab ipso A. Harnack laudato tanquam protestantibus ideis congruente.

Hunc librum impugnavit *E. Dorsch* S.J. in articulo “Altar und Opfer” (in *Zeitschrift für Katholische Théologie*, Innsbruck, 1908, p. 307 sqq.), cui respondit Wieland in opusculo “Die Schrift Mensa und Confessio und P. Emil Dorsch, S.J., in Innsbruck” (München, 1908). Hoc iterum impugnavit Dorsch in opere “Der Opfercharakter der Eucharistie einst und jetzt” (Innsbruck, 1909), cui respondit Wieland in majori opere “Der vorirenaische Opferbegriff” (München, 1909), discusso subsequenter a Dorsch in articulo “Aphorismen und Erwägungen zur Beleuchtung des ‘vorirenaischen’ Opferbegriffes” (in *Zeitschrift für Katholische Théologie*, Innsbruck, 1910).

Anno 1911 praefata opera Wieland *relata sunt in Indicem* (cf. *Acta Apostolicae Sedis*, 1911, p. 11).

Wieland docet:

1. Secundum Scripturam sacrificium Christi est unum tantum, i.e. sacrificium crucis, et iuxta doctrinam Ecclesiae sacrificium Missae est idem ac sacrificium crucis. Ex quo sequitur sacrificium Missae non consistere in aliqua oblatione sed in hoc quod per orationem consecrationis fit quodammodo praesens ipsa oblatio crucis in persona Christi a qua actus oblationis sacrificialis crucis est inseparabilis. Hinc sacrificium Missae, *liturgice* spectatum, est tantum quaedam *oratio*, ut putavit primitiva Ecclesia per duo priora saecula, et nonnisi *figurative et symbolice dici potest oblatio*.

2. Neque ex *Scriptura* neque ex *Traditione* duorum priorum saeculorum (usque ad S. Irenaeum) probari potest Missam esse sacrificium in sensu oblationis. In primis duobus saeculis Missa considerata est non ut oblatio sed ut oratio, non ut altare sed ut mensa, seu ut coena coniuncta orationi gratiarum actionis. A saeculo tertio accessit paulatim conceptus oblationis, et quidem symbolicae tantum, seu figurativae oblationis crucis; nec ceterum probari potest hunc conceptum, ignotum primitivae Ecclesiae, esse veritatem revelatam aut ab Ecclesia ut de fide propositam.

Non immerito plures theologi doctrinam Wieland comparant sententiae quae exprimitur in hac propositione Modernistarum a Pio X condemnata: “Coena Christiana paulatim indolem actionis liturgicae assumente, hi, qui Coenae praeesse consueverant, characterem sacerdotalem acquisiverunt” (Denz. 2049).

3. RATIONALISTAE, PROTESTANTES LIBERALES ET MODERNISTAE.

Supra exposita doctrina et recriminatio antiquorum Novatorum, quamvis adhuc supersit in catechismis, formulis fidei, sermonibus, tractatibus theologicis *Protestantismi orthodoxi*, inde tamen a fine saeculi elapsi fere obsoleta est apud coetus criticae independentis seu *Protestantismi liberalis*, qui in sua impugnatione sacrificii Missae diversam methodum secutus est, a veritate quidem remotius discedens sed insimul non inefficax, quamvis invitum, adiutorium praebens catholicae veritati contra impugnationes ipsius Protestantismi orthodoxi.

Moderni critici non amplius de essentia Eucharistiae disputant, sed *negant ipsam existentiam sen divinam institutionem ritus eucharistici sub utraque ratione sacramenti et sacrificii*.

Dicunt nempe institutionem alicuius ritus sensibilis, perpetuo in Ecclesia duraturi, fuisse prorsus alienam a mente Christi, ideis eschatologicis et spiritualisticis imbuta, ac proinde Eucharistiam originem habuisse non ex ipso Christo in ultima coena eam celebrante, sed in primitiva Ecclesia per quemdam processum evolutivum sub influxu variarum causarum psychologico-religiosarum. Quid, juxta praecipuas ipsorum sententias, Christus in ultima coena revera celebraverit ('attentis genuinis et historicis textibus Scripturae) et quomodo primitiva Ecclesia pervenerit ad institutionem Eucharistiae sub triplici ratione ritus, sacramenti et sacrificii, sufficienter exposuimus in art. 1 (p. 37-40 et 52-58).⁷²

Ceterum generale schema doctrinae criticorum continetur in *propositionibus Modernistarum* damnatis a *Decreto Lamentabili*: prop. 52 (de ideis Christi eschatologicis), 38 (de origine dogmatis de sacrificio crucis), 39-51 (de origine sacramentorum in genere et in particulari). 45 et 49 (de origine Eucharistiae ut sacramenti et sacrificii). Cf. Denz. 2038-2052.

Ex consideratione novae positionis, quam moderna critica in sua impugnatione dogmatis eucharistici assumpsit, *sequitur*:

1. Quod theologus catholicus nova etiam methodo in illius defensione uti debet, ita ut exegetice ostendat historicitatem ipsorum verborum Scripturae, quae ad sacrificium referuntur, et agiographos mentem ipsius Christi fideliter retulisse. Id in art. 1 (ubi de institutione huius sacramenti) sufficienter ostendere conati sumus.

2. Quod omnia argumenta antiquorum Novatorum (supra enume-

⁷²In *Did. Thiol. Cath.*, art. Messe, coi. 797-SOI, exponuntur moderniores sententiae Loisy, Wetter, Lictzniann, Eisler, et Volker, quae ceterum a praecipuis opinionibus expositis in art. 1 substantialiter non differunt.

rata) reiciuntur ab ipsis Protestantibus liberalibus. Juxta hos enim Christus nec ipsum sacramentum seu testamentum in ultima coena instituit; doctrina autem de sacrificio crucis non est originalis et evangelica (cf. Denz. 2038).

Praeterea doctrina de sacrificio Missae, nedum sit aliena a primitiva ecclesia et ab ipsa Scriptura, fuit ab ipsis primis fidelibus, probabiliter sub influxu S. Pauli, mature introducta (saec. 1, juxta aliquos circa a. 50) ita ut in ipsa Scriptura (Epistolis paulinis et quarto evangelio) consignaretur.

Praeterea eadem doctrina, nedum contradicat rationi sacrificii et dignitati sacrificii Crucis, est logica conclusio et consequens processus eiusdem evolutionis dogmatis redemptivi in primitiva ecclesia elaborati.

3. Quod inde subtrahitur Novatoribus praecipua ratio calumniae et recriminationis contra Ecclesiam catholicam, cui ipsi pertinaciter adiudicant inventionem sacrificii Missae et corruptionem antiquae doctrinae. Si enim inventio et corruptio habetur, haec, juxta Liberalium placita, non romanae et papali Ecclesiae tribuenda est sed primis Christianis et partialiter ipsis Scripturis, quatenus ultra mentem Christi processerunt.

4. Quod tot annorum labor, a Protestantismo contra doctrinam sacrificii Missae impensus, in pulverem dissolvitur, cum difficile non sit contra ipsos Liberales, legitimam prolem Protestantismi orthodoxi, ostendere Apostolos et primos Christianos mentem Christi fidelius interpretasse quam moderna critica, ex aprioristicis principiis ad fallacem textuum interpretationem et ad arbitrarias ac inverisimiles theorias descendens (cf. in p. 37-40 et 52-58).

PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica.

Missam esse *verum et proprie dictum sacrificium*, et quidem *propitiatorium, a Christo in ultima coena institutum*, est *de fide definita*, solemniter et directe in Cone. Trid. (can. 1, 2 et 3), solemniter sed indirecte ab Innocentio III, Cone. Later. IV, Cone. Lugd. II et Cone. Flor., constanter ab ordinario magisterio Ecclesiae.

Sacrificii Missae institutionem contineri in verbis "*Hoc jacite in meam commemorationem*" est *de fide aequivalenter definita* a Cone. Trid. (can. 2), docente per ea verba Christum praecepisse ut sacrificium offerretur; praeceptum enim offerendi involvit existentiam sacrificii.

Documenta Ecclesiae.

Ecclesia doctrinam sacrificii Missae proposuit praecipue occasione trium haeresum, Catharorum nempe in *Cone. Later. IV*, Protestantium in *Cone. Tridentino*, Modernistarum in *Decreto "Lamentabili"*. Maximum documentum est *Cone. Tridentini*, quod fusius exponetur post brevem mentionem aliorum testimoniorum.

Supra retulimus documenta contra Catharos et cognatas sectas, i.e. Concilia particularia *Aurelianense et Atrcbatense* (p. 828). *Cone. Later. II* (p. 178), *Cone. Veronense* (p. 178), *Innocentium III* (p. 178) et praecipue *Cone. Later. IV* (p. 178); item propositionem Wicleffi damnatam a *Cone. Constanticensi* (p. 830).

Praeterea Missa vocatur sacrificium ab *Innocentio III* (ter in eadem Professione fidei Waldensibus praescripta, Denz. 424), *Conc. Later. IV* (bis, Denz. 430. 435), *Honorio III* (Denz. 441), *Cone. Lugd. II* (Denz. 464), *Cone. Flor.* (Denz. 698).

Post *Cone. Tridentinum*, *Catechismus Cone. Trid.*, p. 2. c. 4. q. 69-81, dum doctrinam Concilii fusius explicat, tradit distinctionem sacrificii a sacramento (q. 71), refert ad Missam sacrificium Melchisedech (q. 75), insistit in unitate sacrificii crucis et sacrificii altaris (q. 76), declarat nullam missam proprie loquendo esse privatam (q. 80).

Pius V damnavit supra relatam (p. 839) ambiguam *Baii* propositionem, in qua videtur negari propria ratio sacrificii Missae.

Pius VI sic refert et damnat errorem *Cono. Pistoriensis* de missis privatis: "Propositio synodi, qua, postquam statuit, victimae participationem esse partem sacrificio essentiali, subiungit non tamen se damnare ut illicitas Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant; ideo quia isti participant, licet minus perfecte, de ipsa victima, spiritu illam recipiendo; quatenus insinuat, ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus, qui nec sacramentaliter nec spiritualiter de victima participant; et quasi damnandae essent ut illicitae Missae illae, in quibus, solo sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter sive spiritualiter communicet: — falsa, erronea, de haeresi suspecta eamque sapiens" (Denz. 1528).

Leo XIII, Enc. "Mirae caritatis" (1902): "Et uberrimam quidem salutis copiam non singulis modo sed universis hominibus paratam hoc habet augustissimum mysterium, ut est Sacrificium: ab Ecclesia propterea pro totius mundi salute assidue offerri solitum. Cuius sacrificii, communibus piorum studiis, fieri ampliorem cum existimatione

cultum addecet, hac aetate vel maxime oportet. Itaque multiplices ipsius virtutes sive latius cognosci sive attentius recoli velimus.

“Principia lumine ipso naturae perspicua illa sunt: supremum esse absolutumque in homines, privatim publice, Dei creatoris et conservatoris imperium; quidquid sumus, quidquid privatim publiceque habemus boni, id omne a divina largitate profectum: vicissimque a nobis Deo testandam et summam ut Domino, reverentiam, et maximam, ut beneficentissimo, gratiam. Haec tamen officia quotusquisque hodie invenitur, qui qua par est religione colat et observet! Contumaces in Deum spiritus haec, si unquam alia, prae se fert aetas. . . lamvero hanc tantam vel nequitiam vel socordiam sarciat oportet auctior communis pietatis ardor in cultu Sacrificii eucharistici; quo nihil Deo esse honorabilius, nihil iucundius potest. Nam divina est, quae immolatur hostia; per ipsam igitur tantum augustae Trinitati tribuimus honoris, quantum dignitas eius immensa postulat; infinitum quoque et pretio et suavitate munus exhibemus Patri, Unigenitum suum; eo fit ut benignitati eius non modo agamus gratiam, sed plane referamus” (Cavallera, 1105).

Pius X in Decreto “Lamentabili” a. 1907 damnat supra memoratas (p. 841) propositiones *Modernistarum*, ex quibus *prop. 49* agit directe de sacrificio eucharistico, *prop. 40* et *45* cum eodem intime connecuntur (tres istas propositiones citavimus in p. 38 sq.).

Codex J.C., can. 801, totum mysterium Eucharistiae sub triplici ratione praesentiae realis, sacrificii et communionis, concinne proponit: “In sanctissima Eucharistia sub speciebus panis et vini ipsemet Christus Dominus continetur, offertur, sumitur.”

CONCILIUM TRIDENTINUM.

Textus decisionum.

Scss. 22 est tota de sacrificio Missae ac complet doctrinam de Eucharistia traditam a Concilio in *sess. 13* (De sacramento Eucharistiae) et *21* (De Communionem). Dividitur in brevem prologum, 9 capita et 9 canones, ita tamen ut numeri capitum et numeri canonum non sibi invicem correspondeant quoad doctrinam sub eis propositam.

Cap. 1-2 et *can. 1-4* agunt de existentia et essentia sacrificii Missae; *cap. 2* et *can. 3* de fructibus et subiecto applicationis; *cap. 3* et *can. 5* de liceitate celebrandi in honorem Sanctorum; *cap. 4* et *can. 6* de canone Missae ab omni errore puro nec abrogando; *cap. 5* et *can. 7* de convenientia caeremoniarum Missae; *cap. 6* et *can. 8* de convenientia sic dictae missae privatae; *cap. 7-8* et *can. 9* de pronuntiandis submissa voce verbis canonis, de lingua vulgari non adhibenda et de

aqua in calice miscenda; cap. 9 de ratione quae movet Concilium ad condendos canones de Missa (prolegomenon ad seriem canonum;

Prologus: “Tridentina Synodus . . . ut vetus, absoluta atque omni ex parte perfecta, de magno Eucharistiae mysterio, in sancta catholica Ecclesia, fides atque doctrina retineatur, et in sua puritate, propulsatis erroribus atque haeresibus, conservetur; de ea, quatenus verum et singulare sacrificium est . . ., haec quae sequuntur docet’ (Cavallera, n. 1086).

Cap. 1: “Quoniam sub priori Testamento (teste Apostolo Paulo) propter Levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat, oportuit (Deo Patre misericordiarum ita ordinante) sacerdotem alium ‘secundum ordinem Melchisedech’ [Gn 14, 18; Ps 109, 4; Hebr 7, 11] surgere, Dominum nostrum Iesum Christum, qui posset omnes, quotquot ‘sanctificandi’ essent, ‘consummare’ [Hebr 10, 14] et ad perfectum adducere.

“Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel se ipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illis redemptionem operaretur: quia tamen per mortem sacerdotium eius extinguendum non erat [Hebr 7, 24], in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile (sicut hominum natura exigit) relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret [1 Cor 11, 24 sqq], atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur: ‘sacerdotem secundum ordinem Melchisedech’ se ‘in aeternum’ [Ps 109, 4] constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit ac sub earundem rerum symbolis Apostolis (quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat), ut sumerent, tradidit et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: ‘Hoc facite in meam commemorationem’ etc. [Lc 22, 19; 1 Cor 11, 24]. uti semper catholica Ecclesia intellexit et docuit.

“Nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Israel immolabat [Ex 12, 1 sqq], novum instituit Pascha, se ipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit ‘eripuitque de potestate tenebrarum et in regnum suum transtulit’ [Col 1, 13].

“Et haec quidem illa ‘munda oblatio’ est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per *Aialachiarn* nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, ‘in omni

loco mundam offerendam' praedixit [Mal 1, 11], et quam non obscure innuit *Apostolus Paulus Corinthiis* scribens, cum dicit, 'non posse eos', qui participatione 'mensae daemoniorum' polluti sint, 'mensae Domini participes fieri' [1 Cor 10, 21], per mensam altare utrobique intelligens.

"Haec denique illa est, quae per varias sacrificiorum, naturae et Legis tempore [Gn 4, 4; 8, 20; 12, 8; 22; Ex passim], similitudines figurabatur, utpote quae bona omnia per illa significata veluti illorum omnium consummatio et perfectio complectitur" (Denz. 938 sq.).

Cap. 2: "Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruenta [Hebr 9, 28] obtulit: docet sancta Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu ac reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum 'accedamus, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno' [Hebr 4, 16], Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit.

"Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cuius quidem oblationis (cruentae, inquam) fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur: tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite iuxta Apostolorum traditionem offertur" (Denz. 940).

Cap. 6: "Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberius proveniret; nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat atque adeo commendat, si quidem illae quoque Missae vere communes censi debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet, partim vero, quod a publico Ecclesiae ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur" (Denz. 944).

Can. 1: "Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari: A.S." (Denz. 948).

Can. 2: "Si quis dixerit, illis verbis: 'Hoc facite in meam com-

memorationem' [Le 22, 19; 1 Cor 11, 24], Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi alique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum: A.S." (Denz. 949).

Can. 3: "Si quis dixerit, Missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere: A.S." (Denz. 950).

Can. 4: "Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio, in cruce peracto, per Missae sacrificium, aut illi per hoc derogari: A.S." (Denz. 951).

Can. 5: "Si quis dixerit, Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse ideoque abrogandas: A.S." (Denz. 955).

Doctrina. Concilii.

Existentia sacrificii Missae ostenditur ex ratione perpetuitatis sacerdotii Christi; ex facto institutionis in ultima coena, in qua ipse Christus semetipsum obtulit sub speciebus panis et vini ac per verba "Hoc facite in meam commemorationem" Apostolis et eorum successoribus similiter offerendum praecepit; ex verbis Apostoli de mensa Domini opposita mensae seu sacrificio daemoniorum; ex prophetis verbis Malachiae et prophetica figura Melchisedech; ex immolatione Agni paschalis substituti per novum Pascha; ex figuralibus antiquis sacrificiis legis naturae et legis mosaicae.

Notetur tamen gradatio qua argumenta Scripturae proponuntur: Verba Christi "Hoc facite in meam commemorationem" afferuntur ut certum argumentum a Traditione propositum eorumque sensus in can. 2 solemniter *definitur*; significatio prophetiae Malachiae, necnon agni paschalis aliorumque antiquorum sacrificiorum, solemniter *declaratur*; figuralis persona Melchisedech bis inducitur, ita ut in primo loco referatur generice ad sacerdotium Christi, in secundo vero loco connectatur cum ipso sacrificio eucharistico, quamvis ipsa duo sacrificia (Melchisedech et Christi) in pane et vino *non directe inter se comparentur*; verba Apostoli afferuntur tantum ut *non obscura innuitio* sacrificii altaris.

Essentia sacrificii Missae proponitur tum positive tum negative.

Positive definitur quod "in Missa ... offertur Deo *verum et proprium sacrificium*" (can. 1), et quidem *propitiatorium* (can. 3); *docetur* quod ultima coena fuit sacrificium et quod Missa sicut coena est sacrificium *repraesentativum et commemorativum* sacrificii crucis, consistens in *oblacione corporis et sanguinis sub speciebus panis et vini* (cap. 1) et *incruenta oblacione et immolatione* Christi, atque diversum a sacrifi-

cio crucis non quoad hostiam aut sacerdotem principalem sed “*sola ofierendi ratione*” (cap. 2).

Negative definitur contra Protestantes Missam non esse tantum oblationem seu traditionem Christi in communionem (can. 1), nec nudam commemorationem sacrificii crucis, nec improprie dictum sacrificium laudis et gratiarum actionis (can. 3); item per sacrificium Missae nullo modo derogari sacrificio crucis (can. 4); item missas in quibus solus sacerdos communicat non esse illicitas aut abrogandas (can. 8); *docetur* has missas non esse censendas privatas sed communes eo quod in eis populus spiritualiter communicet et participet (cap. 6).

*Historicae circumstantiae definitionis.*³

Sess. 22 de sacrificio Missae celebrata est die 17 sept. 1562. Elaboratio tamen huius definitionis coepta est inde a die 3 dec. 1551, cum mens Concilii esset eam proferre in sess. 15, statim nempe post definitionem de Poenitentia et Extrema Unctione (sess. 14, 25 nov. 1551). Commissio 70 circiter theologorum examini subiecit 10 propositiones Protestantium, desumptas ex operibus: De captiv. babyl. (Lutheri), Apologia Confessionis Augustanae (Melanchthonii) et Loci communes (Melanchthonii), ac primum schema proposuit, quod Patres conciliares per 12 generales congregationes discussurunt.

Concilio, post interruptionem 10 annorum, iterum congregato die 18 ian. 1562, quaestio de sacrificio nonnisi in sessione 22 resumitur, praemissa definitione de Communionem sub utraque specie (sess. 21). Cum autem ex 180 theologis tunc praesentibus nonnisi paucissimi essent qui discussionibus a. 1551 habitis interfuerant, quaestio novo theologorum examini subicitur die 21 iulii; novum schema, ab his elaboratum, discutitur a Patribus in 14 generalibus congregationibus et juxta finalem redactionem definitur in sess. 22 die 17 septembris.

Ut apparet tum ex elaboratione theologorum tum ex discussionibus Patrum de utroque schemate, nullus fuit dissensus quoad essentiam doctrinae definitae de vero et proprie dicto sacrificio propitiatorio in Missa oblato.

Praecipuus dissensus et decertatio fuit *de veritate sacrificii in ultima coena*, quibusdam (ut Card. Seripando) negantibus, ea praecipue ducti ratione quod non potuit esse verum, ac praecipue expiatorium, sacrificium Christi antecederet ad sacrificium crucis, aliis vero communius affirmantibus (inter alios Laynez S.J. et Card. Madruzzo) ac respondentibus in coena jam Christi passionem incoepisse. Inde quidam vole-

³ Cf. *Diet. Thiol. Cath.*, art. Messe, col. 1112 sqq.; *Lepin*, L'idée du Sacrifice de la Messe, chap. 6; *A. Theiner*, Acta genuina Cone. Tridentini, Zagabriae, 1874, t. 1, p. 602 sqq.; *Elises*, Concilium Tridentinum, t. 8, Actorum pars S, Friburgi Br., 1919.

bant ut mentio oblationis coenae omitteretur in decreto, alii ut eius expressio mitigaretur, alii e converso ut explicitius exprimeretur quam prostat in finali decreto, alii ut in ipsis canonibus definiretur.

Pauci dissentiebant vel dubitabant de sequentibus: de valore verborum "*Hoc jacite in meam commemorationem*" independenter a Traditione (quidam proinde nolebant ut definiretur doctrina contenta in can. 2); de valore *prophetiae Malachiae*; de significatione *sacerdotii Melchisedech* (quidam enim dicebant hoc referri non ad Eucharistiam sed ad crucem); de extensione *fructus propitiatorii* (quidam enim exaggravata reputabant ultima verba can. 3); de convenientia *missarum privatarum* (quidam enim volebant eas aliquatenus limitandas esse); de *lingua liturgica* (quidam enim volebant ut nihil de ea decerneretur).

CONCLUSIO

Missa est verum et proprie dictum sacrificium N.L.

Probatur 1. *EX SCRIPTURA.*

In *A.T.* sacrificium Missae *praedicitur vel figuratur* (Antiqua sacrificia; Psal. 21; Isaias 19 et 66; Daniel 3 et 12; Melchisedech; Malachias); in *N.T.* *promittitur* (Joan. 4 et 6), *instituitur* (Synoptici et 1 Cor. in verbis consecrationis), *allusionibus declaratur* (Hebr. 13; 1 Cor. 10).

Prophetiae et figurae Antiqui Testamenti.

Sacrificium Missae figuratur in omnibus *sacrificiis A.T.*, praecipue in Agno paschali; generaliter annuntiatur a prophetis, praecipue a *Davide et Isaia*; distincte demonstratur in sacrificio *Melchisedech*; explicitè praedicitur a *Malachia*.

Valor horum argumentorum, attenta tum interpretatione Ecclesiae et Traditionis, tum etiam (contra Protestantés) interna indole ipsius textus Scripturae, intelligendus est secundum gradationem ascendentem ita ut maximus valor tribuatur ultimo, i.e. prophetiae Malachiae.

SACRIFICIA A.T. (sacrificium Abelis, Gen. 4, 4; Noe, Gen. 8. 20: Abraham, Gen. 12, 8; 22, 2 sqq.; Levitica, Exod. passim), praecipue *Agnum paschalem* (Exod. 12, 3 sq.; Deut. 16, 1 sq.), fuisse figuras non tantum sacrificii crucis sed etiam sacrificii Missae docet *Cone. Trid.* (cap. 1; cf. *Catechismus Cone. Trid.*, q. 75), innuitur ab Isaia et Malachia (cf. infra), sequitur ex eo quod, sicut ipsa antiqua religio erat figura novae per quam substituenda erat, ita oportuit ut eius sacrificia essent typus alicuius novi sacrificii quo antiqua substituerentur.

Peculiariter *eucharisticus symbolismus Agni paschalis* (quem fuisse verum sacrificium constat ex Exod. 12, 27 et Deut. 16, 2) suadetur tum ex ipsa indole conviviali Eucharistiae, quae non convenit sacrificio crucis, tum ex ipsa institutione Eucharistiae in celebratione Agni Paschalis (cf. art. 2), quo videtur indicari antiquum Pascha seu sacrificium per novam coenam sacrificalem substitui.

Propterea inter ipsos *Rationalistes* quidam docent sacrificium Missae esse evolutionem coenae paschalis Judaeorum, quamvis hanc evolutionem attribuant non ipsi Christo sed primis Christianis (cf. in p. 40 et 57).

Ex Patribus audiatur *Chrysostomus* praedictum symbolismum sic describens: “Ille quippe agnus figura erat alterius agni spiritualis, et ovis ovem praenotabat. Atque illud quidem umbra, hoc veritas erat. Cum apparuisset sol iustitiae, umbra cessavit; oriente quippe sole solvitur umbra. Ideo in eadem ipsa mensa utrumque pascha perficitur et typi et veritatis. Quemadmodum enim pictores in eadem ipsa tabula et lineas circumducunt et umbram depingunt tuncque colorum veritatem apponunt: sic et Christus fecit; in eadem ipsa mensa typicum pascha descripsit et verum addidit” (De prod. Iudae, horn. 1, 4, M.G. 49, 379).

PSAL. 21, 23 sqq., descripta passione *Messiae*, praedicit eius fructus et effectus in “generatione ventura”, in “populo qui nascetur, quem fecit Dominus”, “in ecclesia magna” in qua “universae familiae gentium” *adorabunt et manducabunt* (sic de futuro intelligi potest juxta textum hebraicum v. 30 “Manducaverunt et adoraverunt”), “edent . . . et saturabuntur; et laudabunt Dominum”.

7S/1L4.S 19, 19-21: “In illa die erit altare Domini in medio terrae Aegypti, et titulus Domini juxta terminum ejus. Erit in signum et in testimonium Domini exercituum in terra Aegypti; clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis salvatorem et propugnatorem qui liberet eos. Et cognoscetur Dominus ab Aegypto, et cognoscent Aegyptii Dominum in die illa; et colent eum in hostiis et in muneribus; et vota vovebunt Domino, et solvent.”

Hunc textum sic commentatur *Knabenbauer*:

“Mentione facta *altaris* Domini, *Θυσιαστήριον* nava . arctos veteris foederis limites auferri et tempus declarari messianicum constat, cum id terrae alienigenarum attribuat, quod ex legis mosaicae norma uni solum loco cultui sacro peculiare esse poterat. *Titulus* i.e. monumentum, columna, memoriale cultus Domini in eius honorem et gloriam erectum ac consecratum exprimit, Dei cognitionem et cultum magni

aestimari, laudes Dei publice celebrari, ipsam regionem iam professione publica Deo consecrari.

“In his duobus igitur religio designatur quae sacrificiis et orationibus laudis ac gratiarum actionis continetur et exercetur. Cum Aegyptus habeat altare Domini et monumentum eius, quod in laudem ipsius ad victorias celebrandas vel ad gratam beneficiorum recordationem erigi solet, Dominum victoriam reportasse dicitur de idolis, adesse significatur illud tempus quo etiam gentes in suo quaeque loco (cf. ad *Soph.* 2. 11) Dominum colent cultu sacrificali (cf. ad *Mal.* 1, 11) et supplicationibus et publicis monumentis magnalia Dei profitebuntur. Unde locus hic insignis quoque est ad indolem religionis cultusque tempore messianico describendam. Hunc locum *Onias IV* explicite allegat ad templum leopolitanum aedificandum. . .

“In ipsa autem enumeratione [v. 21] considera cultum exhibitum per *sacrificia* denuo commemoratum (cf. v. 19) et pietatem *votis* susceptam et declaratam; habes in utroque quasi imagine depictum illud adorationis genus quod revera Deo offert Ecclesia catholica, quodque cum iam in vetere foedere i.e. in umbra existeret, perfectiore ac sublimiore modo in novo exhiberi debet, uti ipsa ratione typi ad impletionem, umbrae ad veritatem suo iure exigitur. . .

“Unde simul perspicitur verbis prophetae non designari pro tempore messianico cultum solum oratione vel verbi Dei annuntiatione constantem [ut defendunt Protestantes], sed describi adorationem actibus sacrificii et votorum praeclaris exhibitam.”⁷⁴

ISAIAS 66, 19-21, ad finem suarum prophetiarum, enarrans conversionem omnium gentium, praedicat Deum sacerdotes ex gentibus electurum; ubi autem sacerdotium, ibi, juxta Apostolum ad Hebr. 8, 3, et sacrificium esse oportet, quod nullibi nisi in Missa in N.T. esse demonstratur.

“Et annuntiabunt gloriam meam gentibus; et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis, ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus, quomodo si inferant filii Israel munus in vase inundo in domum Domini. *Et assumam ex cis in sacerdotes et levitas, dicit Dominus.*”

Ad hunc textum observat *Knabenbauer*:

“Gentes ad Deum conversae non solum fratres appellantur populi electi (cf. 19, 24: Israel erit tertius Aegyptio et Assyrio), verum ex iis quoque Deus assumet ad dignitatem sacerdotalem v. 21 *'et assumam ex eis in sacerdotes et levitas, dicit Dominus'*; *ex eis* referri ad gentes

⁷⁴Comm, in *Isaiam* (19, IS sqq.), pars prior, Parisiis, 1887, p. 391-393.

longe plerique interpretes rite intelligunt, etiam ex iis qui *fratres* de Iudaeis accipiunt haud pauci gentes hoc loco ad sacerdotium eligi recte viderunt. . . Nam *ex Iudaeis* assumi sacerdotes et levitas minime opus erat dicere, cum ex iis semper sumpti fuerint; ergo ut sensus adsit aptus, de gentibus debet intelligi.

“Iis qui adducuntur nova et sublimior dignitas promittitur; qua promissione simul remotis limitibus legis mosaicae et huius legis abolitio et novus ordo rerum declaratur. Mutato enim sacerdotio cultus quoque mutatur et ‘translato sacerdotio necesse est ut et legis translatio fiat’ (Hebr. 7, 12). . . Elevabuntur ergo ex gentibus ad dignitatem sacerdotalem et leviticam. Quo oraculo clare indicatur fore in nova quoque theocratia ordinem sacerdotalem eumque hierarchicum, ita ut quod in aaronitico adfuerit in umbra, adesse debeat tamquam corpus in nova theocratia (cf. Coi. 2, 17).

“Neque dici potest sacerdotio declarari atque describi veram adorationem Dei [ut defendunt *Protestantes*]: nam omnes afferuntur tamquam donum Deo, omnes ergo tamquam veri cultores Dei designantur, sed praeterea ex iis Deus seligit quosdam electione singulari ad dignitatem sacerdotalem; ergo praeter adorationem et cultum Dei omnibus communem aliquid altius ac sublimius exigitur. Praeclare quoque vocatio Dei ad munus sacerdotale indicatur: ‘*assumam ex eis*’; neque enim in novo rerum ordine, ut olim, iure nativitatis confertur sacerdotium, sed ‘nemo sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo’ (Hebr. 5, 4).”⁷⁸

Patres referunt quoque ad sacrificium Missae sequentes duos textus *DANIELIS*, quorum prior recitatur ab Ecclesia in Offertorio Missae, alter solet interpretari de tempore Antichristi quando auferetur eucharisticum sacrificium (cf. *Hippolytum*, in p. 900):

3, 39 sq.: “In animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur; sicut in holocausto arietum, et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, quoniam non est confusio confidentibus in te.”

12, 11: “A tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.”

OBLATIO MELCHISEDECS, TYPUS SACRIFICII MISSAE.

Comparatio similitudinis inter sacerdotium Melchisedech et sacerdotium Christi duplex est: altera *inter duas personas*, ex qua deducitur excellentia sacerdotii Christi, ut explicatur in tractatu De Verbo Inc., juxta explicitam doctrinam Apostoli ad Hebr. 7, et admittitur a Protes-

Comm, in Isaiam (66, 19-21), pars altera, Parisiis, 1887, p. 519 sq.

tantibus,TM altera *inter duo sacrificia*, quam negant Protestantes arguentes ex ipso silentio Apostoli in eadem Epistola.

Eucharistica tamen figuratio oblationis Melchisedech probatur certo ex consensu Traditionis, probabiliter vero ex ipso textu Scripturae.

Traditionis consensus in hac re tantus est ut de ea, inquit *Petavius*. "*homini christiano dubitare sit nefas*" (De Incarn., l. 12, c. 12, n. 6j.

Praeterea *Cone. Trid.*, quamvis unus vel alter Pater de ipsa re dubitaret, suo decreto de institutione sacrificii Missae in ultima coena haec verba inseruit: "Christus, sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum, sub speciebus panis et vini, Deo Patri obtulit, et sub earumdem rerum symbolis, Apostolis . . . eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit" (Denz. 938). *Catechismus vero Cone. Trid.* addidit: "Haec Hostia tam ante, quam post latam legem variis sacrificiorum generibus praenunciata est. . . Verumtamen nulla in re ejus imaginem magis expressam licet videre, quam in Melchisedech sacrificio" (p. 2, c. 4, q. 75).

Ut de posterioribus doctoribus taceamus, *Patres* inde a *Clemente Alex*, apud Graecos et *Cypriano* apud Latinos, communiter et explicite, oblationem Melchisedech ad sacrificium Missae referunt, idque *vel* indirecte, quatenus antitypum illius oblationis dicunt ultimam coenam, cuius replicatio habetur in Missa, *vel* directe indicantes Missam ut illius antitypum; item *vel* docentes panem et vinum, a Melchisedech prolata, fuisse figuram mystici panis et vini in altari oblatores, quin explicite dicant oblationem Melchisedech fuisse sacrificalem, *vel* explicite docentes Melchisedech oblationem sacrificalem fecisse eamque oblationis novae legis figuram extitisse.

Notiora documenta" sunt:

Clemens Alex., Strom. 4, 25; *Cyprianus*, Epist. 63, 4; *Ephrem*, Hymni Azymorum, hym. 2; *Eusebius Caes.*, Demonst. 5, 3; *Chrysostomus*, In Gen., hom. 35, 5; *Ambrosius*, De myst. 8, 45 sq.; *Hieronymus*, In Psal. 109; Ep. 73 (quae tota est de Melchisedech). 3; In Matth. 4, 26, 26; *Augustinus*, Epist. 177, 12; In Psal. 33, 1, 5 sq.; De civ. Dei, 16, 22; 17, 17; 18, 35; Adv. Jud. 9, 13; *Leo M.*, Serin. 5, 3; *Arnobius Junior*, In Psal. 109; *Damascenus*, De fide orth. 14; *Isidorus*, De eccl. offic. 1, 18, 1 sq.; *Beda*, In Luc., 1, 6.

^Circa hanc comparisonem multa fabulati sunt haeretici, praesertim antiqui, inter quos sic dicti *Melchisedcciani*. Cf. *Petavium*, De Incarn., l. 12, c. 12, n. 5; De Opii. l. 1, c. 4; *Dici. Thiol. Cath.*, art. Melchisedcciens, coi. 513 sqq.

"Plura citantur a *Petavio* (De Incarn., l. 12, coi. 12, n. 6 sqq.), *Thotuassino* (De Incarn., l. 10, c. 16), *Corltiy* (Spicilegium dogm., t. 2, p. 408-437), *De la Taille* (Materium Fidei, elue. 5).

Clemens Alex., Strom. 4, 25: “Melchisedech rex Salem sacerdos Dei, qui vinum, et panem sanctificatum praebeuit cibum in figuram Eucharistiae”.

Cyprianus, Epist. 63, 4: “In sacerdote Melchisedech sacrificii Domini sacramentum praefiguratum videmus, secundum quod Scriptura divina testatur, et dicit: ‘Et Melchisedech, rex Salem, protulit panem et vinum’ (Gen., xiv, 18). Fuit autem sacerdos Dei summi, et benedixit Abraham. Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus sanctus ex persona Patris ad Filium dicens: ‘Ante luciferum genui te. Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech’ (Psal. cix, 4, 5). Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens et inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem et vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi quam Dominus noster Jesus Christus, qui *sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem?* . . . Ut ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, praecedit ante *imago sacrificii Christi*, in pane et vino scilicet constituta; quam rem perficiens et adimplens Dominus panem et calicem mixtum vino obtulit, et qui est plenitudo veritatis veritatem praefiguratae imaginis adimplevit” (M.L. 4, 387 sq.).

Augustinus, De diversis quaestionibus 83, quaestio 61: “Dominus noster Jesus Christus . . . est etiam sacerdos noster in aeternum secundum ordinem Melchisedech (Psal. cix, 4), qui se ipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, et ejus sacrificii similitudinem celebrandam in suae passionis memoriam commendavit; ut *illud quod Melchisedech obtulit Deo (Gen. xiv, 18), jam per totum orbem terrarum in Christi Ecclesia videamus ofierr*” (M.L. 40, 49).

Damascenus, De fide orth. 4, 13: “Abrahamum ex alienigenarum strage revertentem, Altissimi Dei sacerdotem Melchisedech excepit. *Mensa illa mensam hanc mysticam praesignabat*; quemadmodum sacerdos ille veri sacerdotis Christi figuram et imaginem gerebat. Ait enim: ‘Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech’ ” (M.G. 94. 1149).

In ipsa autem Scriptura haec de sacerdotio Melchisedech inveniuntur:

Psal. 109, 4: “Juravit Dominus, et non poenitebit cum: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech”.

Haec verba esse propheticè dicta de Christo interpretatur Apostolus ad Hebr. 5, 6. 10; 6, 20; 7, 1 sqq. Praeterea ipsum psalmum 109 esse

messianicum constat ex eo quod ad Christum explicite referunt primum eius versiculum (“Dixit Dominus Domino meo . . .”) tum ipse Dominus (Matth. 22, 41-46; Mare. 12, 35-37; Luc. 20, 41-44), tum Petrus (Act. 2, 34 sq.), tum Paulus (1 Cor. 15, 25; Hebr. 1, 13; 10, 13).

Gen. 14, 18 sq.: “At vero Melchisedech rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei, et ait: Benedictus Abram. . . Et dedit ei [Abram] decimas ex omnibus.”

Juxta primum textum Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ut explicite dicit Scriptura. Id autem intelligendum est de similitudine secundum ipsum ordinem sacerdotalem, ut constat ex Ep. ad Hebr. 7, 1 sqq. Ceterum Melchisedech fuisse verum sacerdotem non solum testatur Apostolus (ibid.) sed exprimitur in ipso textu Genesis voce “*Kohen*”.

De hac observat *Hummelauer*: “Voci jno . . . [hic] denegare significationem *sacerdos*, quod eadem vox 2 Reg. 8, 18 latiori sensu sumatur, puerile est atque ne ipsis quidem rationalistis recentioribus placet. Cum ille vir iam dictus sit *rex*, quid iuvat speciali inserto inciso affirmare eundem etiam fuisse *principem* (si tamen ita reddere vocem fas sit)?”⁷⁸

Juxta secundum textum Melchisedech obtulit sacrificium in pane et vino.

Hoc tenent Versio *Vulgata* (“Erat enim sacerdos”), Liturgia in *Canone Missae*, omnes doctores catholici; negant vero post *Josephum Flavium* (Ant. jud. 1, 10, 2) *Protestantes* (quibus inter catholicos consentiunt *Cajetanus*, *Renz* et *Wieland*) docentes Melchisedech obtulisse panem et vinum ad solam refectionem Abrahae eiusque sociorum. Contra quos id ex ipso textu sic probabiliter ostenditur:

Concedi quidem potest vocem “*proferens*” ex se solam non necessario significare sacrificium (quamvis id quibusdam videatur, juxta Jud. 6, 18 sq. et Isai. 66, 20). Ad rem *Hummelauer*: “fersvi, quod benorunt versiones, per se non significat *obtulit* pro sacrificio, sed *protulit*, *attulit*; unde cum *Lamy* concedimus ex sola hac voce non demonstrari sacrificium. Neque sacrificium significat Jud. 6, 18 sq., uti ib. demonstrabamus. Tamen vox aequae de sacrificio atque de alia re afferenda usurpari potest.”⁷⁹

Vox tamen *Vaw* (= et; “Et erat sacerdos”), quam habet textus hebraicus, accipienda est non in solo sensu coniunctivo, nec ita ut mem-

⁷⁸Comm. in Gen. 14, 18, Parisiis, 1895, p. 383.

Ibidem.

brum “Erat sacerdos” trahatur ad posterius “Benedixit ei” (ac si dicatur: Cum esset sacerdos, benedixit ei), sed in sensu causali et ita ut illud membrum trahatur ad praecedens “Proferens panem et vinum” (ut praecise facit versio Vulgata: Proferens panem et vinum, erat enim sacerdos).

Huic sensui *imprimis* non repugnat sive ipse textus hebraicus, sive versio graeca LXX, cum particulae Vaw et Se possint accipi in utroque sensu coniunctivo et causali; favet vero textus Masoreticus, cuius interpunctione (i.e. accentu soph-pasuc) separatur praedictum membrum a subsequentibus verbis et trahitur ad praecedentia.

Praeterea commentatores Hebraei hunc textum interpretantur de sacrificio panis et vini. “In Bereschit *Rabba R. Samuel* in cap. XIV Gen. dicit: ‘Actus sacerdotii tradidit: erat enim ipse sacrificans panem et vinum Deo sancto et benedicto’; *R. Phinees* in cap. 28 Num.: ‘Tempore Messiae omnia sacrificia cessabunt, sed sacrificium panis et vini non cessabit: sic dictum est Gen. XIV: — Et Melchisedech rex Salem protulit panem et vinum —; Melchisedech enim, i.e. rex Messias, excipiet a cessatione sacrificium panis et vini, sicut dicitur Ps. CX: — Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech —’.”⁸⁰

Praeterea idem sensus suadetur ex eo quod secus non intelligeretur quare post mentionem prolationis panis et vini fieret mentio sacerdotii Melchisedech et quare dicatur Abraham ei decimas solvisse. *Nec valet dicere* mentionem sacerdotii requiri ad explicandam benedictionem quam impertivit Melchisedech, Abraham vero ei pro hac benedictione decimas dedisse. *Nam* benedictio in A.T. non erat proprium munus sacerdotis, sed dabatur etiam a regibus, parentibus et amicis; inverisimile autem est Abraham decimas solvisse pro simplici ac communi benedictione et non potius pro proprio praestito sacerdotali officio seu sacrificali oblatione, cum praesertim Apostolus (Hebr. 7, 4 sq.) ex hac ipsa decimarum solutione deducat excellentiam sacerdotii Melchisedeciani prae sacerdotio Levitico.

Praeterea “Abram post tam insignem victoriam Deo obtulisse sacrificium gratiarum actionis, consideratis populorum orientalium et Hebraeorum moribus, ita est indubium, ut id affirmandum esset, etiamsi id nullo textu exprimeretur: ergo, cum hic noster textus facilius de sacrificio exponatur, etiam exponendus est. Porro, si Melchisedech Abramo pro sacerdotali sua dignitate ‘obviavit’ (Hebr. 7, 1), sane etiam qua sacerdos sacrificium obtulit et Abram eum, ut offerret, rogavit.”⁸¹

Praeterea inverisimile est Melchisedech obtulisse panem et vinum ad refectionem Abrahae eiusque militum, tum quia hi ex capta praeda jam

⁸⁰ P. Einig, Thcol. Dogm., De sacr., De Euch., c. 3, a. 1, Treveris, 1914, p. 219, in nota.
⁸¹ Hummelauer, l. c., p. 384.

abunde se recreaverant (Gen. 14, 11. 12. 16. 23. 24), tum quia ceterum panis erat nimis communis ac jejunos cibis qui Abrahae a rege Melchisedech offerretur. *Nec valet dicere* panis nomine intelligendum esse omne cibi genus; *nam* tunc etiam vini nomine intelligendum esset omne potus genus (lac, oleum etc.), quod est contra morem loquendi Judaeorum.

Ceterum, notandum est cum *Illumelaucr*, etiam negata ratione sacrificiali oblationis Melchisedech, “intactam servari Melchisedechi typicam rationem atque ad sacrificium N.T. incruentum respectum. Sacerdotium Melchisedech benedictis Aaroni in lumbis Abrahae typus est sacerdotii Christi sacerdotio mosaico excellentioris. Hinc iure merito salutatur Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, non vero Aaronis. Melchisedech panem et vinum proferens, licet fortasse non pro epulo sacrificali, aptus est typus Christi panem et vinum proferentis pro actu et epulo sacrificali; neque enim typus et antitypus secundum omnia sibi respondere debent.”⁸²

Determinato igitur sensu amborum textuum, sic arguitur:

Christus est sacerdos in aeternum secundum sacerdotalem ordinem Melchisedech.

Atqui sacrificium et sacerdotium sunt correlativa et ex ratione unius pendet et dignoscitur ratio alterius, cum juxta illud ad Hebr. 8, 3 ‘Omnis . . . pontifex ad offerendum munera et hostias constituatur*’ (cf. 5, 1).

Ergo datur sacrificium Christi eiusdem generis ac sacrificium Melchisedech.

Atqui sacrificium Melchisedech fuit in pane et vino, nec aliud quidquam de modo sacrificandi Melchisedech narratur in capite 14 Genesis, ad quod unice referri potest Psal. 109, 4.

Ergo datur sacrificium Christi in pane et vino.

Atqui nonnisi in ultima coena Christus legitur sacrum aliquem ritum in pane et vino fecisse et Ecclesiae faciendum praecepisse.

Ergo ultima coena, vel saltem Missa, in qua ex praecepto Christi celebratur ritus sacer in pane et vino, est verum sacrificium.

Opponunt Protestantes in ep. ad Hebraeos, in qua Apostolus explicit et diffuse (cap. 7) comparat sacerdotium Christi cum sacerdotio Melchisedech, nullam prorsus mentionem fieri de sacrificio Melchisedech.

Respondetur. Huius silentii tres rationes assignari possunt:

Primo, mentio ipsius sacrificii Melchisedech ad scopum orationis Apostoli necessaria non erat, imo minus congruebat, adeoque ab Apostolo silentio tegitur in cap. 7. Intendit enim S. Paulus probare excellentiam sacerdotii Christi, et consequenter novae legis, prae sacerdotio Levitico eiusque lege, atque ad hunc finem adducit sacerdotium Melchisedech tanquam typum sacerdotii Christi ut ex excellentia typi ostendat excellentiam antitypi relate ad idem sacerdotium Leviticum. Propterea in Melchisedech ea tantum considerat quae ad hunc finem aptius conducunt, scilicet quod benedixerit Abrahae (in cuius lumbis Levi et Aaron continebantur) atque decimas ab eo acceperit (in quo ostenditur superioritas); quod ex ipso nomine fuerit rex justitiae (Melchisedech) et pacis (Salem); quod fuerit sine antecessore et successore (in quo ostenditur mira singularitas, typus excellentiae et aeternitatis sacerdotii Christi). Comparatio autem inter sacrificium Melchisedech in pane et vino et sacrificium Leviticum (praecipue Agnum paschalem) ad talem finem non conducit, quin potius ei obstare videatur; unde ab Apostolo omittitur.

Secundo, non improbable est Apostolum ad hanc omissionem induc- tum fuisse etiam ex eo quod inter Hebraeos, quibus indiscriminatim scribebat, plures, praesertim non Christiani, poterant, sicut *Josephus Flavius* (Ant. jud. 1, 10, 2), in ea esse sententia quod Melchisedech verum sacrificium non obtulerit sed tantummodo cibum Abrahae protulerit; quibus proinde argumentum petatum ex comparatione sacrificii Melchisedech cum Levitico fuisset sine ullo valore.

Tertio, verisimile est ipsam indolem apologeticam totius epistolae, quae ad Hebraeos tam Christianos quam infideles indistincte dirigebatur. induxisse Apostolum ad tacendam apertam mentionem sacrificii eucharistici et ad eas cautiones sumendas quas postea ipsi Patres adhibuerunt in sic dicta "disciplina arcani". Propterea circa finem epistolae nonnisi transeunter ac velate ad sacrificium eucharisticum alludit, inquiens: "Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt" (13, 10). Praedictae cautionis signum praebet ipse Apostolus cum, initio sermonis de Melchisedech, ait se difficilem rem esse expositurum ac malle ea praetermittere quae ut elementaris doctrina sunt omnibus fidelibus nota (5, 11; 6, 1); ubi videtur innuere se ideo de sacrificio eucharistico silere quia est omnibus bene notum et ideo eius comparationem cum sacrificio Melchisedech omittere quia haec difficile intelligeretur ab ipsis christianis "quoniam imbecilles facti estis ad audiendum".

PROPHETIA MALACHIAE

In argumento libri Malachiae (qui prophetavit post reditum populi ab exilio et reaedificationem templi (ante a. 445), praemissa brevi introductione de praerogativa populi electi (1, 1-5), duplex exponitur pars: in priori (1, 6 ad 2, 9) reprehenduntur sacerdotes de neglectu et contemptu in sacrificiis offerendis (1, 6 sq.: “Ad vos, o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, et dixistis: In quo despeximus nomen tuum? Offertis super altare meum panem pollutum, et dicitis: In quo pollui- mus te? In eo quod dicitis: Mensa Domini despecta est. ’); in altera (2, 10 ad 4, 6) reprehenditur populus de variis peccatis contra religio- nem; in utraque non semel annuntiatur tempus messianicum, novus cultus et “angelus testamenti”.

In priori parte, post verba increpatoria nuper citata, profertur fa- mosa *pericope de oblatione munda*, in qua, praemissa repudiatione ve- terum sacrificiorum (usitata apud prophetas: cf. Psal. 49, 8-14; Isai. 1,13-15; Am. 5, 21; Prov. 15, 8), promittitur novum sacrificium:

1, 10 sq.: “*Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus; et in omni loco sacri- ficatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.*”

Tota catholica *traditio*, si excipiantur quidam moderniores qui, ut merito ait *Franzelin*, “tali in causa nullius . . . sunt auctoritatis”, docet in his verbis contineri prophetiam de sacrificio N.L. quod in Missa celebratur.

Tantus autem est Traditionis in hac re consensus ut de ea vir catho- licus *temerarie* dubitare censeatur; imo *Cornelius a Lapide* (In h. 1.) scribere non renuit: “Verum dico, de fide est hanc oblationem mundam esse sacrificium corporis et sanguinis Christi in Eucharistia.”⁸⁴

Concilium ipsum Tridentinum solemniter docet: “Et haec quidem illa *munda oblatio* est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod mag- num futurum esset in gentibus, ‘in omni loco mundam offerendam’ praedixit [Mal 1, 11]” (Denz. 938).

Jam antiquissimum inter Patrum documenta, *Didache* (inter 90 et

⁸⁴ *Bellarminus*, De Euch., l. 1, c. 10; *Cornelius a Lapide*, In h. 1.; *Knabenbauer*, In h. 1.; *Franzelin*, De Euch., thes. 29; *Lagrange*, Les prophéties messianiques des derniers prophètes, in Revue Biblique, 1906, p. 79 sq.; *Did. Thiol. Calh.*, art. Malachie, col. 1751 sqq.

⁸⁵ Comm, in S. Script., t. 14, Parisiis, ISoO, p. 561.

100), 14, 1-3 (cit. infra in p. 894), verba Malachiae explicite refert ad Missam. Similiter *Justinus*, Dial, cum Tryphone Judaeo, 41 (cit. in p. 897) et *Irenaeus*, Adv. haer. 4, 17, 5 (cit. in p. 899 sq.).

Antiquiora haec testimonia secuti sunt unanimiter alii Patres,⁸⁵ uti *Tertullianus*, Adv. Mare. 3, 22; 4, 1; Adv. Jud. 5, 6; *Cyprianus*, Testim. 1, 16; *Eusebius*, Dem. evang. 1, 10; *Chrysostomus*, Adv. Jud. 5, 12; *Hieronymus*, In Malachiam, 1, 10-14; In Ezechielem, 21, 25 sq.; *Augustinus*, De civ. Dei, 18, 35; Adv. Jud. 9, 12 sq.; *Cyrillus Alex.*, In Malachiam, 1,11; *Damascenus*, De fide orth. 4, 14.

Notat *Franzelin*: "Fateor, me non assequi, quid sibi velit vir doctus *Z. Reinke* (der Prophet Malachi p. 322.) de Patrum consensione dubitans, eo quod *Chrysostomus* in Ps. VIII. n. 1, in Ps. CXII. n. 1. (MG LV, 106-108, 299-301.); *Cyrillus Hieros.* Cat. XVIII. n. 25. (MG XXXIII, 1046.); *Isidorus Clarius* et *Vatablus* ab interpretatione textus Malachiae de sacrificio Eucharistiae dissentiant. *Chrysostomus* enim tum ipsis locis citatis docet, praedici a Malachia novam λατρααί, tum horn. V. n. 12. contra Iudaeos (MG XLVIII, 901-904.) diserte de nostro sacrificio in Ecclesia Christiana prophetiam interpretatur. *Cyrillus I.e.* solum habet prae oculis reprobationem synagogae et catholicitatem Ecclesiae Christianae ad quam probandam inter cetera adfert non totum textum sed haec tantum verba vaticinii: 'ab ortu solis usque ad occasum magnum nomen meum in gentibus'. At haec sane non est dissensio ab interpretatione prophetiae de sacrificio Eucharistiae, cum *Cyrillus* non totum, quod in ea continetur, sed illud unum respiciat. quod ad eius scopum tum pertinebat. *Isidorus Clarius* et *Vatablus* scriptores saeculi XVI. quibus addi possent *Arias Montanus* (cf. *Belarmin.* de Euch. l. V. c. 10), *Jahn* (Biblische Archâologie T.V. § 31. p. 180.) aliique similes, tali in causa nullius profecto sunt auctoritatis."⁸⁶

Protestantes vero, *Rationalistae* et *aliqui catholici* negant in illis verbis haberi prophetiam de sacrificio eucharistico.

Quidam negant *indolem propheticam* illorum verborum, docentes ea non referri ad tempus futurum seu messianicum sed ad tempus praesens, ita ut in eis agatur:

Vel de cultu orationis et laudis praestito Deo ab illis Judaeis qui post captivitatem remanserant apud gentes, per multas regiones dispersi; ita *rabbini* interpretabantur prophetiam Malachiae, ut constat ex *Justino* (Dial, cum Tryphone, 117, infra cit., p. 897 sq.);⁸⁷ similiter sentiunt *Ewald* et *Pressel*;

⁸⁵Cf. testimonia apud *Corluy*, Spicilegium Dogm., t. 2, p. 398-108; *Touzard*, in Diet. Apol., t. 2, coi. 1629 sq.

* De SS. Euch., thes. 29, n. 2, Romae, 1932, p. 395.

⁸⁷Cf. etiam apud *F. Weber*, Jüdische Théologie, Leipzig, 1897, p. 68.

Vol de quadam generali mutatione mentium animorumque gentium in melius et propensione ad Deum verum cognoscendum eiusque religionem sectandam, in quas influxum habuerint ipsa dispersio Judaeorum inter gentes, eorum mirabilis liberatio, praedicatio prophetarum (v.g. Jeremiae et Danielis, qui Nabuchodonosor regi fuerunt bene noti), edicta Nabuchodonosor, Cyri et Assueri, victoriae ipsius Cyri qui idololatriae Asiae et Aegypti adversarius fuit; ita *Loch* et *Prccssel*;

Vel de cultu veri Dei implicite contento in religionibus et sacrificiis paganorum, juxta illud Apostoli ad Athenienses (Act. 17, 22 sq.): “Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis”; ita post *Theodorum Mopsuestenum* plures *Protestantes liberales* et quidam catholici ut *Arias Montanus*, *Isidorus Clarius*, *Vatablus*, *lahn*. *Theodorus Mopsuestenus* scribit: “Ubique terrarum nomen meum cuncti sectantur cuiusque regionis incolae; nam singuli Deum colere satagunt eiusque nomen venerari ceu principis et domini, cuiuscemodi ego revera sum. adeo ut etiamsi errore decepti nomen iis quos non decet imponunt, nihilominus nomen adhuc meum quodammodo honorent omnes et in nomine meo sacrificia perficiant, dum omnium rerum maximam et excellentissimam indicant divinitatem”/3

Alii, ut post *Calvinum* (Inst, christ. 4, 18, 4. 16) frequenter antiquiores *Protestantes* et inter moderniores *Hcngstenbcrg* et *Kcil* quos sequuntur *quidam catholici germani*TM admissa indole prophetica verborum Malachiae, *negant ea referri ad sacrificium eucharisticum* ac docent in eis praedici purum ac spirituales cultum adorationis et laudis qui in N.T. successit, juxta *verba Christi* ad Samaritanam: “Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem . . . venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate” (Joan. 4, 21-23) et *verba Apostoli* ad Rom. 12, 1: “Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei. ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum” (cf. 1 Petr. 2, 5).

Ilis praemissis, sic conficitur argumentum, attento textu Malachiae:

In eo agitur 1. de tempore futuro seu messianico, 2. de sacrificio proprie dicto, 3. de sacrificio novo, mundo et universaliter celebrato. Atqui non alius ostendi potest ritus, cui omnes hi characteres conveniant, praeter ritum eucharisticum qui in Ecclesia sub nomine Missae celebratur. Ergo Missa est verum sacrificium a Malachia praenuntiatum.

“Apud *Knabenbauer*, Comm, in prophetas minores, pars altera, Parisiis, 1886, p. 435.

*Cf. *Knabenbauer*, op. cit., p. 441; *Card. Maignan*, Les derniers prophètes d'Israel, p. 353.

Ad minorem.

Sacrificia levitica non pertinent ad tempus messianicum in quo antiqua lex cum suis ritibus abrogata est; nequeunt dici a propheta oblatio nova, nec munda, utpote profanata, ut ipse conqueritur propheta, ab indignis sacerdotibus, nec universaliter celebrata, cum tantum Jerosolymis offerri poterant. *Sacrificia gentilia* non sunt nova nec munda. *Sacrificium crucis* non celebratur universaliter et in omni loco sed semel pro semper oblatum est. *Sacrificium spirituale* adorationis et laudis non est quid novum nec praesertim est proprie dictum sacrificium.

Missa vero est ritus N.T. a Messia in ultima coena institutus; habet in se quidquid desideratur ad rationem sacrificii proprie dicti, i.e. victimam, offerentem, oblationem et immolationem (in art. 47 dicitur quomodo ratio sacrificii in Missa concipi possit); est oblatio nova et in antiqua lege prorsus inaudita (Melchisedech enim obtulit tantummodo nudum panem et vinum); est oblatio munda “quae, ut ait Cone. Trid., nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest”, offertur enim ipse Christus et ab ipso Christo quamvis mediantibus humanis ministris seu instrumentis; est oblatio universaliter celebrata quoad tempus et locum, seu catholica sicut ipsa Ecclesia.

Ad maiorem.

1. Quoad tertium membrum nulla est difficultas. *Novitas enim oblationis* aequivalenter proponitur a propheta in ipsa oppositione inter sacrificium quod reicitur et oblationem quae est Deo acceptabilis (“Munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis . . . offertur nomini meo oblatio munda”); *mundities* et *universalitas* proponitur explicitis verbis: “Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda”.

Restat igitur probandum primum et secundum membrum *contra binas adversariorum sententias*.

2. Agitur de tempore futuro seu messianico.

Nam *imprimis* praedicatur *universalitas cultus publici veri Dei*. *Universalitas* quippe indicatur verbis “A solis ortu usque ad occasum” (i.e. ab uno ad aliud extremum terrae lumine solis perlustratae; cf. Psal. 49. 1; Psal. 112, 3; Isai. 45, 6; 59, 19), item verbis “Omni loco” et “In gentibus” (vox enim *hagoim* designat alios populos in oppositione ad populum judaicum). *Publica et manifesta ratio* huius cultus indicatur tum iisdem verbis tum emphaticis illis, bis repetitis, “Magnum est nomen meum in gentibus”. *Ratio veri Dei* indicatur determinatis et

personalibus expressionibus “Munus non suscipiam de manu vestra”, “Magnum est nomen meum”, “Offertur nomini meo oblatio munda”.

Secundo, praedicatur *abolitio legis mosaicae*, ut patet tum ex cessatione sacrificiorum illius legis (“Munus non suscipiam de manu vestra”), tum ex ipsa universalitate sacrificii, quod in lege mosaica non nisi Jerosolymis offerri licebat.

Jamvero haec duo soli tempori futuro seu messianico, nullatenus vero tempori praesenti, in quo Malachias vivebat, conveniunt.

Nam juxta prophetas nota distinctiva temporis messianici sunt universalitas cultus veri Dei apud gentes (cf. Psal. 21, 28; Psal. 71, 10 sq.; Isai. 11,9; 49, 6; 60, 9; 66, 19; Amos 9, 12; Mich. 4, 2) et abolitio legis mosaicae ac remotio veteris theocratiae (cf. Jerem. 3, 16; Mich. 7, 11).

Tempore autem Malachiae, lex mosaica nedum cessaverit, eius potius cultus una cum templi aedificatione restauratus est. Apud gentes vero non verus Deus colebatur sed falsae religiones ubique vigeabant.

“Cum igitur ex serie prophetiarum indiciis adeo claris tempus messianicum designetur, non audiendi sunt qui propter participia hebr. non tempus futurum sed praesens describi volunt. Quasi non etiam apud Hebraeos participium adhibeatur de re futura (cf. Gen. 15, 14) vel quasi non sollemne sit apud prophetas res futuras praesentes sistere et tamquam praesentes videre et describere; cf. Is. 7, 14; 9, 5. Delineat enim participium statum et conditionem permanentem”.⁹⁰

Ex his patet quid dicendum sit ad tres opiniones adversariorum.

Primo, inaniter quidam dicunt Malachiam loqui de cultu praestito vero Deo a Judaeis qui, post tempus captivitatis, inter gentes remanserunt.

Nam ad justificandum sensum verborum “Magnum est nomen meum in gentibus” non sufficit ut inter gentes fuerint quidam Judaei colentes Deum, sed requiritur ut ipsae gentes Deum venerentur, nec a fortiori sufficit praesentia Judaeorum inter paucas gentes. *Ceterum* gratis supponitur Judaeos illos, qui contra Dei praeceptum (cf. Zach. 2, 7) inter gentes cum periculo suae fidei permanserunt, meliores fuisse eis qui ad sanctam civitatem reversi sunt, aut saltem tanta fide ac pietate emuisse ut inter gentes gloriam Dei sui constituerent et in ipsa Judaea suis concivibus in exemplum a propheta proponerentur (cf. *Knabnbauer*, 1. c.).

Secundo, inaniter alii recurrunt ad supradictam propensionem gentium erga veram religionem.

Nam, quamvis aliqua veri Dei notitia per Judaeos inter gentes fuerit

⁹⁰ *Knabnbauer*, Comm, in prophetas minores, pars altera, Parisiis, 1886, p. 434.

propagata, ex qua etiam benevola quaedam erga eos ratio agendi gentilium eorumque principum ortum habuerit, non inde sequitur magnum fuisse apud illos populos, et a fortiori generice apud gentes, nomen Dei, nec ita ut offerretur Deo in omni loco oblatio munda, qua etiam sacrificium Jerosolymitanum offuscaretur.

Ad Cyrum quod attinet, notat *Knabenbauer*: “Ex monumentis cuneiformibus didicimus, Cyrum etiam diis Chaldaeorum templa erexisse, eum veneratum esse Bel, Nebo, Marduk, numina Babyloniorum, eum asserere recepisse mandata a Marduk, et aliis quoque gentibus permisisse reditum in sedes patrias (cf. *Vigouroux*, la Bible et les découvertes modernes, 3. edit. IV p. 460. 511 seq.; Civiltà cattolica, serie XII vol. 3 p. 526; vol. 5 p. 165; vol. 8 p. 405). Unde edicto Cyri non est nimium tribuendum; similiter enim de diis Babyloniorum loquitur, et optime intelligitur, cur de ipso dicatur: ‘accinxi te *et non cognovisti md* (Is. 45, 5). Ergo non iam sermo esse potest de Cyro, veri Dei cultore, non iam de Persis quasi idololatriae destructoribus!”⁹¹

Tertio, inepte alii docent Malachiam loqui de *cultu veri Dei implicito contento in paganis religionibus*.

Nam, testante Apostolo, gentes non Deo mundam oblationem sed daemoniis immundum sacrificium offerebant (1 Cor. 10, 20) et quamvis Deum cognoverint non tamen sicut Deum glorificaverunt (Rom. 1, 21-25). Nec ceterum eorum cultus, prout dirigebatur ad Divinitatem generice spectatam, justificat sensum personalem verborum Dei “Magnum est nomen meum in gentibus, et . . . offertur nomini meo oblatio munda”. Ad hunc tantum genericum cultum Deitatis alludit *Apostolus* (Act. 17, 22 sq.), cum ex nota inscriptione “Ignoto Deo” opportunitatem sumit annuntiandi Atheniensibus cultum veri Dei quem ignorabant (cf. *Knabenbauer*, 1. c.).

3. *Agitur de sacrificio proprie dicto.*

Id patet primo *ex contextu*. Nam ipsa antithesis inter antiquam et novam oblationem, et praecipue ipsa ratio substitutionis unius alteri, exigit ut sicut antiqua oblatio erat proprie dictum sacrificium ita et nova per quam illa substituitur. Nec *ceterum* sacrificium improprie dictum, seu orationis et laudis, concipi potest ut quid novum et introducendum, cum semper extiterit. *Insuper*, 3, 3 sq. dicitur novum sacrificium esse offerendum a novis ac mundis sacerdotibus (“filiis Levi”; sic dictis non ratione tribus sed muneris), qui juxta Isaiam, 66, 21 ex gentibus assumuntur; sacerdos autem ordinatur ad sacrificium proprie dictum offerendum, cum sacrificium laudis ab omni fidei praestandum sit.

Praeterea res evidens est *ex ipso textu*: “Et in omni loco sacrificatur (*muktar*), et offertur (*muggash*) nomini meo oblatio (*minehah*) munda”.

Nam tria illa verba hebraica (praesertim primum et tertium), quae veluti acervatim in eodem textu adhibentur, sunt *termini technici* frequentissime adhibiti in Scriptura ad proprie dictum sacrificium significandum. *Imo* vox *Minchah*, omnibus exegetis consentientibus, in nullo loco Scripturae accipitur in sensu metaphorico sacrificii interni.

Quoad alias vero voces notandum est cum *Knabenbauer* quod “ubi voces ceteroquin sacrificiales de sacrificio metaphorico usurpantur, id non fit nisi addita quadam determinatione, uti iam bene notavit *Bellarminus*, dici scii. v.g. sacrificium laudis, iustitiae, hostiam vociferationis vel sacrificium Deo esse spiritum contribulatum vel sacrificium sanctificationis, sacrificium salutare esse attendere mandatis (Eccli. 35. 2) vel: ‘qui facit misericordiam, offert sacrificium’ (Eccli. 35, 4); neque obstat Ps. 140, 2: ‘elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum’; psalmista enim a Deo efflagitat, ut orationem ipsius tam benigne respiciat et gratam habeat, ut acceptum ei est et gratum sacrificium vespertinum, utpote a Deo ipso ordinatum.”⁰²

Praeterea voces *Muktar* et *Minchah* aliquid magis quam sacrificium proprie dictum importare videntur ac pleniorum sensum propheticum continere. Nam *Muktar* (suffimentum seu exhalatio incensi) non improbabiler refertur ad ipsum usum liturgicum thuris qui in celebratione Missae frequentatur et *Minchah* (sacrificium incruentum, imo fertus seu cibus) probabiliter refertur ad rationem incruentae oblationis et communionis quae est propria ratio sacrificii Missae prout distinguitur a sacrificio crucis.

Ad quorum intelligentiam sequentia adnotasse juvabit:

Quoad textum ipsum.

Textus hebraicus non est absque variantibus, quae tamen eius sensum non mutant. Ad litteram sic sonat: “Et in omni loco suffimentum oblatum nomini meo, et (incruentum) sacrificium mundum” (*Franzelin*), vel melius: “In omni loco suffitur, offertur nomini meo et quidem oblatio munda” (*Knabenbauer*).

Versio graeca LXX reddit! εν παντι τόπω θυμίαμα προσάγεται ἰπὶ τῷ ἄνόματι μου και Ουσία καθαρὰ i.e. In omni loco sacrificium incensi offertur nomini meo et oblatio munda (*Lagrange*).

n Op. cit., p. 438.

Versio Syriaca sonat: “Ponunt aromata et offerunt nomini meo sacrificia munda”.

Versio Vulgata reddit: “Et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda”.

Quoad tres terminos sacrificales in textu adhibitos.

Muktar: i.e. suffimentum vel suffitur (prout accipitur ut participium verbale vel ut nomen verbale).

Verbum *hiktir* (a radice *katar*): cum suis derivatis occurrit circiter 146 vicibus ac significat suffire, adolere, incendere, cremare incensum.

Adhibetur semper *in sensu sacro et quidem sacrifico*, si forte excipiantur paucissimi loci in quibus accipitur in sensu non sacro (Psal. 148, 8; Prov. 27, 9; Cant. 3, 6). Quamvis autem *Muktar* juxta primariam impositionem importet conceptum thuris et propriissime designet sacrificium incensi in altari aureo, adhibetur tamen ad significandum omne genus sacrificii (cf. Lev. 1, 9. 17; 3, 11. 16; 4, 10. 35).

“*Nullibi* [autem adhibetur] sensu metaphorico, ubique sensu proprio (etiam Hab. 1, 16). Neque iure opposueris Ps. 140, 2 et Apoc. 5, 8. Nam ‘dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo’ non ipsa oratio dicitur incensum, sed petitur, ut Deus orationem hominis habeat acceptam et gratam, sicut ei placet sacrificium thuris, quod etiam clarius, ut addit *Bellarminus* ad hanc textus acceptionem, posuit Daniel cum ait: ‘in animo contrito et in spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum et taurorum et sicut in millibus agnorum pinguium’ (Dan. 2, 39. 40). In Apocalypsi autem non est locutio metaphorica, sed visio sensibus exhibita enarratur; et ex eo quod in tali *visione* phialae aureae plenae odoramentorum cernantur, ut exprimatur orationes sanctorum ascendere ad thronum Dei esseque gratas, non sane concludi potest, incensum in s. literis V.T. metaphorice dici pro oratione.”⁹³

Disputant exegetae quo sensu vox *Muktar* accipienda sit in textu Malachiae.

Quidam, prae oculis habentes graecam versionem et quosdam alios textus Scripturae (Psal. 140, 2; Apoc. 5, 8), eam accipiunt in sensu *metaphorico* sacrificii improprie dicti adorationis et laudis, ita ut prima pars prophetiae (sacrificatur seu suffitur) agat de sacrificio improprie dicto, altera vero (offertur oblatio munda) de sacrificio proprie dicto. Ita *Cornelius a Lapide* et *Reinke* post plures Patres, ut *Irenaeum* (Adv. haer. 4, 17, 6), *Tertullianum* (Contra Mare. 3, 22; 4, 1), *Hieronymum* (In Malach. 1, 10).

⁹³ *Knabenbauer*, Comm. in prophetas minores, pars altera, Parisiis, 1886, p. 440.

Cui sententiae obstat quod, ut dictum est, vox illa numquam in Scriptura accipitur in sensu metaphorico. “Non nego, inquit *Knabenbauer*, varia in incenso eiusque odore excogitari posse, quae orationem piam apte adumbrent et symbolice exhibeant. At in interpretando non agitur, quid possit esse, sed quid *sit*; quaerendum scii, est, non utrum *nobis* eiusmodi metaphora familiaris, sed utrum *veteribus*, utrum Malachiae fuerit necne. Et in hac re experior difficultatem. Frequentissime enim in V.T. de suffitu vel incenso est sermo; at *nullibi* sensu metaphorico, ubique sensu proprio (etiam Hab. 1, 16). . . Locutio vero metaphorica apud Malachiam etiam ex eo excluditur, quia cum *minchah*, quae vox metaphorice capi nequit, revera fere semper thus erat coniunctum (cf. Lev. 2, 1. 15; 6, 15; 24, 7). Quare non video, quomodo iure ad locutionem metaphorica confugiamus.”⁹⁴

Alii dicunt Muktar accipi pro sacrificio proprie dicto sed in sensu generali, ita ut nota suffimenti nullam habeat prophetica significationem, cum suffimentum thuris quod in Missa adhibetur nullatenus pertineat ad essentiam sacrificii. Unde mens prophetae est tantum tria verba sacrificalia accumulare ad inculcandam veram rationem sacrificii in oppositione ad sacrificium improprie dictum.

Alii, praecipue *Knabenbauer*, docent Muktar accipiendum esse etiam in sensu specifico sacrificii in quo thus adoletur, quodque verificatur praesertim in solemniori celebratione Missae.

Ad rem *Knabenbauer*: “Ubique et frequenter in cultu liturgico *thus* adoletur, et adoletur in oblatione Missae sollemniore. Id casu ac fortuito fieri dicet nemo. Ergo revera prophetia *ad literam* impletur. Si autem *talis* est impletio, cur *eandem* esse praedictionem asserere dubitabis? Veram explanationem iam profert *Theod.* ita oraculum proponens: ‘omnium terrarum habitatores, quas sol exoriens et occidens radiis suis illustrat, et ubique incensum (*θυσιαμα*) mihi offerent et hostiam puram mihi gratam sacrificabunt’. Exinde tamen minime consequitur, incensum habere rationem veri sacrificii in N.T.; neque enim in V.T. thus ferto additum erat sacrificium distinctum, et cum in oraculo nostro ita coniunctum cum *minchah* efferatur, de *sacrificio* thuris cogitari nequit. Ceterum si dicitur *suffitur*, nihil aliud indicatur nisi quod verbum de se dicit; utrum ei insit ratio sacrificii vel sola honoris significatio, aliunde determinari debet.”⁹⁵

Muggash: τὰ», i.e. offertur.

Verbum *higgish* i.e. offerre (a radice *nagash* — accedere, appropinquare), cum adhibetur in usu sacro significat proprie dictum sacrifi-

*¹ Op. cit., p. 439 sq.

"Comm, in prophetas minores, pars altera, Parisiis, 1886, p. 440.

cium, ut patet tum ex Malachia (ter in immediato contextu: 1, 7-8, bis inferius: 2, 13; 3, 3) tum ex aliis locis Scripturae (Exod. 32, 6; Lev. 2, 8; 8, 14; Jud. 6, 19; Amos 5, 25). Nunquam adhibetur, per se et absque ulla determinatione, ad sacrificium improprie dictum, seu internum, significandum.

Minchah: niw, i.e. munus, oblatio.

Haec vox, quae adhibetur circiter 154 vicibus, quandoque usurpatur in usu *projano* ad significandum dona et munera principibus oblata (v.g. Jud. 3, 15; 1 Reg. 10, 27; 4 Reg. 17, 4; Psal. 45, 13; Osee 10, 6).

In usu *sacro* semel tantum vel bis significat sacrificium cruentum (1 Reg. 2, 17 et praesertim Gen. 4, 4 ubi sacrificium cruentum Abel vocatur Minchah, ea fortasse ratione quod, cum comparetur sacrificio incruento Cain, conveniens fuit utrumque sacrificium eodem nomine designare). In usu vero stricte *liturgico*, seu in illis Scripturae locis in quibus traduntur praecepta liturgica et ex quibus proinde desumi potest norma ad liturgicorum nominum significationem intelligendam, Minchah semper adhibetur ut terminus technicus ad designandum sacrificium *incruentum*, et quidem ordinarie ipsum *jertum* seu cibum sacrificalem (cf. Lev. 2, 1 sq.; 6, 7. 13; 7, 9; Num. 15, 4 etc.).

Nunquam prorsus adhibetur, nequidem cum addita declaratione, ad sacrificium improprie dictum significandum; unde nulla est ratio quare in verbis Malachiae (v. 11 ‘Oblatio munda’) Minchah sit metaphorice accipienda, cum praesertim in eodem textu (v. 10 ‘Munus’) certissime accipiatur in sensu proprio.

Sola quaestio, quae cum exegetis agitari potest nec cum certitudine solvitur, est an nomen Minchah in v. 11 (‘Oblatio munda’) significet tantum sacrificium proprie dictum in genere, vel etiam sacrificium ipsum incruentum, ita ut habeatur plenior sensus propheticus de sacrificio Missae.

Hoc ultimum, quod docent *Reinke, Trochon, Corluy, Knabenbauer, Lagrange, Crampon*, probabilius videtur, attento communi et tecnico sensu ipsius vocis. In favorem quidem prioris sensus opponunt alii, ut *Schegg*, eam vocem in v. 10 (‘Munus’) significare sacrificium in genere atque inconveniens esse eam in eodem contextu, et quidem in versiculo immediate sequenti, obtinere novam specificam significationem sacrificii incruenti. At Reinke, Trochon et Corluy non reputant id esse inconveniens; Knabenbauer vero ex admissio inconvenienti duplicis significationis concludit et ostendit Minchah etiam in v. 10 significare incruentum sacrificium.

Ex dictis apparet nullo fundamento fulciri *metaphorica interpretatio huius prophetiae a Protestantibus dejensa*.

Vitiosa autem est allegatio textuum *Joan. 4, 21-23* et *Rom. It 12* de sacrificio interno ad probandum in verbis Malachiae agi non posse nisi de sacrificio improprie dicto. Haec probatio bene concluderet si prius ostenderetur in N.T. non alia haberi sacrificia quam improprie dicta, quod gratis supponitur, cum id in praefatis textibus non asseratur et in aliis textibus, mox discutiendis, excludatur. Ceterum gratis etiam assumitur textum *Joan. 4, 21-23* agere de sacrificio metaphorico, cum potius in eo contineri videatur promissio proprie dicti sacrificii eucharistici, ut continuo ostendetur.

SACRIFICIUM MISSAE IN NOVO TESTAMENTO.

Quemadmodum sacramentum Eucharistiae promittitur in *Joan. 6*, instituitur in ultima coena a Synopticis et Paulo enarrata, declaratur ab eodem Apostolo in *1 Cor. 10, 16-21*, ita, quamvis minus perspicuis verbis, sacrificium eucharisticum *promittitur in Joan 4 et 6, instituitur in eadem ultima coena, declaratur duplici saltem allusione a Paulo in Hebr. 13 et 1 Cor. 10.*

PROMISSIO SACRIFICII EUCHARISTICI.

JOAN. 4, 21-23: "Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. . . Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate."

In hoc ipso textu, quo Novatores ad evertendum omnem cultum externum, ac praecipue sacrificium Missae, frequenter abutuntur, non solum cultus externus nullatenus negatur, ut ostendunt exegetae (cf. *Maldonatum* et *Lagrange*, In h. 1.), sed etiam *probabiliter* continetur promissio ipsius sacrificii.⁰⁰

Hoc *suadetur imprimis* ex ipsa contexta oratione. Nam *verisimilius* est Christum in sua responsione ad Samaritanam eodem sensu vocem "adoratio" accepisse quo mulier ipsa intendebat, i.e. in sensu determinato adorationis publicae et sacrificialis (de hac enim disputabatur inter Judaeos et Samaritanos, non vero de adoratione in genere, nec a fortiori de adoratione privata et spirituali quae nulli loco alligari potest),⁰⁷ ita ut sensus responsionis Christi sit: Venit hora quando nec in Garizim nec in Jerusalem adoratio cultus publici et sacrificii erit persol-

vet. *Eusebiuni*, Dem. evang. 1, 6; *Theodoriuni*, In Malachiam 1, 11; *Rupertum*, In Malachiam 1; *Bearntinuni*, De Euch. 1, II; *Pesch* (n. 866); *De la Taille* (Elue. 18, p. 229 sq.).

⁰⁷Ceterum eadem vox *-προσκυνάν* (adorare) in *Gcn. 22, 5* (apud LXX), et probabiliter etiam in *Joan. 12, 20* et *Act. 8, 27*, designat cultum sacrificalem.

venda, sed indifferenter in quolibet loco (in spiritu qui loco non alligatur) et consequenter etiam independenter a caeremoniis antiquae legis quae uni nationi et loco alligabantur tanquam figurae removendae per realitatem cultus et populi novae legis (in veritate).

Crescit probabilitas huius interpretationis si hic textus consideretur sub luce aliorum in quibus sacrificium Missae manifeste praedicatur.

Ut enim scimus ex prophetia Malachiae et ex verbis institutionis Eucharistiae (a fortiori ex Traditione), datur in nova lege novum sacrificium eucharisticum a Christo institutum. Omnino autem inverisimile videtur quod Christus, loquens cum Samaritana de novo cultu, quo abrogaretur vetus cultus publicus et sacrificialis, ac bene sciens se proxime esse instituturum verum sacrificium, in quo essentialiter novus cultus consisteret, ab allusione istius sacrificii voluisse prorsus abstrahere ac locutum esse de quadam adoratione generice sumpta, de qua ipsa Samaritana nec inquirebat nec cogitabat. E contrario tum ipsa quaestio mulieris, tum contextus idearum in mente Christi, exigebat allusionem novi sacrificii.

Hoc ipsum suadet etiam *parallclismus qui observatur inter verba Christi et prophetiam Malachiae* ad quam Messias alludere videtur, bis repetita expressione "Venit hora et nunc est" (i.e. hora praenuntiata a Malachia). Tria proponuntur in utroque textu: abiectio veteris cultus (Mal. "Munus non suscipiam de manu vestra"; Joan. "Neque in monte hoc neque in Jerosolymis adorabitis"), cultus universalis (Mai. "In omni loco sacrificatur"; Joan. "Neque in monte hoc neque in Jerosolymis . . . [sed] adorabunt in spiritu"), cultus nobilior (Mal. "Offertur . . . oblatio munda"; Joan. "Adorabunt . . . in veritate").

JOAN. 6, 52: "Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita."

Quoad haec verba *tres lectiones* ipsius graeci textus originalis proponuntur a peritis. *Prima*, quae invenitur in plerisque ex antiquioribus codicibus et apud Patres latinos atque communius acceptatur a peritis (*Von Soden, Nestle, Vogels, Loisy, Lagrange'*), legit sicut in versione Vulgata, modo citata. *Secunda*, quae invenitur in pluribus manuscriptis et frequenter apud Patres graecos quamque acceptant *Maldonatus* et *Tischendorfj* (edit. 7), addit mentionem dationis post verba "caro mea est" ac legit: "Panis quem ego dabo, caro mea est quam ego dabo pro mundi vita." *Tertia*, quae invenitur in solo codice Sinaítico, refertur a Tertulliano et acceptatur a *Tischendorfj* (edit. 8) et *Calmes*, mutat ordinem verborum primae lectionis referendo incisum "pro mundi vita" post verbum "dabo", ac legit: "Panis quem ego dabo pro mundi vita, caro mea est."

Disputatur an in his verbis (quomodolibet ceterum legantur) contineatur promissio non tantum Eucharistiae sed ipsius sacrificii eucharistici.

*Affirmant Calmes,*TM *Loisy,*[^] *D'Alès* qui ait: "Attende Io., 6, 51, quocertissima continetur promissio Sacrificii eucharistici"¹ et praecipue *De la Taille*, qui textum Joannis sic glossat: "Panis quem ego dabo [in sacrificium], caro mea est pro mundi vita" atque, discussis adversariorum argumentis et allatis quibusdam traditionis documentis, ait: "Ergo undique locus ille johannicus nobis persuadet, Christum in coena obtulisse suam promissionem. . . Noli igitur putare fetum esse novellum theologiae nescio cuius recentioris istum intellectum."

Negant alii qui dicunt in primo membro textus Joannis agi de datione panis non in sacrificium sed in manducationem (ita *Maldonatus* et *Lagrange*), vel saltem abstrahendo a modo quo datur (*Ruch*), in altero vero de datione carnis in sacrificium per passionem, atque in eo textu tantum affirmari praesentiam realem seu identitatem panis qui datur et carnis quae in cruce sacrificatur.³

Dicendum videtur probabilius in hoc textu contineri promissionem sacrificii eucharistici. Tota enim quaestio ad hoc tandem reducit: an expressio "Panis quem ego dabo" sit sacrificialis, seu significet dationem non in communionem sed in sacrificium.

Ita autem esse convincimur *primo, probabiliter ex ipso textu*; nam, quamvis incisum "Panis quem ego dabo", seorsim sumptum, connaturaliter significet panem dari ad manducandum ("quorsum enim panis datur, nisi ut edatur?", ut bene observat *Maldonatus*), imo, quamvis ipsum incisum "Panis quem ego dabo pro mundi vita" (juxta tertiam lectionem supradictam) possit adhuc intelligi de sola manducatione eucharistica eiusque effectu (ut observat *Ruch*, contradicente tamen *De la Taille*), tamen incisum "Panis quem ego dabo" assumere videtur significationem sacrificalem (i.e. dationis in sacrificium et non tantum in communionem) propter eius identificationem cum secundo inciso. "Caro mea est pro mundi vita", quod de ipso praedicatur quodque est manifeste sacrificale (omnes enim consentiunt "carnem vel corpus dare pro mundo" exprimere sacrificium, ut ostendetur infra ubi de verbis institutionis "Hoc est corpus meum quod pro vobis datur").

² Evangile selon S. Jean, Paris, 1904, p. 252 sq.

³ Le quatrième Evangile, p. 455 sq.

¹ De Euch., Parisiis, 1929, p. 16.

* *Mysterium Fidei*, Parisiis, 1931, p. 79-82.

¹ *Ruch*, expositis argumentis utriusque sententiae, concludit "En réalité, après avoir ainsi pesé le pour et le contre, force est de conclure: D'après saint Jean, pain = chair du Christ = vie du monde. Mais comment le pain est-il la vie du monde, c'est ce que l'auteur ne nous a pas dit en termes exprès" (in *Diet. Théol. Cath.*, art. Messe, col. S20).

Non enim dicitur tantum dari panis, sed dari panis qui est caro, adeoque dari caro; carnem autem dare est expressio sacrificialis; unde videtur etiam panem dare hic esse expressionem sacrificalem, qua Christus promittit se in sacrificium daturum panem, vel carnem suam sub pane, pro salute mundi.

Crescit probabilitas huius interpretationis ex manifesta *allusione ad jutura verba institutionis* “Hoc est corpus meum quod pro vobis datur” (quae, ut infra dicitur, ab omnibus habentur ut sacrificalia): Hoc (i.e. *panis quem do vobis* (“Accipite et comedite”)) est corpus meum (i.e. *caro mea*) quod pro vobis datur (pro mundi vita). Sensus igitur promissionis Christi est: Panis quem ego dabo, est caro mea quam sub forma panis dabo in sacrificium.

INSTITUTIO SACRIFICII EUCHARISTICI.

Verba institutionis Eucharistiae ex quatuor locis parallelis integre retulimus supra (p. 51). Juverit hic *verba consecrationis*, quae ad ipsum sacrificium directe referuntur, juxta originalem textum et Vulgatam versionem submittere:

Matth. 26, 26: Τοῦτο ἴστιν τὸ σῶμά μου

Hoc est corpus meum.

Marc. 14, 22: Τοῦτο ἴστιν τὸ σῶμά μου

Hoc est corpus meum.

LUC. 22, 19: Τοῦτο ἴστιν τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον

Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.

1 Cor. 11, 24: Τοῦτο μου ἴστιν τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν

Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.

Matth. 26, 28: Τοῦτο γάρ «τὴν το αἷμά μου τὸ τῆς [καινῆ] διαθήκης τὸ περὶ πολλῶν ἰκχυννόμενον εἰς ἀφίσειν ἁμαρτιῶν

Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Marc. 14, 24: Τοῦτο ἴστιν τὸ αἷμά μου τὸ τῆς [καινῆ] διαθήκης τὸ ἰκχυννόμενον ὑπὲρ πολλῶν

Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.

Luc. 22, 20: Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινῆ διαθήκης ἐν τῷ αἵματι μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἰκχυννόμενον

Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

1 Cor. 11. 25: Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινῆ διαθήκης ἴστιν ἐν τῷ ἰμῷ αἵματι

Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.

In his verbis agi de quodam sacrificio omnes admittunt. Sed *catho-*

lici dicunt agi de sacrificio eucharistico ab ipso Christo instituto; Protestantes orthodoxi de sacrificio crucis; *Rationalistae et Protestantés liberales* de sacrificio eucharistico non a Christo sed a primis christianis, opera praesertim S. Pauli, introducto et in Scripturis consignato/

Rationalistae, cum quibus quaestio est de authenticitate et historicitate horum verborum, sufficienter refutati sunt in art. 1. Restat ut *contra Protestantés* ostendatur quomodo in eis contineatur veritas sacrificii Missae.

In Missa fit id quod Christus gessit in ultima coena. Hoc admittunt ipsi Protestantes et constat tum ex tota *Traditione* quam resumit *Cone. Trid.* (sess. 22, cap. 1 supra cit., p. 845 sq.), tum ex verbis Christi “Hoc facite in meam commemorationem” (Luc. 22, 19), quibus S. Paulus (1 Cor. 11, 26) addit Domini commemorationem esse faciendam “donec veniat” seu usque ad finem mundi.

Atqui, ut apparet ex verbis consecrationis, Christus in ultima coena obtulit verum sacrificium. Nam haec verba continent expressiones sacrificales, ut generatim concedunt Protestantes (a fortiori Rationalistae), et istae expressiones referuntur non tantum ad futurum, i.e. ad id quod factum est in cruce, ut volunt Protestantes, sed ad id quod in ipsa coena factum est.

Ergo in Missa offertur verum sacrificium.

Ostenditur minor per partes.

Prima pars: Verba consecrationis continent expressiones sacrificales.

Corpus quod pro hominibus datur.

Haec expressio occurrit tantum in Luca et Paulo. *Lucas*, juxta Vulgatam: “Quod pro vobis datur”; in lectione graeca: το υπέρ ὑρώιδιδόρινον (pro vobis datum). *Paulus*, juxta Vulgatam: “Quod pro vobis tradetur”; in lectione graeca: το wèp υρώv (variantes lectiones addunt διδο'ρο'ον [datum], vel κλύμχνον [fractum], vel δρυπτόρο'ο»- [contritum]; quae voces considerantur a peritis ut glossae explicativae additae in nianuscriptis ad complendam ellipticam expressionem Apostoli).

Corpus Christi dari non tantum Apostolis sed *pro* Apostolis (nota oppositionem inter duas expressiones in Luc. 22, 19: “Dedit *eis*, dicens: Hoc est corpus meum, quod *pro vobis* datur”) est expressio sacrificalis significans corpus Christi *offerri Deo* (non certe hominibus) propter Apostolos seu in eorum spirituale beneficium.

Similes enim expressiones de sacrificio crucis saepissime recurrunt

‘ Ci. *E.-B. Alio*, Première épître aux Corinthiens, Paris, 1935, p. 307 sq.

in Scriptura: “Dedit semetipsum pro nobis” (Gal. 1, 4; cf. 2, 20; 1 Tim. 2, 6; Tit. 2, 14); “Dedit animam suam pro nobis” (Matth. 20, 28; Marc. 10, 45; Joan. 10, 11; cf. Joan. 3, 16 et maxime 6, 52: “Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita” ubi agitur, ut diximus supra, de ipsa promissione sacrificii eucharistici); “Pro nobis est mortuus, traditus, crucifixus, factus peccatum et maledictum” (Rom. 5, 6. 7. 8; 8, 32; 14, 15; 1 Cor. 1, 13; 15, 3; 2 Cor. 5, 14. 15. 21; Gal. 2, 20; 3, 13).

Sanguis qui pro hominibus effunditur, in remissionem peccatorum.

Primum membrum huius expressionis recurrit in tribus synopticis, adeoque in utroque fonte petrino (Matth. et Marc.) et paulino (Luc.); deest vero in ipso Paulo. Matthaeus solus addit alterum membrum (In remissionem peccatorum). *Lucas*, juxta Vulgatam: “Qui pro vobis fundetur”; in lectione graeca: τοὺς ὑμῶν ἐκχυννόμενον. *Marcus*, juxta Vulgatam: “Qui pro multis effundetur”; in lectione graeca: τοὺς ἰκχυννόμενον ὑμῶν πολλῶν. *Matthaeus*, juxta Vulgatam: “Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum”; in lectione graeca: τοὺς πρὸς πολλῶν ἰκχυννόμενον ὑμῶν ἀφ' ἑαυτῶν ἀμαρτιῶν.

Sanguinem Christi effundi, et quidem in remissionem peccatorum, est expressio sacrificialis, seu significat Christum offerre sacrificium sui sanguinis in remissionem peccatorum. In veteri enim testamento sanguinem effundere pro delicto significat offerre sacrificium (Lev. 14, 17; 17, 11; Num. 18, 17; Deut. 12, 27; Hebr. 9, 22); in novo testamento per sanguinis Christi effusionem saepe declaratur sacrificium crucis (Act. 20, 28; Rom. 3, 25; 5, 9; Ephes. 1, 7; 2, 13; Coloss. 1, 14. 20; 1 Petr. 1, 2. 19; 1 Joan. 1, 7; Hebr. et Apoc. passim).

Sanguis Christi novum testamentum vel novi testamenti.

Haec expressio habetur in quatuor locis. *Matthaeus*: “Sanguis meus novi testamenti”, το αἷμά μου τῆς διαθήκης (quidam codices: τῆς καινῆς διαθήκης, desumpta fortasse voce καινῆ ex Luca et Paulo); *Marcus*: prorsus idem ac in Matthaeo; *Lucas*: “Calix novum testamentum in sanguine meo”, το ποτήριον ἢ καινῆς διαθήκης ἐν τῷ αἵματι μου, *Paulus*: fere idem ac in Luca: “Hic calix novum testamentum est in sanguine meo”, τοῦτο το ποτήριον ἢ καινῆς διαθήκης ἵστιν ἐν τῷ ἑμῷ αἵματι.

Hanc expressionem esse sacrificalem, seu significare Christum offerre sacrificium, patet ex manifesta allusione (“Novum testamentum”) ad vetus testamentum seu foedus quod sacrificio pactum est, juxta illud Exodi, 24, 8: “Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum” (το αἷμα τῆς διαθήκης, citatum ab Hebr. 9, 20).

Confirmatur ex consuetudine veterum sancienti foedera in sacrificio sanguinis.

“Effusione . . . sacrificali sanguinis apud veteres vel ipsa civilia foedera sanciri solebant; unde usus apud profanos scriptores talium locutionum: ‘Id autem foedus meo sanguine ictum sanciri posse dicebant’ (Cic. Pro Sestio, 10, 24); ‘Foedus quod meo sanguine in pactione provinciarum iceras frangere noluit’ (Id. Pis. 12, 28); ‘Sanguine Hannibalis sanciam romanum foedus’ (Liv. 23, 8). Sed potissimum foedus cum Deo feriendum sacrificio erat; tumque maxime cum foederi per sanguinem hostiarum celebrato subrogaretur novum, nova requirebatur hostia⁶.”⁶

Cum praedicta expressio validum constituat argumentum in favorem sacrificialis indolis coenae et Missae, plures *Protestantes* post *Lutherum* (De capt. babyl.) significationem sacrificalem ipsi denegant, docentes vocem *διαθηκη* significare testamentum, non vero foedus. Ad quem sensum probandum allegant tum inscriptiones et papyros, in quibus constanter *διαθηκη* significat testamentum, tum textum Apostoli ad Hebr. 9, 16 “Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris”, tum ipsam Vulgatam versionem (“testamentum”).

Attamen, imprimis parum refert quod in profanis documentis vox *διαθηκη* significet testamentum et quod hic sit sensus ordinarius istius vocis in usu profano. Quaestio hic est de sensu quem obtinet in Scriptura.

Jamvero in ipso Apostolo haec vox quandoque significat testamentum (ut in textu obiecto; item 9, 15. 17; Gal. 3, 15), quandoque vero foedus (ita ibidem in eodem contextu v. 15 et 18, et praecipue v. 20 in quo Apostolus refert supracitatum textum Exod. 24, 8; item Rom. 9. 4; 11, 27; 2 Cor. 3, 6. 14; Gal. 3, 17; 4, 24. 26; Ephes. 2, 12).

In versione graeca LXX vox *διαθηκη* constanter adhibetur ad reddendam vocem hebraicam *berît* (berît), quae in usu sacro significat indifferenter tum ordinationem seu legem divinam (hinc testamentum) tum foedus seu unionem cum Deo. Hunc ultimum sensum manifeste habet tum *berît*, tum eius versio *διαθηκη*, in Exod. 24, 8, qui apte proinde vertitur in Vulgata: “Hic est sanguis foederis”.

Quod autem *διαθηκη* in verbis institutionis significet foedus colligitur ex manifesto eorum parallélisme cum eodem textu Exodi et ex clara

“De foedere in sanguine sacrificii olim iniri solito legis *Wellhausen*, *Skizzen und Vorarbeiten*, 3, p. 119-123; *Smend*, *Lehrbuch der alttestamentlichen Religionsgeschichte*, ed. 2, p. 26-28.”

* *De la Taille*, *Mysterium Fidei*, elue. 4, Parisiis, 1931, p. 53.

allusione ad antiquum foedus quae continetur in voce καιη) (novum) addita voci διαθηκη. Ceterum foedus et testamentum sunt cognatae voces tum quia utraque importat sensum legis et obligationis, tum quia foedus quod inicitur in articulo mortis vim habet testamenti; ex quo intelligitur in verbis institutionis non solum novum foedus contineri sed etiam verum testamentum mortis Christi.⁷

Secunda pars: Expressiones sacrificales quae inveniuntur in verbis institutionis referuntur non tantum ad juturum, seu ad oblationem crucis, sed primo ac directe ad id quod in ipsa coena jactum est.

Primo hoc ostenditur ex participiis temporis praesentis διδόμενοι (datum) et Ἰκ-χυννόμενον (effusum), quae habentur in textu originali et in quibus significatur non in futuro sed praesentialiter corpus pro hominibus dari et sanguinem effundi, seu sacrificium offerri.

Nam in graeca lingua participium temporis praesentis nunquam adhibetur ad significandum tempus futurum (quamvis id contingat de aliis formis temporis praesentis) et eo minus cum participium illud coniungitur verbo finito quod sit in forma temporis praesentis, ut praecise contingit in verbis institutionis (*Hoc est corpus . . . datum; Hic est sanguis . . . effusus*).

Hoc argumentum ut probativum proponunt communiter exegetae et theologi, inter quos *Maldonatus, Knabenbauer, Oswald, Pohle, Rauschen, Franzcln, Lagrange* (In Luc. et Marc.), *De la Taille, Pesch, Lamiroy*.

Ad rem *Knabenbauer*: “Tempus itaque praesens exprimitur, neque enim participium praesens graecum pro futuro adhiberi solet. Significatur igitur effusio sanguinis quae fit; ad sanguinem proinde in calice contentum haec effusio refertur; id quod etiam clarius elucet ex verbis Luc. 22, 20 . . ., ubi ipse calix i.e. sanguis in eo contentus dicitur effundi. Quare quod aliqui codices it. et vulg. legunt *effunditur* . . ., sensum accurate exprimit.”⁸

Praedictum sensum participii praesentis concorditer proponunt varii auctores grammaticae graecae N.T., ut *Moulton, Robertson, Rlass-Debrunner* et *Bcelen* qui scribit: “Ubicumque participium praesentis reapse tamquam participium adhibetur, ibi aut praesens tempus conotat aut imperfectum, non vero futurum, ut nonnulli falso existimarunt.”⁹

⁷ Cf. *Lagrange*, *Evangile selon saint Marc*, Paris, 1929, p. 379 sq.; *Lcbreton*, in *Diet Apol.*, art. *Eucharistie*, col. 1565; *E. Riggerbach*, *Der Begriff der Διαθήκη in dem Hebraerbrief* (Theologische Studien T. Zahn dargebracht, p. 289-316. Leipzig, 1908); *L. G. du Fonseca*, S.J., *Διαθήκη*, Foedus an testamentum?, in *Biblica*, 1927.

⁸ *Comm.*, in *Matth.*, pars altera, Parisiis, 1903, p. 442.

⁹ *Gramm. Graccit. N.T.*, p. 374.

Protestantes, quos sequitur *Renz*,TM negant omnem huius argumenti valorem; quidam alii *catholici* moderni, uti *Dickamp*, *Ifalos* et praecipue *Lcbreton*,¹ de eo dubitant.

Pro qua negatione vel dubitatione haec afferuntur *argumenta*:

a. Plura habentur exempla verbi temporis praesentis, imo participii praesentis, adhibiti ad significandum tempus futurum: ita Matth. 6, 30; 26, 25 coli. 26, 23 sq.; Luc. 22, 21; Joan. 1, 29; 13, 11; 18, 2; 21, 20; Jac. 5, 1.

b. *Chrysostoinus*, In Matth., hom. 82 (M.G. 58, 738 sq.), verba Christi de datione corporis et effusione sanguinis refert ad tempus passionis.

c. *Vulgata* (in tribus locis Synopticorum) verba de effusione sanguinis refert in futuro, verba vero de datione corporis semel in futuro (1 Cor.: tradetur), semel in praesenti (Luc.: datur). Etiam in *Canone Missae* servatur ab Ecclesia forma futuri in consecratione calicis ("effundetur"). In textu autem dogmatico nefas est recedere a lectione *Vulgata*, juxta *Cone. Trid.* (sess. 4).

Respondetur.

a. Diximus supra alias formas temporis praesentis interdum in N.T. adhiberi de futuro (v.g. "Pono animam meam"; "Vado ad Patrem": "Adhuc modicum et mundus me jam non videt, vos autem videtis me"; "Quod facis, fac cito"), nunquam vero in graeca lingua sic adhiberi participium praesens.

Nec obiecta exempla contrarium evincunt aut exceptionem constituent nisi apparentem, ut probe intuenti patebit.¹² Ita in Matth. 6. 30 "Si autem foenum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur [βαλλό/Αερον]" non agitur de futuro sed de re quae semper contingit (i.e. de foeno quod una die est et alia die non est); nec in Joan. 1. 29 "Ecce agnus Dei, ecce qui tollit [αίρω]- peccatum mundi" de re futura agitur, quia Christus inde a primo instanti suae Redemptivae Incarnationis fuit tollens peccatum mundi et sibi tanquam proprium usurpavit attributum redemptoris.

b. Verba *Chrysostomi* non opponuntur vi praesentia verborum institutionis, nam datio et effusio coenae essentialiter referuntur ad dationem et effusionem crucis, quae modo incruento in Missa repraesentatur.

c. In *Vulgata* datio corporis exprimitur in praesenti apud Lucam (in 1 Cor. verbum "tradetur" est probabiliter glossa addita, ut supra

¹²Die Geschichte des Messopferbegriffs, t. 1, p. 120-141.

¹¹In Diet. Apol., art. Eucharistie, col. 1564.

¹³Id ostendit quoad varios textus II. *Lamiroy*, De essentia SS. Missae sacrificii, Louvain, 1919, p. 206-208.

dictum est). Effusio quoque sanguinis in praesenti refertur (“effunditur”) in aliquibus codicibus versionis latinae antiquae et Vulgatae (v.g. codicibus Cantabrigensi, Fuldensi, Mediolanensi, qui sunt saec. 6, et Vercellensi qui est saec. 4).

Ceterum id quod in futuro exprimitur in Vulgata Clementina non opponitur ei quod in praesenti dicitur in textu originali; nam in coena duo considerari possunt, ipsa nempe praesens oblatio et eius relatio ad crucem; in textu igitur originali exprimitur directe oblatio coenae et indirecte eius relatio ad crucem, in Vulgata vero vicissim. Unde textus Vulgatae concordat cum originali quamvis istius vim perfecte non reddat. Non est autem contra mentem Ecclesiae recurrere ad textum originale et cum eo versionem Vulgatam conferre ut inde plena vis ipsius versionis intelligatur.¹³

Secundo, ex verbis Lucae “Hic est calix . . . qui pro vobis fundetur”, juxta textum originale *“Hic est calix . . . pro vobis jusus”, idem ostenditur*, et simul roboratur praecedens argumentum.

Nam participium, quod ceterum est temporis praesentis, necessario etiam determinatur ad significationem rei praesentis ab ipso subiecto cui refertur et de quo praedicatur effusio (non enim in passione sed in coena calix effusus est), ita ut etiam si effusio enuntietur in futuro, ut fit in Vulgata, tamen intelligenda sit de tempore praesenti, i.e. de effusione sanguinis in statu sacramentali, seu prout in calice.

Hoc argumentum proponunt communiter doctores, et quidem ut fortius quam praecedens. *D'Alès*, collato utroque argumento, ait: “Non quo participium praesens per se rem dirimat. . . Sed praesens coniunctio verborum, maxime apud Luc., 22, 20 . . . satis signat actum praesentem”.¹⁴ *De la Taille* contrariam sententiam Knabenbauer “prorsus singularem” appellat.¹⁵ *Diekamp* declarat: “Verba ‘calix, qui fundetur’ certissimum videntur praebere argumentum, quo existentia sacrificii eucharistici probetur.”¹⁰

Nihilominus quidam etiam inter catholicos huic argumento valorem subtrahunt, docentes verbum *Ἰκχυστόμ.ἔνον* (effusum) in ipso textu originali (versio enim Vulgata est ambigua) grammaticaliter ad sanguinem referri posse (ita *Schanz*, *Knabenbauer* et *Ruch*)* vel debere (ita *Schegg*, *Weiss*, *Lagrange*).¹⁹

Cf. *Franxelin*, De Euch., thes. 30; *Billot*, De Euch., thes. 53, § 3, ad 2.

** De Euch., Parisiis, 1929, p. 18 sq.

” *Mysterium Fidei*, Parisiis, 1931, p. 37, in nota 2.

Theol. Dogm., v. 4, § 34, Parisiis, 1934, p. 218.

†† *Comm. in Luc.* 22, 20.

u *In Diet. Théol. Cath.*, art. Messe, coi. 813.

* *Evangile selon saint Luc*, Paris, 1927, p. 545.

Rationes quas invocant sunt:

a. Dura videtur praedicatio effusionis de ipso calice potiusquam de sanguine.

b. Vox ἰκχυννόμενον (effusum) praeceditur immediate a voce ἀγιασμα (sanguini), ergo isti est referenda. Nec obstat quod prior vox, cum sit in nominativo, non concordet grammaticaliter cum altera, quae est in dativo, nam ex una parte habetur imperfecta quaedam concordantia, secundum quod utraque est in genere neutro, et ex alia parte defectus concordantiae quoad casum grammaticalem non raro occurrit in Scripturis, praecipue cum apponitur participium cum articulo, ut fit in hoc casu (το ἰκχυτό/ζῆϊον) (cf. Apoc. 1, 5; 2, 20; 9, 14; 14, 12), tunc enim supponitur fieri usus anacolouthon, seu intelligi ὁ can inter nomen et appositum participium.

c. Ceterum ratio hujus grammaticalis defectus potest explicari ex origine incisi το υπέρ υμῶν ἰκχυνόμενον quod videtur Lucam ex formula Marci desumpsisse et, prout extabat, formulae Pauli addidisse.²⁰

Respondetur.

a. In praedicatione effusionis de vase potiusquam de licore in eo contento habetur conveniens et frequens usus figurae continentis pro contento; in Apocalypsi ipsum verbum ἰκχυω (effundo, cuius forma recentior est ἰκχυῖω, a quo participium ἰκχυτό/Μῖον) sexies praedicatur de vase (16, 1. 2. 4. 8. 10).

b. Conceditur in Apocalypsi inveniri plures casus grammaticalis discordantiae, sed negatur paritas inter stylum Apocalypsis et stylum excultiorem Lucae.

Ad rem *De la Taille*: “[Knabenbauer in favorem suae sententiae] remittit ad Apocalypsim 1, 5 et 2, 20. Quibus locis reperitur quidem aliquid simile, sed ita ut adsint pro illa constructione ex contextu excusationes quae apud Lucam desiderantur. In priore enim Apocalypseos loco, ὁ ζῆϊον videtur aliquantulum se habere parallelo modo ad praevium illud ὁ ων κτλ (v. 4); in posteriore autem, λήγουσα habet aliquam umbram justificationis in membro subsequente διῆϊον κ-λ. At illis locis alii possunt addi ex Apocalypsi similes (9, 14 et 14, 12) quorum fatenda est nulla posse talis ratio reddi.

“Nihilominus respondendum est in Apocalypsi tales constructiones non esse nisi casus particulares generalis indifferentiae auctoris respectu grammaticalis concordantiae casuum (Apoc. 1, 4; 4, 1; 4, 7-8; 5, 6; 9, 13; 11, 4; 13, 11-14; 14, 19; 17, 3; 19, 1; 21, 9); in quo purificatur ejus stylus cum lingua coetaneorum multorum minus excultorum, qualis in aegyptiis papyris nuper in lucem editis exhibetur

²⁰Cf. P. Batiffol, *L'Eucharistie*, Paris, 1920, p. 131.

(cf. *Moulton*, Grammar of N.T. Greek, p. 9). Talis autem non solet esse lingua Lucae. Quare sine haesitatione pronuntiat *Viteau* (Etude sur le grec du N.T. — Sujet complément et attribut, p. 102) secundum grammaticalem connexionem TM «κχυννὸ/ιερον referri ad ποπ/ριον, per metonymiam illud explicans. Cui consonat *Zorell* (Novi Testamenti Lexicon Graecum, s.v. «χρω). Nec aliter sentiunt *Plummer* (Commentary, p. 499) aut *Holtzmann* (op. cit.21, p. 410) aut *Goetz* (Die heutige Abendmahlsfrage2, p. 148). Quorum ne suspicari quidem videtur ullus aliam fieri potuisse hujus loci grammaticalem constructionem.”22

c. Praefata origo illius incisi est gratis assertio et artificiosa inventio, quae ideo a quibusdam invocatur ut commode explicetur incorrecta forma textus in suppositione quod incisum referatur ad sanguinem.23

Tertio, vox “testamentum”, imo “novum testamentum”, manifeste et directe a Luca et Paulo de ipso calice praedicatur, adeoque ostendit sacrificium, quod in ipsa involvitur, praesentialiter offerri. Quod argumentum tanti est valoris24 ut exinde Protestantes contentur negare sensum sacrificalem istius vocis, ut supra dictum est.

Nota 1. Institutio sacrificii Eucharistici ex his quae in ultima coena acta sunt colligi potest *duplici alio probabili argumento*:

Primo, “*Ex comparatione coenae cum paschate vetere.*”

“Etenim postquam Dominus, accepto cibo paschae, hoc sermone usus erat: ‘Dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud donec compleatur in regno Dei’ (Luc., v. 16), adjeceratque, potato communicali calice: ‘Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat’ (Luc., v. 18), nihilominus statim coenam aggressus est novam consecrati azymi et vini. Quid inde vigilantibus auditoribus concludendum fuit, nisi advenisse jam regnum Dei, impletumque esse tandem pascha, in pane scilicet hoc et calice, quem denuo cum suis dividit Dominus? Igitur quod ab aliis evangelistis insinuatur, aperte ex Luca colligitur: fuisse eucharisticam coenam verum pascha: veritatem scilicet figurae respondentem, proindeque sacrificium ipsum paschale veri Agni.”25

Ad rem ipse *Loisy*: “L’idée qui domine le récit de la cène dans les Synoptiques est que l’eucharistie devient la vraie Pâque des enfants de

31 Handcommentar, zum Neuen Testament, Die Synoptiker, ed. 3.

32 *Mysterium Fidei*, Parisiis, 1931, p. 37, in nota 2.

33 Cf. *W. Berning*, Die Einsetzung der heiligen Eucharistie, Münster, 1901, p. 107.

34 Cf. *Rttch*, in *Diet. Théol. Cath.*, art. Messe, col. 808.

De la Taille, *Mysterium Fidei*, Parisiis, 1931, p. 55; cf. *Ruch*, l. c., col. 813-815.

Dieu, le vrai sang de l'alliance; et l'eucharistie est cela, parce qu'elle figure et qu'elle est, en quelque façon, le Sauveur immolé pour le salut des hommes, comme l'agneau pascal a été immolé jadis pour le salut d'Israël. . . Cette conception de l'eucharistie est déjà dans saint Paul. La notion de sacrifice y est aussi apparente que celle de la communion à Jesus."²⁰

Secundo, ex oratione sacerdotali Christi post Eucharistiae institutionem.

Verba "Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate" (Joan. 17, 19) sunt sacrificalia (ἀγιάξω = sanctifico seu sacrum reddo, significat sanctificationem pontificis et victimae), ut explicitè docent communissime tam veteres (*Chrysostomus, Cyrillus Alex., Rupertus, S. Thomas*) quam recentiores (*Cajetanus, Knabenbauer, Calmes, Durand, et inter rationalistas Loisy*), quos citat *De la Taille*

Nec sensus alterius incisi "ipsi sanctificati" officit significationi sacrificali prioris "sanctifico meipsum", quin potius et ipse sacrificalis est; "sanctificatio enim theothyti eadem est cum sanctificatione participantium theothytum: ex una enim altera trahitur, vehiturque per cibum in cibatos sanctitas ipsa divina."²⁸

Jamvero illa verba referuntur ad tempus praesens, ut patet ex voce "sanctifico" quam nulla ratio cogit referre ad solum tempus oblationis crucis, utut imminens. Ergo in coena Christus obtulit verum sacrificium.

"Statim [igitur] post coenam, ut belle scribit *De la Taille*, priusquam ad dolores obeundos passionis procedat Christus, oratione quadam liturgica interpellat Patrem; qua evoluit sui sacrificii vim, proprietates, fructus, eo fere modo quo Ecclesia postmodum erat per varias missae partes dilatatura sacrificiationis suae brevissimae multiplicem enuntiationem adspectusque multifarios."²⁹

Nota 2. Quidam indolem sacrificalem coenae deducere conati sunt ex vi vocis κλάωνον (fractum) quae in quibusdam codicibus additur in 1 Cor. formulae consecrationis panis (Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur).

Praecipue *Franzelin*TM hoc argumentum proposuit sub sequenti ingeniosa forma: Juxta Paulum corpus Christi frangitur pro nobis; frangi autem quando refertur ad id quod ad manducandum proponitur significat in usu biblico dare in cibum; unde sensus S. Pauli est corpus Christi

¹ Les Évangiles synoptiques, t. 2, Cciffonds, 1908, p. S23.

² *Mysterium Fidei*, Parisiis, 1931, p. 89, in nota 1 et 2.

De la Taille, op. cit., p. 89, in nota 2,

³ Op. cit., p. 88.

⁴ De Euch., thes. 30.

dari nobis in cibum sub specie panis. Ex alia autem parte in verbis Lucae “Corpus meum, quod pro vobis datur” significatur corpus Christi offerri in sacrificium. Cum ergo verba Pauli et verba Lucae eundem sensum habere debeant, utpote referentia ipsam eandem Christi locutionem, sensus verborum Christi in consecratione panis est corpus eius offerri in sacrificium prout constituitur sub specie panis, seu prout in Eucharistia.

Hoc argumentum communiter recitatur a modernis, ea praecipue ratione quod careat solido supposito. Nam vox *Μμαον* valde probabiliter non est genuina (cum desit in optimis codicibus), sed, ut conveniunt nunc eruditi, interpolata est ad complendam ellipticam propositionem Pauli, quae juxta textum originale sonat: “Hoc est corpus meum pro vobis”.

Ceterum etiam si ea vox esset genuina, non inde videretur concludere argumentum propositum; nam expressio “Corpus quod frangitur” videretur habere eandem significationem sacrificalem quam habet membrum parallelum “Sanguis qui effunditur” adeoque vertendam esse non: “Corpus quod in cibum datur” sed: “Corpus quod offertur seu immolatur”.

Addit *Pesch*: “SS. Patres hoc verbum non explicant, neque umquam theologi specialem vim posuerunt in hoc additamento, antequam theoria quaedam peculiaris card. *De Lugo* hoc fulcro indigere videretur. Indicent ipsi legentes, quid momenti verbo κλώ/ιενον tribuere velint; sane mihi videtur omne argumentum et omnis theoria huic vocabulo ut a Christo Domino dicto et explicationi modo propositae tamquam proprio fundamento innitens esse domus super arenam aedificata.”³¹

Quidam tum inter catholicos, ut *Lugo*,TM tum inter protestantes, ut liberalis *A. Anderson*³² et episcopus anglicanus *C. Gore*³³ dicunt explicitam mentionem sacrificii eucharistici haberi in verbis “τοῦτο ποιεῖτε” (“hoc facite” [in meam commemorationem], Luc. 22, 19, 1 Cor. 11, 24 sq.), quae vertunt: “Hoc offerte” (i.e. offerte panem et calicem in meam commemorationem).³⁵ “Verba etiam, ait *Lugo*, quibus Christus hoc sacrificium instituit; ‘Hoc facite’, idem significant, cum tam in sacris, quam in profanis, facere idem sit ac sacrificare.”

Attamen, ut notant *Lcbreton*³⁶ *D’Alès*³⁷ et *Ruch*,TM hoc argumentum

³¹ De Euch., n. 871, Friburgi Br., 1914, p. 414, in nola.

³² Disp. Schol., t. 4, De Euch., disp. 19, sect. 2, n. 19, Parisiis, 1902, p. 229.

³³ Das Abendmahl, Giessen, 1904, p. 13-19.

³⁴ The Body of Christ, c. 3, London, 1902, p. 315-318.

³⁵ Cf. apud *Lamiroy*, De essentia SS. Missae sacrificii, Louvain, 1919, p. 219.

³⁶ Diet. Apol., art. Eucharistie, col. 1564 sq.

³⁷ De Euch., Parisiis, 1929, p. 26.

³⁸ Diet. Théol. Cath., art. Messe, col. 826.

caret sufficienti fundamento, quia sensus sacrificialis verbi *ποιάν* qui habetur in A.T. (Exod. 29, 38, juxta LXX) et probabiliter etiam apud Justinum (Dial. 41), non apparet in textibus N.T., saltem attenta communi et traditionali eorum interpretatione.

ALLUSIO AD SACRIFICIUM EUCHARISTICUM APUD APOSTOLUM IN EPISTOLIS AD HEBR. ET 1 COR. I

Praeter 1 Cor. 11, 24 sq., ubi in verbis institutionis sacrificium eucharisticum manifeste commemoratur (attento praecipue parallelismo cum tribus Synopticis, ut supra ostensum est), Apostolus ad idem sacrificium bis alludit, i.e. in Hebr. 13, 10, de cuius tamen eucharistica interpretatione disputatur etiam inter catholicos, et in eadem epistola 1 Cor. 10, 14-21, cuius sacrificialis interpretatio ab omnibus proponitur cum Cone. Tridentino.

HEBR. 13, 10: "Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt."

Ut notavimus supra, agentes de typo Melchisedech, Apostolus in hac epistola explicitam commemorationem sacrificii eucharistici omittit, ratione finis quem in ea sibi proponit. "Pro scopo [enim] declarandi perfectionem *sacrificii crucis* in oppositione ad imperfectionem sacrificiorum legis, nulla Paulo fuit necessitas seorsum et explicite h. l. agendi etiam de sacrificio incruento et perenni in novo testamento instituto ad applicationem meritorum sacrificio cruento consummatorum. Eo minus haec erat necessitas, quod iuge sacrificium novi testamenti unum est cum sacrificio crucis tum victima, tum sacerdote principali, tum satisfactione et merito, et solum modo offerendi diversum (cf. Cone. Trid. sess. XXII. cap. 1. 2).'¹⁰

Non tamen desunt allusiones ad sacrificium eucharisticum.

Transiens ac velata allusio haberi videtur in hoc quod, loquens de sacrificio crucis, Apostolus adhibet easdem typicas expressiones et verba, quae in sacrificio coenae inveniuntur, i.e. *distinctam oblationem corporis et sanguinis et rationem novi testamenti*: 10, 10 "oblationem corporis"; 9, 14 "sanguis Christi, qui semetipsum obtulit"; 10, 29 "sanguinem testamenti"; 13, 20 "in sanguine testamenti aeterni"; 8. 8; 9, 15; 12, 24 "testamentum novum"; 10, 16-18 testamentum in remissionem peccatorum; 9, 20 "Hic est sanguis testamenti . . .", ubi citantur ipsa verba Moysis in Exod. 24, 8, correspondentia verbis Christi in Matth. 26, 28 "Hic est sanguis meus novi testamenti".

⁹ Cf. E.-B. Alio, Première épître aux Corinthiens, c. 11, cxc. 12, Paris, 1935, p. 302 sqq.; Ruch, Diet. Théol. Cath., art. Messe, col. 829-848.

¹⁰ Franzelin, De Euch., thés. 27, Romae, 1932, p. 376.

Ex quo non inepte concluditur Apostolum, tacens quidem de sacrificio Eucharistiae tamquam de articulo fidelibus aliunde bene noto ac ad eorum dementarem instructionem pertinente (cf. 5, 11; 6, 1), illud tamen prae oculis constanter habere ac sermonem suum de sacrificio crucis non obscuris et insistentibus allusionibus veluti eucharistizare.

Adversariis acatholicis, qui dicunt epistolam ad Hebraeos prorsus ignorare mysterium eucharisticum, juverit opponere haec verba *Loisy*, constantis aliunde impugnatoris catholicae exegeseos: “[Ces deux idées pauliniennes, i.e. l’oblation du corps du Christ et le sang de l’alliance] essentiellement liées à la cène eucharistique sont à la base de toutes les spéculations de l’Épître aux Hébreux sur le sacerdoce du Christ et sur son sacrifice unique. . . [La lettre] part en quelque sorte de l’eucharistie pour interpréter en sacrifice le crucifiement de Jésus, la distinction du corps et du sang étant en rapport avec le rituel de la cène.”*]

Disputatur an allusio (et quidem magis distincta) ad sacrificium eucharisticum *inveniatur in verbis Hebr. 13, 10*, nuper citatis.

Negant Protestantés orthodoxi, plures liberales et quidam catholici, ut *Renz* et *Wieland*,⁴² qui docent in his verbis agi tantummodo de sacrificio crucis.

Inter Protestantés, quorum commune praeiudicium est negatio sacrificii eucharistici, quidam liberales, ut *O. Holtzmann*, *Révillc* et *Goguel*⁴² dicunt incisum “qui tabernaculo deserviunt” referri non ad judaeos sectatores antiquorum sacrificiorum, sed ad ipsos Christianos, et sensum Apostoli esse: Christianos (aliter ac judaeos) habere altare seu sacrificium quod nullam importat manducationem victimae, quippe quod consistat in sacrificio ipsius corporis Christi in cruce oblato. Generatin! vero Protestantés, necnon supradicti catholici, sic verba Apostoli explicant: Habemus altare seu sacrificium, de quo judaici sacerdotes et levitae participare non possunt, scilicet sacrificium crucis, quod spiritualiter participant christiani, ejus fructus suscipientes.

Rationes hujus sententiae sunt:

Totus contextus, praecipue v. 12 sq., designat sacrificium crucis, imo non aliud est directum vel indirectum thema totius epistolae. Inverisimile videtur in tali contextu fieri ex abrupto directam mentionem sacrificii eucharistici, quod nullibi in epistola directe memoratur. Vox “altare” accipienda est metaphorice ac referenda ad ipsum Christum, altare sui sacrificii; et similiter vox “edere” metaphorice intelligenda est de spirituali participatione sacrificii, sicut de cetero metaphorice accipiuntur ibidem exitus Christianorum extra castra (v. 13 “Exeamus igitur ad

*“Les mystères païens et le mystère chrétien, Paris, 1919, p. 351.

“ In operibus supra citatis, p. 840 sq.

” Cf. in *Diet. Théol. Cath.*, art. Messe, col. 836 sq.

eum extra castra, improperium eius portantes”) et praecipue ipsa mentio sacrificii (v. 15 “Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus”).

Affirmant communiter *catholici* theologi et eruditi (quibus consentiunt *quidam Protestantes*, etiam liberales, ut *Westcott*, “*Goetz*” et *Hammond***), quamvis non omnes eodem modo et eadem asseverantia loquantur, ita ut quidam auctores, exaggerantes dissensum inter catholicos, citent inter negantes *S. Thornam*, *Esthim*, *Stentrup*, *D’Alès*, *Dickamp*.

Omnes enim admittunt aliquam allusionem ad Eucharistiam, saltem ut communionem sacrificalem, sed quidam, ut *Rauschen*,⁴⁷ *Ruch*, *De la Taille* et *Lebreton*, videntur admittere allusionem directam, alii, ut *Batiffol*,⁴⁸ tantummodo indirectam; item quidam, ut omnes praefati et alii generatim!, loquuntur de certa allusione, alii, ut *Rauschen*, *D’Alès* et *Diekamp*, de incerta; item quidam, ut *Rauschen* et *Ruch*, allusionem vident etiam in voce “altare”, alii, ut *Franzelin*, *Rauschen*, *De la Taille* et *Lebreton*, in sola voce “edent”; item quidam appellant tantum ad *Hebr. 13, 10*, alii, ut *Ruch* et *De la Taille*, etiam ad *Hebr. 13, 15* (“Offeramus hostiam”).

Rationes quae a variis afferri solent, sunt:

Parallelismus cum *1 Cor. 10, 20 sq.* (cf. infra), in quo loco agitur de participatione mensae Domini (hic agitur de edendo ex altare) quique solet cum *Cone. Trid. eucharistice* interpretari.

Vox “altare” in *c. 7, v. 13* adhibetur in sensu proprio.

Vox “edere” in *v. 9* (“escis”) accipitur in sensu proprio; ergo et in *v. 10*; nec est ratio dicendi Apostolum transire a sensu externae et materialis manducationis ad sensum spiritualis et metaphoricae manducationis, cum praesertim tum *Judaei* tum *christiani* habeant de facto cibum sacrificalem externum.

Verbum in forma praesenti “habemus” refertur ad altare seu sacrificium praesens potius quam ad praeteritum sacrificium crucis.

Verba ipsa *v. 15* “Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus” referuntur ad sacrificium eucharisticum (imo, inquit *De la Taille*, clarius quam *1 Cor. 10, 20 sq.* mox citand.); nam in hoc sacrificio Christum offerimus in hostiam, et quidem in laudem seu gratiarum actionem, juxta sensum

“The Epistle to the Hebrews, London, 1906, p. 439 sq.

“Die heilige Abendmahlsfrage in ihrer geschichtlichen Entwicklung, Leipzig, 1907, p. 195.

“Notes on the sacrificial aspect of the holy Eucharist, Oxford, 1913, p. 23 sq.

“Eucharist and Penance (versio ex germanica lingua), St. Louis, Mo., 1913, p. 86.

“L’Eucharistie, Paris, 1920, p. 112.

antiquae traditionis appellantis Eucharistiam “gratiarum actionem” necnon verba Canonis Missae “Qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis tibi que reddunt vota sua”, et quidem tanquam fructum labiorum seu verborum consecrationis/†

Quidquid sit de valore singularum rationum, *dicendum videtur* Apostolum loqui directe et principaliter de sacrificio crucis ac simul alludere ad sacrificium eucharisticum, ut suadet tum parallelismus cum 1 Cor. 10, 20 sq., tum contextus psychologicus (inverisimile enim est Apostolum, loquendo de altari et sacrificali communione, nullatenus mentem et sermonem suum convertere ad eucharisticum sacrificium in quo crucis sacrificium renovatur), tum verbum “edere” quod peculiariter Eucharistiae convenit.

Haec quoque videtur esse *sententia S. Thomae*, qui immerito citari solet inter negantes.

En verba ipsius S. Doctoris, *Comm. ad Hebr., cap. 13, lect. 2*: “*Habemus altare. Istud altare vel est crux Christi, in qua Christus pro nobis immolatus est; vel ipse Christus, in quo, et per quem preces nostras offerimus. . . De isto ergo altari non habent potestatem edere, id est, fructum passionis Christi percipere, et ipsi tanquam capiti incorporari, qui tabernaculo legalium deserviunt. . . Vel tabernaculo corporis deserviunt, qui carnales delectationes sequuntur. . . Talibus enim nihil prodest. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit. . .*”

“Deinde cum dicit: *Exeamus igitur ad eum*, inducit duas conclusiones. . . Duo . . . debemus facere, scilicet ad ipsum accedere, et super illud sacrificare. . . Cum dicit: *Per ipsum ergo offeramus*, ponit . . . quod . . . super illud altare sacrificare debemus, et qualia sacrificia. Duplex est autem sacrificium, quod super altare Christi offerre debemus, scilicet devotionem ad Deum, et miserationem ad proximum. . . Istud autem sacrificium laudis vocat fructum labiorum, id est confessionem vocis.”

S. Doctor hic bis alludit ad Eucharistiam; *primo*, in verbis “edere, id est, fructum passionis Christi percipere, et ipsi tanquam capiti incorporari”, nam incorporatio ad Christum saepius proponitur a S. Doctore ut proprius effectus Eucharistiae (cf. v.g. q. 80, a. 4) et sacrificium Missae ab ipso definitur participatio fructus passionis (*q. 83, a. 1*: “Celebratio huius sacramenti dicitur immolatio Christi . . . quantum ad effectum passionis Christi, quia scilicet per hoc sacramentum participes efficimur fructus dominicae passionis.”): *secundo*, et explicite, in verbis “Qui enim manducat et bibit. . .”

† Cf. *Rath*, in *Diet. Théol. Cath.*, art. Messe, col. S44 sq.; *De la Taille*, *Mysterium Fidei*, Parisiis, 1931, p. 198-200.

Praeterea in *q. 83, a. 3, ad 2* S. Doctor sentire videtur quod verba Apostoli de sacrificio laudis continent allusionem ad sacrificium Missae; nam, loquens de altare in quo Missa celebratur, ait: “Per altare autem significatur ipse Christus, de quo dicit Apostolus: ‘Per ipsum offerimus hostiam laudis Deo’.”

1 COR. 10, 14-22: “14 Propter quod, charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura. 15 Ut prudentibus loquor; vos ipsi iudicate quod dico. 16 Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? 17 Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. 18 Videte Israel secundum carnem; nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? 19 Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid, aut quod idolum sit aliquid? 20 Sed quae immolant gentes, daemioniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri daemoniorum. *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum.* 21 *Non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum.* 22 An aemulamur Dominum? Numquid fortiores illo sumus?”

Affirmant in hoc textu contineri sacrificalem characterem Eucharistiae *Cone. Tridentinum*, *doctores catholici* moraliter omnes et quidam Protestantes liberales, uti *Goetz*,⁵⁰ *H. Lietzmanri* et *K. Volker*? (qui docent S. Paulum transformasse primitivum conceptum coenae).

Cone. Trid., sess. 22, cap. 1, ait: “Quam [oblationem Missae] *non obscure innuit* Apostolus Paulus Corinthiis scribens, cum dicit, ‘non posse eos’, qui participatione ‘mensae daemoniorum’ polluti sint, ‘mensae Domini participes fieri’ [1 Cor 10, 21], *per mensam altare utrobique intelligens*” (Denz. 939).

Bellarminus: “Scriptura apud Paulum tam aperte confert coenam domini cum sacrificiis Hebraeorum et gentilium, ut plane sit caecus, qui non videt eam ex Pauli sententia sacrificium esse”.⁵³

D’Alès: “Hic locus merito agnoscitur ut conscientiae Christianae testimonium de Eucharistiae Sacrificio.”⁵⁴

Alio: “Toute l’argumentation de Paul réfute cette hérésie [Protestandum negantium sacrificium Missae]”.⁵⁵

Negant Protestantes orthodoxi, plures Protestantes liberales, et *inter*

MDic heilige Abendmahlsfrage . . ., Leipzig, 1907, p. 186.

“Messe und Herrenmahl, Bonn, 1926, p. 178 sq.; 251 sq.

“Mysterium und Agape, Gotha, 1927, p. 79.

“De Controversiis, l. 3, c. 15, n. 35.

M De Euch., Parisiis, 1929, p. 25.

“Première épître aux Corinthiens, Paris, 1935, p. 245; cf. p. 302 sqq.

catholicos fere unici *Rcnz* et *Wieland*; hic doctor ait Ecclesiam per duo priora saecula nondum considerasse Eucharistiam ut altare seu sacrificium sed tantum et mensam seu et epulum cum oratione gratiarum actionis (cf. supra, p. 840).

Sacrificialis indoles Eucharistiae implicite proponitur ab Apostolo *in ipsa duplici comparatione seu antithesi* quam instituit inter sacrificales epulas paganorum (v. 20) vel ludaeorum (v. 18) et epulas eucharisticas (v. 20), et inter sacrificalem mensam daemoniorum et mensam Domini (v. 18 et 21). Cum enim in primo membro utriusque antithesis agatur de re sacrificali, id affirmandum est etiam de secundo membro seu de Eucharistia, secus antithesis non esset.

Imprimis epulae paganorum vel ludaeorum intelliguntur sacrificales; nam de epulis paganorum ait Apostolus quod non alia ratione sunt reprobandae (v. 19) nisi quia daemoneis immolantur (v. 20); epulas vero ludaeorum vocat hostiam (ὄυσιαν) qua ipsi fiunt participes altaris (v. 18).

Epulum autem eucharisticum illis comparatur tum simpliciter tum peculiariter quoad effectum communionis cum divinitate (v. 20: societatis cum daemoneis; v. 18: participationis altaris seu lahve cui altare erat consecratum; v. 16: participationis et communicationis corporis et sanguinis Christi), quem effectum Apostolus dicit in epulis paganis provenire ex ea tantum ratione quod essent idolis immolatae (v. 19 sq.). Ergo epulum eucharisticum est sacrificale.

Ex hoc autem quod in Eucharistia habetur epulum sacrificale sequitur quod in ea etiam sacrificium oblatum est, quemadmodum et ipsae epulae sacrificales paganorum et ludaeorum ex ipso sacrificio jam peracto proveniebant.

Nec valet epulum eucharisticum ad solum crucis sacrificium referre, ita ut concipiatur tanquam remota participatio eius quod fuit victima olim in cruce immolata. Nam ita Eucharistia non esset formaliter et proprie epulum sacrificale sed tantum materialiter (cum in ea acciperetur Christus qui fuit victima, non vero prout est victima) et analogice (cum in ea haberetur tantum commemoratio et significatio sacrificii in cruce peracti); et sic corrueret vis comparationis et antithesis cum epulis paganorum et ludaeorum, quae erant epulae formaliter et proprie, seu praesentialiter sacrificatae.⁸⁸

Secundo, mensa daemoniorum magis directe quam ipsae epulae ad sacrificium refertur; nam vox *τράπεζα* (mensa) adhibebatur ad designandum non tantum mensam in qua epulae sacrificales consumebantur

MCf. *Ruch*, in Diet. Théol. Cath., art. Messe, col. 830 sq.; *Allo*, op. cit., p. 304 sq.

sed etiam ipsum altare sacrificii (*θυσιαστήριον*), ut patet tum ex Isaia, 65, 11 tum ex profanis auctoribus.⁵⁷ Unde ex antithesi etiam mensa Domini, seu Eucharistia, intelligenda est altare sacrificii.

Idem sensus eruitur ex implicita antithesi inter altare Iudaeorum (v. 18 “Participes sunt altaris”) et mensam Domini (v. 21 “Mensae Domini participes esse”). Nam vox *θυσιαστήριον*, adhibita in v. 18, in N.T. constanter designat verum altare sacrificii (cf. de altari Abrahae. Jac. 2, 21; de altari levitico, Matth. 5, 23 sq.; 23, 18-20. 35; Luc. 1. 11; 11, 51; Rom. 11, 3; 1 Cor. 9, 13; 10, 18; Hebr. 7, 13; de altari crucis vel etiam Eucharistiae, Hebr. 13, 10; de ara coeli, Apoc. 6, 9; 8,3.5; 9, 13; 11, 1; 14, 18; 16, 7).

Ceterum, etiam abstrahendo ab antithesi, expressio “mensa Domini” sensum altaris Domini sibi vindicat. Nam vox *τράπεζα* in *A.T.*, cum accipitur in sensu sacro, solet altare designare (cf. Exodum, in quo passim hac voce designatur altare panum propositionis; Isai. 65. 11; Ezech. 41, 22; 44, 16; Malach. 1, 7. 12). Idem sensus vocis nonnumquam observatur apud *scriptores paganos* (ita in quadam liturgica inscriptione Cos legitur insignis expressio *τράπεζα του θαυ* [*Dittenbergcr*, Syll. 11, 734]) et a pluribus *Patribus* usurpatur (cf. Origenem, *Contra Celsum*, 8, 17; Chrysost., *In Eph.*, Horn. 3, 4; Greg. Nyss., *Orat. in bapt.*).

Probatur 2. *EX TRADITIONE.*

Judicium adversariorum de sensu Traditionis in hac re semel et iterum novam positionem assumpsit, ex immutato tamen consilio ostendendi doctrinam proprie dicti sacrificii eucharistici non fuisse a Christo traditam.

Priores Novatores potius modo generali conati sunt interpretare in sensu sacrificii improprie dicti, seu laudis et gratiarum actionis, verba Patrum, saltem *Gregorio M.* (f 604) anteriorum (quidam enim ab ipso Gregorio repetunt originem sacrificii Missae).

Cum tamen haec interpretatio nimis dura et voluntaria visa sit, quod attinet ad doctrinam Patrum saec. 3 posteriorum, *plurcs critici* usque ad medium saec. 19, ut *Hofling*TM et *Theodorus Harnack*?⁹ praedictam interpretationem limitarunt ad tria priora saecula, docentes conceptum veri sacrificii introductum esse a S. *Cypriano* (circa 200-258).

Iterum *posteriores critici* et doctores Protestantes, uti *K. G. Goetz*,⁶⁰

⁵⁷Cf. *Lamiroy*, De essentia SS. Missae sacrificii, Lovanii, 1919, p. 202; *Allo*, op. cit. p. 244 sq.

⁵⁸“Die Lehre der ältesten Kirche vom Opfer, Erlangen, 1851, p. V.

⁵⁹“Der christliche Gemeindegottesdienst in apost. Zeitalter, Erlangen, 1854, p. 411.

⁶⁰“Die heilige Abendmahlsfrage . . ., Leipzig, 1907, p. 184.

Gore," *Kattenbush*^N et ipse *A. Harnack*¹³ hanc interpretationem mitigarunt, docentes doctrinam sacrificalem esse antiquiorem Cypriano. *Inter catholicos Wieland* docet hanc doctrinam primo introductam esse saec. 2 ab *Irenaco* (circa 140-202) ac in sequenti saeculo a Cypriano ita firmatam ut subinde universaliter acceptaretur?*

Tandem *moderniores critici* concesserunt eam doctrinam contineri in tota traditione, imo in ipsa Scriptura (quatenus per paulinam traditionem reformata) eiusque originem attribuerunt 5. *Paulo*⁹³

Ex dictis sequitur quod in praesenti argumento Traditionis, attenta eius apologetica ratione, *peculiariter ostendendum est Patres trium priorum saeculorum* docuisse Eucharistiam esse proprie dictum sacrificium.

Priusquam autem singuli textus exhibeantur, juverit *GENERALES LINEAS PATRISTICAE DOCTRINAE* breviter referre et *generalem adversariorum obiectionem apponere*.

In evolutione, seu potius expositione, huiusce doctrinae *quatuor nomina eminent*, bina in tribus prioribus saeculis, *Irenaeus nempe et Cyprianus*, bina in tribus posterioribus, *Augustinus nimirum et Gregorius M.*

Irenaeus (t circa 202) exhibet primam synthesim dogmaticam et moralem eorum quae a praecedentibus Patribus passim exhibentur. *Cyprianus* (t circa 258), Tertulliani vestigia secutus, perficit et ampliat synthesim Irenaei. *Augustinus* (t 430) more suo synthesim ad ultimam lineam deducit, eam foecundans generalibus notionibus de fine et natura sacrificii (cf. *De civ. Dei*, 10, 5 sq.) atque realismum et symbolismum Eucharistiae etiam sub ratione sacrificii (oblationem corporis Christi physici et corporis mystici; actualem oblationem et repraesentationem oblationis crucis) in singularitate unius mysterii mirifice componens. *Gregorius M.* (t 604), practicam indolem suae mentis ad valorem sacrificii Missae convertens, in variis Dialogis et Epistolis peculiariter insistit in eius *efficacitatem tam pro vivis quam pro defunctis*, ac non parvum influxum habuit tum in ea quae auctores mediaevales fusius de hac re scripserunt, tum in usum celebrandi missam privatam, qui eo tempore inolescere coepit; eo ex his etiam quae ipse refert in *Dial.* 4. 55 originem habet usus *Missae Gregorianae* seu tricenariae celebrationis pro defunctis.

"The Body of Christ, London, 1902, p. 137.

"Art. Messe, in *Protest. Realencyklopadie*, t. 12, 1903, p. 664-685.

" *Histoire des dogmes*, 3 ed., t. 1, p. 428 sq., Fribourg et Leipzig, 1905.

" Cf. supra, p. 840; *Did. Thiol. Cath.*, art. Messe, col. 864 sq.

" Cf. supra, p. 841.

M Cf. *Tixeront*, *Histoire des dogmes*, v. 3, Paris, 1928, p. 386 sq.

Ut constat ex testimoniis infra citandis, *summa capita doctrinae Patrum* (et Liturgiarum), *etiam trium priorum sacculorum*, ad haec reducuntur:07

Eucharistia constanter vocatur *sacrificium* (vel oblatio, immolatio), et quidem generaliter in his contextus adiunctis quae propriam nominis acceptionem exigunt, imo quandoque additis appositionibus "*verum, plenum, perfectum*" (Didache, Clemens Rom., Justinus, Irenaeus, Hippolytus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus).

Frequentissime comparatur et opponitur veris *sacrificiis A.L.* ac effertur ut antitypus sacrificii Melchisedech et adimpletio prophetiae Malachiae de vero ac mundo sacrificio (Didache, Clemens Rom., Justinus, Irenaeus, Clemens Alex., Cyprianus). Ab Irenaeo solemniter vocatur 'Oblatio novi testamenti'.

Distinguitur a sacrificio improprie dicto, seu solius laudis vel interioris dispositionis (Gregorius Naz., Augustinus, De civ. Dei. 10. 5), etnominatim a praecibus (Justinus) et hymnis etiam liturgicis (Cyrillus Hier.). Quod ceterum aequivalenter etiam affirmatur in eo quod Eucharistia proponitur ut oblatio panis et vini, refertur ad altare (Ignatius, Tertullianus), reservatur hierarchiae (Clemens Rom., Ignatius, Cyprianus).

Distinguitur a sacrificio crucis; nam a Christo in ipsa coena celebrata est (Cyprianus, posteriores frequenter), in Ecclesia quotidie offertur (Didache aliique citantes Malachiam; magis explicite Justinus, Irenaeus, Cyprianus), offertur in pane et vino (Didache, Justinus, Irenaeus, Clemens Alex., Origenes, Cyprianus), offertur modo incruento (Cyrillus Hier., Greg. Naz. [cit. in p. 210], Cyrillus Alex.. Epist. Cone. Ephesini ad Nestorium), offertur symbolice seu in commemorationem et repraesentationem passionis (Justinus, Cyprianus, frequenter posteriores).

Exhibetur ut *oblatio ipsius corporis et sanguinis Christi* (Didache, Irenaeus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus).

Signanter proponitur ut *oblatio propitiatoria* (Irenaeus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus).

GENERALITER AB ADVERSARIIS OBICI SOLENT frequentes expressiones priorum Patrum, praesertim Apologetarum secundi saeculi, quibus *spiritualis indoles sacrificii novae legis* insistenter praedicatur.

Ita plures *Apologetae*, nulla mentione facta oblationis eucharisticae, affirmant Deum oblationibus et hostiis non indigere {*Aristides*, Apol.

"Cf. *Franselht*, De Euch., thes. 28; *Diet. Théol. Catii.*, art. Messe, col. 956-963; 990-993.

1; *Epistola ad Diognetum*, 3, 3-5; *Minucius Felix*, Octav. 32) et solum sacrificium precis esse Deo acceptum (*Athenagoras*, Leg. pro Christianis, 13; *Acta 5. Apollonii*, § 8; *Minucius Felix*, ibid.). Ipsi etiam *Justinus* (Dial. 116 sq.), *Clemens Alex.* (Strom. 5, 11; 7, 3. 6) et *Tertullianus* (Apologet. 31, 1; De orat. 27 sq.; Adv. Mare. 3, 22; 4, 9), quamvis loquantur de sacrificio eucharistico, docent solas orationes esse sacrificium Deo acceptabile.

RESPONDETUR.

1. Inepte obicitur silentium quorundam Apologetarum, tum quia ipsum silentium per se non constituit argumentum negationis, tum quia alii Apologetae eiusdem quidem temporis et majoris nominis (*Justinus*, *Irenaeus*, *Tertullianus*) de sacrificio eucharistico loquuntur, tum quia explicita istius mentio non requirebatur ad eorum finem, qui erat repellere falsum Gentilium conceptum de sacrificio tanquam de dono quo Deitas indigeret (unde opponunt solum orationis sacrificium esse Deo gratum).

2. Cum Patres dicunt orationem esse sacrificium Deo acceptabile, vel loquuntur de sacrificio in sensu metaphorico, vel alludunt praecise ad ipsum sacrificium eucharisticum, quod per precem seu per verba consecrationis offertur. In hoc sensu vox "preces" adhibetur probabiliter in verbis *Tertulliani*, Ad Scapulam, 2 "Sacrificamus . . . quomodo praecepit Deus, pura prece" (M.L. 1, 778), certius in verbis *Justini*, Dial. 116 sq. infra citand., et certe apud plures posteriores, uti *Cyrilluni Hier.*, Catech. 23 (c. 7, cit. in p. 211, collato cum c. 8 infra citando).

3. *Spiritualis indoles sacrificii novae legis* non a solis Apologetis aut prioribus Patribus praedicatur sed a tota posteriori traditione, in qua tamen, fatentibus adversariis, veritas sacrificii eucharistici manifeste docetur. Eam proponunt omnes *liturgiae* usque ad ipsum Canonem Missae Romanae ("Tibi offerunt hoc sacrificium laudis . . . reddunt vota sua", "Oblationem . . . rationabilem") et communiter *Patres* (*Hilarius*, In Psal. 62, 8; *Zeno Veronensis*, l. 1, tract. 15, c. 5; *Basilius*, Epist. 115; *Greg. Naz.*, Orat. 45, 12. 14. 23; *Epiphanius*, Haer. 66, 71; *Gregorius M.*, Dial. 4, 58).

Non igitur intendunt Apologetae excludere veritatem sacrificii eucharistici sed potius, una cum tota traditione, extollere eius proprietates prae defectibus sacrificiorum Gentilium et Hebraeorum.

Ad rem *De la Taille*:

"Si simul considerentur omnes illae exclusiones sacrificiorum, viden-

tur posse reduci ad pauca capita doctrinae. Quatuor enim in omni sacrificio occurrunt considerata: *cui offeratur, quid offeratur, quomodo offeratur, a quo offeratur.*

“*Primo* quidem, *spectato eo cui offertur*, excludere Patres sacrificia Deo oblata ut indigenti, quasi per nos Deus, ut delirabant ethnici, atque etiam aliquando Judaei, afficeretur beneficio (Aristides, Athenagoras. Ep. ad Diognet., Minucius Felix, Irenaeus, Clemens Alex.). Et re quidem vera, ne sacrificio quidem nostro eucharistico Deus eget, sed egeamus; nec quasi fructum capiens delectatur, sed dans nobis facere fructum salutis.

“*Secundo, spectato eo quod offertur*, rursus excludere Patres omnem terrenam oblationem, vel arte humana comparatam qualem in more hominum erat aris aut altaribus imponere (Ep. Barnabae, Justinus, Tertullianus, etc.). Non enim terrena est nostra hostia, sed nec rationalis aut immaculata solum, sed et coelestis, nulli videlicet rerum corporearum conditioni subjecta, nec nisi per omnipotentiam divinam aut inducta in mundum aut facta litabilis.

“*Tertio, si spectetur modus ipse oblationis, primo* quidem excludere Patres a sacrificiis nostris omnem immolationem realem, seu cruentam mactationem. Atque inde est quod saepe e cultu nostro exsulare dixere omnem *θυσίαν* (Athenagoras, Clemens Alexandrinus, cf. Nazianzenum, Theodoretum). Voces enim quibus indiscriminatim significatur mox sacrificatio, seu oblatio immolatae hostiae, mox immolatio, seu mactatio, debuerunt pro occasione et subjecta materia, aliquando admitti et aliquando rejici, secundum aliud et aliud. Sacrificatur enim vere corpus Christi, dum offertur a nobis nunc, prout jam olim immolatum transivit in hostiam sempiternam; nec interea vere a nobis immolatur aut mactatur, sed immutationis recentis expers, remanet *ἀθύτων Ἰπύου* {*Damasce-nus*, In dominicum pascha. P.G. 96,841); per sacerdotes *ἀθύτων θνόμαον*, ut fert sermo apud *Geiasium Cyzicenum* (Historia concilii Nicaeni, l. 2, c. 30 P.G. 85, 1317) adscriptus Patribus Nicaenis; recteque in *Liturgie Chaldaeorum* cantatur: ‘Sacrificium vivum et rationabile primitiarum nostrarum, et *victima non immolata*, et tamen acceptabilis, Filii generis nostri, quem . . . sacerdotes super altaria sancta *immolaverunt*, . . . offertur’ (Max Saxoniae, Missa Chaldaica, p. 26).

“*Rursus* quod attinet ad modum oblationis, removerunt Patres omnem ritum corporeum, puta *αναθημάτων*, nec retinuerunt nisi spiritualem seu intellegibilem; non sensibus, sed per sensibilia symbola intellectui credentium pervium; constantem non actione ulla materiali, aut mechanica, sed vi intellegibili sermonis a Domino traditi et ad Deum directi; non directe quidem enuntiantis oblationem, sed agentis: dum

fundit symbolice ex corpore Christi piacularem sanguinem; quo fit ut in apparente oblatione panis et vini fiat Christi pro nobis olim demortui oblatio vera.

“*Quarto tandem, spectato eo a quo oflertur, maxime Patres vitae probitatem adorationemque in spiritu et veritate extulere: in qua consistit invisibile sacrificium, cuius nisi signum sit, sacrificium visibile non est acceptabile (ita fere omnes, speciatimque Zeno Veronensis).*”⁵⁸

Hanc spiritualis sacrificii doctrinam Patres non aliunde derivarunt quam *ex ipsa Scriptura, seu ex Christo, ex Apostolo, ex Malachia, praedicantibus* “oblationem mundam” (Malach. 1, 11), qua “Dominus . . . non manibus humanis colitur indigens aliquo” (Act. 17, 25) sed a veris adoratoribus “adoratur in spiritu et veritate” (Joan. 4, 23).

Testimonia trium priorum saeculorum, i.e. a Didache ad Cyprianum.

DIDACHE (inter 90 et 100), 14, 1-3 et 15, 1: “Die dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum *sacrificium* vestrum. Omnis vero, cui est controversia cum amico suo, ne conveniat vobiscum, donec reconciliati sint, ne inquinetur *sacrificium* vestrum. Hoc enim est dictum a Domino: ‘In omni loco’ et tempore ‘offeratur mihi *sacrificium* mundum. quoniam rex magnus sum, dicit Dominus, et nomen meum mirabile in gentibus’. . . Constituite igitur vobis episcopos et diaconos dignos Domino . . .; vobis enim ministrant et ipsi ministerium prophetarum et doctorum” (Funk, 1, 32).

In hoc textu Eucharistia seu “fractio panis et gratiarum actio” *ter vocatur θυσία. seu sacrificium*. Quod autem agatur de proprie dicto sacrificio *patet, primo negative*, ex eo quod nulla est ratio eam vocem detorquendi a communi sensu quem obtinebat apud Orientales quibus haec verba dirigebantur, eo vel magis quod in eodem textu cum quadam insistencia (ter nempe) ea vox adhibeatur et absque ulla appositione quae alium sensum suggerere possit; *secundo positive*, seu sive ex citatione prophetiae *Malachiae*, in qua agitur de vero sacrificio, sive ex allusione ad *verba Christi* de sacrificio (proprie dicto) in statu inimicitiae non offerendo: “Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum” (Matth. 5, 23 sq.).

Confirmatur primo, ex voce λ«τουργία (ministerium), qua in capite 15. v. 1. appellatur Eucharistia et exhortatione ibidem apposita eligendi

⁵⁸Mysterium Fidei, elue. 18, Parisiis, 1931, p. 228 sq.

episcopos et diaconos in ordine ad eius celebrationem; ea enim vox apud Septuaginta designat cultum publicum, proprium sacerdotum ac levitarum, quod maxime in sacrificio consistit; *secundo*, ex ipsa expressione frequenter repetita (cf. 9, 1-5; 10, 1-5) “*gratias agite*” (*ἰνχαριστιματα*^), quae etiam assumitur ut nomen ipsius ritus (9, 5: “Nemo autem edat neque bibat a vestra eucharistia”), unum enim ex sacrificiis A.T. erat sacrificium gratiarum actionis.

Inaniter obicitur incisum “gratias agite” trahere vocem sacrificii ad sensum sacrificii improprie dicti.

Nam vox sacrificii refertur etiam ad fractionem panis. Ceterum incisum ipsum “gratias agite” potest accipi in sensu “eucharistizate, seu Eucharistiam celebrate”, ita ut importet nomen totius ritus (juxta 9. 5 nuper citato), et, ut dictum est, probabiliter in ipsa expressione “gratias agere” conceptus sacrificii seu hostiae pacificae includitur.

Item inaniter obicitur in hoc textu nullam oblationem indicari.

Nam conceptus ipse sacrificii oblationem importat. Quod autem directe non indicetur proprius modus et materia oblationis nihil refert.

Ceterum oblationem fieri panis et vini consecrati indirecte indicatur. *primo*, in inciso “fractio panis” ad quod refertur vox sacrificii; *secundo*, in verbis capitis 9, v. 1: “Gratias tibi agimus, Pater noster, pro sancta vite David pueri tui, quam indicasti nobis per Iesum puerum tuum”, nam incisum “pro sancta vite David” significat sanguinem Christi sub specie vini contentum, ut suadetur sive ex ipsa constructione verborum (si enim illud incisum nihil aliud significaret quam personam Christi, sensus textus esset: Gratias tibi agimus pro Iesu puero tuo, quem indicasti nobis per Iesum puerum tuum), sive ex eo quod *Clemens Alex.* (Quis dives, c. 29) et *Origenes* (Homil. in Jud. 6. 2) appellant sanguinem Christi sanguinem vitis Davidis, sive ex modo quo verba Didache redduntur in *Const. Apost.* 7, 25: “Gratias agimus tibi, Pater noster, pro pretioso sanguine Iesu Christi effuso nostra causa et pro pretioso corpore, cuius et haec antitypa celebramus” (Funk. Didasc. 1, 413); *tertio*, in verbis eiusdem capitis 9. v. 3: “De pane fracto autem: Gratias tibi agimus, Pater noster . . .”, post quae in v. 5 additur: “Nemo autem edat neque bibat a vestra eucharistia, nisi. . .”

CLEMENS ROMANUS R.P. (92-101), Ep. 1 ad Corinth. 40, 1-5: “Cuncta ordine debemus facere, quae nos Dominus statutis temporibus peragere iussit. *Oblationes scilicet et officia sacra* perfici, neque temere vel inordinate fieri praecepit, sed statutis temporibus et horis. . . Summo quippe sacerdoti [in A.T.] sua munera tributa sunt, sacerdotibus

locus proprius adsignatus est, et Levitis sua ministeria incumbunt. Homo laicus praeceptis laicis constringitur” (Funk, 1, 111).

Post longius prosecutam comparationem inter ministros antiquae legis eorumque ministerium ac sacrificia et ministros ac ministerium novae legis, concludit in 44, 4: “Non enim leve erit peccatum nostrum, si eos, qui sancte et sine reprehensione *munera obtulerunt* [του? -ροσατγχόρ-α? τὰ δώρα], episcopatu eicimus” (Funk, 1, 117).

Verba “*oblaciones*” et “*munera obtulerunt*” referri ad verum sacrificium eucharisticum suadetur tum ex eo quod Clemens loquitur de cultu publico seu *liturgico*, et quidem *hierarchy* seu reservato sacris ministris (quod de sola oratione intelligi nequit), tum ex eo quod ministros eorumque cultum comparat ministris et cultui ac *sacrificiis A.L.*, tum ex ipsis verbis “oblatio munerum” et “oblaciones et officia sacra” [προσφορά? και Αυτουργια?], quae non videntur ad aliud referri posse quam ad sacrificium (non vero, ut vult *Wieland*, ad oblaciones quas fideles ad officia sacra offerebant in ministrorum sustentationem), nam vox λατουργια, quae determinat vocem προσφορά', desumpta est ex Septuaginta, apud quos designat ministerium sacerdotum et levitarum circa altare et sacrificium, et expressio “offerre oblaciones vel munera” derivatur ex A.T., in quo significat sacrificium offerre.

IGNATIUS ANTIOCHENUS (f 107), cuius silentium perperam exaggeratur a *Wieland, Goguel* et aliis, indirecte ad sacrificium eucharisticum alludit, sive cum refert Eucharistiam ad episcopum et presbyterium (Ephes. 5, 2; 20, 2; Philad. 4; Smyrn. 8, 1 sq. cit. in p. 741), collata eius mente cum nuper exposita doctrina Clementis P., sive ac praecipue cum loquitur *de altari* {θυσιαστήριον} *in relatione ad Eucharistiam*, uti praesertim ad Philad. 4: “Studeatis igitur una eucharistia uti; una enim est caro Domini nostri Iesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare, sicut unus episcopus cum presbyterio et diaconis, conservis meis” (Funk, 1, 227).

Opponunt adversarii vocem “altare” hic sumi metaphoricè pro ipso coetu fidelium ad Eucharistiam celebrandam congregato, sicut etiam metaphoricè eadem vox accipitur in aliis locis, i.e. Trail. 7,2, ubi communio cum altari significat communionem cum episcopo et presbyterio, Eph. 5, 2, ubi recessus ab altari significat recessum a vera doctrina, Magn. 7, 2, ubi accessus ad altare significat accessum ad Christum.

Resp. Ex eo quod vox “altare” quandoque accipiatur in sensu improprio, non sequitur similiter semper accipi, praesertim apud Ignatium, qui solet facile ab uno ad alium sensum eiusdem vocis transire. Ceterum in locis Trail. 7, 2, et Magn. 7, 2, tum ex subiecta materia

tum ex ipsis verbis apparet S. Doctorem metaphoricè loqui; de sensu autem Eph. 5, 2, ubi dicitur qui recedit ab altari privari pane Dei, disputari potest, imò probabilius videtur locum referri ab sacrificio eucharisticum. In verbis vero ad Philad. nihil indicat sensum improprium, imò cetera omnia (eucharistia, caro Christi, calix sanguinis, episcopus) accipiuntur in sensu proprio et quidem liturgico.

Ceterum ipse usus, utut figurativus, vocis altaris apud Ignatium convenienter explicari non potest nisi ipse sentiret esse in Ecclesia verum altare et verum sacrificium.

JUSTINUS (+ 167), cuius testimonium magnum valorem habet ex fine ipso quem S. Doctor, praecipue quidem in suis Apologiis, sibi praefigit, pandendi nempe ac defendendi ea quae in Christianorum coetibus et mysteriis agebantur, explicite in *Dialogo cum Thryphone Judaeo* proponit sacrificium eucharisticum, docens in "*sacrificiis . . . a Iesu Christo praescriptis, id est quae in eucharistia panis et calicis a Christianis in omni terrarum loco offeruntur*" impletam esse *prophetiam Malachiae* (Dial. 116 sq.), comparans hoc sacrificium cum proprie dictis *sacrificiis A.T.* (ibid, et Dial. 41), asserens in particulari *oblationem similiae*, quae fiebat in sacrificio emundationis, offerendo a leprosis sanatis, fuisse figuram panis eucharistici quem Christus in memoriam passionis fieri praecepit (Dial. 41).⁶⁰

Dial. 41: "Similiae quoque oblatio, viri, aiebam, pro iis, qui a lepra purgabantur, praescripta, figura erat panis Eucharistiae, quem Dominus noster Iesus Christus in recordationem passionis pro his qui ab omni pravitate purgantur susceptae fieri praecepit. . . De sacrificiis quidem, quae tunc a vobis offerebantur, sic Deus, ut jam dixi, per Malachiam unum ex duodecim, loquitur: 'Non est voluntas mea in vobis, dicit Dominus, et sacrificium non suscipiam de manibus vestris. . .' De iis autem, quae in omni loco a nobis gentibus offeruntur ei, sacrificiis, hoc est, de pane Eucharistiae et de calice similiter Eucharistiae, jam tum praedicat, illud etiam addens, nomen suum a nobis glorificari, a vobis autem profanari" (M.G. 6, 564).

Dial. 116 sq.: "Nos, qui per nomen Iesu instar unius hominis omnes in Creatorem universorum Deum credimus . . . verum genus sacerdotale Dei sumus, ut Deus ipse testatur, cum sibi in omni loco in gentibus grata et pura sacrificia offerri dicit. A nemine autem Deus accipit sacrificia ipsius nisi per ipsius sacerdotes. Qui ergo per illius nomen *sacrificia ipsi offerunt ea, quae a Iesu Christo praescripta, id est quae*

⁶⁰ Verba "fieri praecepit" significant "consecrari praecepit", nani verbum *iroitii'* (fieri) quandoque sensum sacrificalem accipit apud Patres et *Iepà Troieir est apud graecos expressio technica pro oblatione sacrificii.

in eucharistia panis et calicis a Christianis in omni terrarum loco offeruntur, hos omnes in antecessum Deus gratos sibi esse testatur. *Quae vero a vobis ac per vestros illos sacerdotes offeruntur*, ea respuit, cum dicit: ‘Et sacrificia vestra non suscipiam de manibus vestris: quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum glorificatur in gentibus: vos autem profanatis illud” [Mal 1, 10].

“Ac vos quidem hactenus contentionis studio dicitis Deum quidem sacrificia Hierosolymis ab his, qui tunc ibi Israelitae dicti habitabant, oblata non accipere; eorum autem preces, qui tunc ex illo genere [iudaico] in dispersione erant, gratas sibi esse dixisse, atque illorum preces sacrificia vocare. Equidem preces et gratiarum actiones, quae a dignis peraguntur, sola esse perfecta et Deo accepta sacrificia et ipse pronuntio. Haec enim Christiani quoque sola peragere didicerunt, etiam in recordatione alimoniae suae siccae et liquidae, in qua etiam passionis, quam Filius Dei propter eos pertulit, recordantur. . .

“Quod autem et ipsi vos decipitis et magistri vestri, dum Scripturam sic interpretamini, quasi de dispersis vestri generis hominibus dicat, eorum preces et sacrificia in omni loco pura et accepta esse; agnoscite vos mentiri et operam dare ut in omnibus vosmetipsos decipiatis; primum quidem, quia ne nunc quidem ab ortu solis ad occasum diffusum est vestrum genus, ac gentes videre est, in quibus nondum quisquam vestrum habitavit. Nullum enim omnino genus est, sive Graecorum, sive barbarorum, . . . in quo non per nomen crucifixi Jesu preces et gratiarum actiones Patri et Creatori universorum fiant. Deinde vero quia quo tempore propheta Malachias haec dicebat, nondum dispersi eratis in omnes illas terrae partes in quibus nunc estis” (M.G. 6, 745-749).

Ex his apparet quam inepte *Wieland*, ut ostendat Justinum docere improprie dictum sacrificium orationis et gratiarum actionis, provocet ad verba modo citata in ipso Dial. 117 “Equidem *preces et gratiarum actiones*, quae a dignis peraguntur, *sola esse perfecta et Deo accepta sacrificia* et ipse pronuntio.”

Nam ipse Justinus ibidem impugnat Thryphonem aliosque Judaeos dicentes Malachiam “preces (Judaeorum in dispersione viventium] sacrificia vocare”. S. Doctor loquitur de precibus seu verbis consecrationis, quae super panem et vinum prolata, conficiunt sacrificium eucharisticum, ut patet etiam ex Apol. 1, 66 (cit. in p. 203), et opponit Thryphoni sacrificium eucharisticum. quod solum est perfectum ac Deo acceptum, fieri utique non per gladium aut combustionem, sicut antiqua sacrificia, sed tantum “per precem ipsius [Christi] verba con-

tinentem” qua alimonia panis et vini eucharistizatur *^υχαριστηθ̄σαν*) (Apol. 1, 66).

IRENAEUS († circa 202) in duobus praecipue *classicis locis* (Adv. haer. 4, 17, 5; 4, 18, 1-5) tam copiose et signanter de sacrificio eucharistico loquitur, ut a quibusdam adversariis, nominatim inter catholicos *Wieland*, *habeatur inventor* ipse huius traditionalis doctrinae, ac in veritate dici possit in se colligere *synthesini* dogmaticam et moralem eorum quae de sacrificio eucharistico a praecedentibus Patribus sparsim et minus determinate proponuntur.⁷⁰

S. Doctor vocibus “sacrificium — oblatio — offerre” frequentissime utitur. Comparans Eucharistiam *sacrificiis A.L.*, signanter opponit oblationem oblationi, sacrificium sacrificio (4, 18, 2). Dicit prophetiam *Malachiae* manifestissime adimpleri in sacrificio Missae, quod solemni-ter vocat *oblationem Novi Testamenti* (4, 17, 5). *Essentiam oblationis* eucharisticae proponit panem et vinum, mutata in corpus et sanguinem Christi⁷¹ per verba consecrationis (4, 17, 5). *Finem propitiatorium* huius oblationis explicite et copiose proponit in eo quod Christus ipse, qui Deo in sacrificium offertur, nobis a Deo redditur in redemptionem, vitam et immortalitatem (4, 18, 6; cf. 5, 2, 2 sq.).

Generalem quoque conceptum sacrificii delineat, docens *essentiam* sacrificii reponi in oblatione, cuius species mutat in diversis testamen-tis (4, 18, 2), eius *finem* esse non indigentiam Dei sed eius honorem et nostram utilitatem (4, 18, 1. 2. 3. 6; cf. 5, 2, 3), eius essentiam et finem pendere a *moralibus dispositionibus* offerentis, cum sacrificium exterius sit signum sacrificii interni nec valeat Deo placere quod interi-ori animi indispositione inquinatur (4, 18, 2. 4. 5).

4, 17, 5: “Sed et suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructu-osi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est accepit, et gratias egit, dicens: ‘Hoc est meum corpus’ [Matth. 26, 26]. Et calicem

„JAd rem *Ruch*, in Diet. Théol. Cath., art. Messe, col. 91S: “Après avoir reconstitué la pensée de saint Iréné, il est permis de se demander, si jamais la notion du sacrifice est entrée dans une synthèse plus complète, plus grandiose, plus féconde en conséquences pratiques. Plus d’une expression est gauche, et il est des affirmations qui ne sont pas sans danger (l’eucharistie avec double élément, céleste et terrestre; notre corps nourri du corps du Christ). Mais l’idée maîtresse est des plus heureuses, les principes métaphysiques et les règles morales sont du meilleur aloi, et la synthèse lie étroitement toutes les données de la raison et de l’Ancienne Loi à tous les enseignements du Nouveau Testament et de l’antique tradition. Qu’on précise le langage, comme on peut le faire aujourd’hui, qu’on laisse tomber ce qui, écrit contre les gnostiques, a perdu toute actualité, et on garde une théorie du sacrifice qui peut soutenir la comparaison avec toutes celles qu’on a imaginées depuis.”

⁷⁰ Cf. *De la Taille*, *Mysterium Fidei*, Parisiis, 1931, p. 20S sqq.

similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, *suum sanguinem confessus est, et novi testamenti novam docuit oblationem; quam Ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert Deo*, ei qui alimenta nobis praestat, primitias suorum munerum in novo testamento, de quo in duodecim prophetis *Malachias* sic praesignificavit: ‘Non est mihi voluntas in vobis . . . [Malach. 1, 10 sq.]; *manifestissime significans* per haec, quoniam prior quidem populus cessabit offerre Deo; omni autem loco *sacrificium* offerretur ei, et hoc purum; nomen autem eius glorificatur in gentibus” (M.G. 7, 1023 sq.).

4, 18, 1 sq.: “Igitur Ecclesiae oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, et acceptum est ei: non quod indigeat a nobis sacrificium, sed quoniam is, qui offert, glorificatur ipse in eo quod offert, si acceptetur munus ejus. Per munus enim erga regem, et honor, et affectio ostenditur. . . Non genus oblationum reprobatur: oblationes enim et illic, oblationes autem et hic, *sacrificia in populo, sacrificia in ecclesia; sed species immutata est tantum*, quippe cum iam non a servis sed a liberis offeratur” (M.G. 7, 1024 sq.).

Verba 4, 18, 4 sq. citavimus in p. 203.

HIPPOLYTUS (saec. 2-3), Fragmenta in Daniele, n. 22, referens ad tempus Antichristi prophetiam *Danielis*, 9, 27, de cessatione sacrificii (cf. supra, p. 852) et tacite alludens ad prophetiam *Malachiae*, ait de sacrificio eucharistico: “Cum vero ille [Antichristus] advenerit, auferetur *sacrificium et libamen*, quod modo ubique locorum a gentibus *offertur Deo*” (M.G. 10, 656).

TERTULLIANUS (circa 160-222) insigne testimonium profert in libro *De Oratione*, 19 (cit. supra ubi de praesentia reali, p. 205), in quo loquitur de “*sacrificiorum orationibus*”, de “*ara Dei*”, de “*participatione sacrificii*”.

In libro *De Pudicitia*, 9 (cit. ibid.), ait de reconciliato apostata quod “*rursus illi mactabitur Christus*”. In libro *De Praescriptionibus*, 40, loquens de paritate inter Mithrae et Christi sacramenta, ait: “*Celebrat [Mithra] et panis oblationem*” (M.L. 2, 55).

Frequenter utitur verbis “*sacrificium — oblatio — offerre — offerre sacrificium — sacrificare*” (*Ad Scapulam*, 2; *Adv. Judaeos*, 5; *De exhort. castit.* 7 et 11; *De monogamia*, 10; *De cultu feminarum*, 11; *De virginibus velandis*, 9).

Sacrificium offerri pro dejectis testatur Tertullianus in *De monogamia*, 10, *De corona mil.* 3, et *De exhortatione castitatis*, 11, ubi intendens christianos a secundis nuptiis deterrere, scribit:

“In secundo matrimonio duae uxores eundem circumstant maritum;

una spiritu, alia in carne: neque enim pristinam poteris odisse, cui etiam religiosiorem reservas affectionem, ut jam receptae apud Dominum, pro cuius spiritu postulas, pro qua *oblaciones annuas reddis*. Stabis ergo ad Dominum cum tot uxoribus, quot in oratione commemoras? et *offeres* pro duabus? et commendabis illas duas per sacerdotem de monogamia, ordinatum, aut etiam de virginitate sancitum, circumdatum virginibus ac univiris, et ascendet *sacrificium* tuum libera fronte?" (M.L. 2, 975).

CLEMENS ALEX, (circa 150-211) in Strom. 4, 25, dicit sacrificium Melchisedech in pane et vino esse typum Eucharistiae.

Ibid. 1, 19, arguens quosdam haereticos (Encratitas), qui in celebratione Eucharistiae aquam pro vino adhibebant, scribit: " 'Panem absconsos lubenter tangite, et aquam furti dulcem:' [Prov. 9, 17] ubi per 'panem' et 'aquam,' eas haereses clare notat Scriptura, quae in *oblacione* (κατὰ τὴν προσφορὰν) pane et aqua aliter utuntur, quam Ecclesiae canonibus praecipitur. Sunt enim, qui sola aqua utuntur in eucharistia (ἀχαριστοῦσι)" (M.G. 8, 813).

Ipsa *Wieland*, concorditer ad suam sententiam, concedit in his verbis observari primum vestigium ampliacionis conceptus sacrificii in Oriente.

ORIGENES (circa 185-254), quamvis more suo saepe indulgeat allegorismo cum loquitur de Eucharistia tum ut sacramento (cf. supra, p. 208) tum ut sacrificio, tamen tam signanter verum sacrificium eucharisticum proponit (contra Celsum, 8, 33) ut obvie manifestet *parallelismum suae doctrinae cum doctrina Irenaei* et a *Wieland* consocietur ipsi Irenaeo uti fundator sententiae de sacrificiali indole Eucharistiae. Peculiariter ipse insistit in *ratione propitiatoria* huius sacrificii (In Lev., hom. 9 et 13).

Contra Celsum, 8, 33: "Celsus igitur ea de causa, ut Deum ignorans, gratias daemonibus agat; nos qui hujus universitatis Conditori gratias agimus, cum precibus et gratiarum actione oblatos edimus panes, qui propter orationem fiunt corpus quoddam sanctum quod sano proposito manducantibus sanctitatem largitur" (M.G. 11, 1565).

In Levit., hom. 9, 10: "Ritus quidem apud veteres propitiationis pro hominibus, qui fiebat ad Deum, qualiter celebraretur edocuit: sed tu qui ad Christum venisti, pontificem verum, qui sanguine suo *Deum tibi propitium fecit, et reconciliavit te Patri*, non haereas in sanguine carnis; sed discite potius sanguinem Verbi, et audi ipsum tibi dicentem, quia: 'hic sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.' *Novit qui mysteriis imbutus est et carnem et sanguinem*

Verbi Dei. Non ergo immoremur in his quae et scientibus nota sunt, et ignorantibus patere non possunt” (M.G. 12, 523).

Ibid., hom. 13, 3: “Secundum ea quae scripta sunt, in duodecim panibus duodecim tribuum Israel videtur commemoratio ante Dominum fieri, et praeceptum dari, ut sine cessatione isti duodecim panes in conspectu Domini proponantur; ut et memoria duodecim tribuum apud eum semper habeatur, quo veluti exoratio quaedam et supplicatio per haec pro singulis fieri videatur. Sed parva satis et tenuis est *hujusmodi intercessio*. . . Sed si referantur haec ad mysterii magnitudinem, invenies commemorationem istam *habere ingentis repropitiationis ejectum*. Si redeas ad illum panem qui de coelo descendit, et dat huic mundo vitam: illum panem propositionis, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ejus: et si respicias ad illam commemorationem de qua dicit Dominus: ‘Hoc facite in meam commemorationem;’ invenies quod ista est commemoratio sola *quae propitium jacet hominibus Deum*. Si ergo intentius ecclesiastica mysteria recorderis, in his quae lex scribit, futurae veritatis invenies imaginem praeformatam” (M.G. 12, 547).

CYPRIANUS (circa 200-258) est potissimus testis et expositor doctrinae sacrificialis trium priorum saeculorum. In eius scriptis, ac praecipue in *Epistola 63 ad Caecilium*, quae tota est de sacrificio eucharistico, *perficitur synthesis Irenaei*² et conceptus sacrificales a *Tertulliano* traditi ita ampliantur, ut facile ex eis parvus quidam sed completus tractatus de sacrificio Missae colligi possit.

Frequentissime ab ipso adhibentur verba sacrificalia: oblatio, sacrificium, “*sacrificium verum et plenum*”, offerre, offerre sacrificium, celebrare sacrificium, sanctificare (i.e. facere sacrum, sacrificare), sanctificare calicem, oblationem, sacrificium.

Eucharistia est typus sacrificii *Melchisedech* (Epist. 63, 4), obiectum prophetiae *Malachiae* (Testim. 1, 16), substitutio *antiquorum sacrificiorum* (ibid.); Eucharistiae applicantur *verba Lev. 7, 20* “Anima polluta quae ederit de carnibus hostiae pacificorum, quae oblata est Domino, peribit de populis suis” (ibid.; De lapsis, 15).

Id quod in sacrificium offertur est *panis et vinum* (Epist. 63, 4. 9.

² Ad rem. *Ruch*, in Diet. Théol. Cath., art. Messe, col. 945: “Cette synthèse [S. Cyprianil . . . est . . . du plus haut prix; plaçant le rite eucharistique au coeur même du culte chrétien, elle le relie intimement à tous les mystères de la foi. On peut dire qu’en lui se rejoignent les grandes pensées de la passion et de ses fruits, du Christ et de l’Eglise. Rien n’est plus éloigné des mystères païens, rien n’est plus chrétien. Cette synthèse complète à merveille celle de saint Irénée pour qui l’eucharistie est surtout l’offrande des prémices d’un monde nouveau, celui d’aujourd’hui et celui de demain. Toutes deux d’ailleurs se rapprochent. Car la *création nouvelle* dont parle l’évêque de Lyon, c’est la *création rachetée* à laquelle pense saint Cyprien.”

13), *corpus et sanguis Christi* (ibid. 9), imo *ipsa passio Christi* (ibid.).

Christus ipse *instituit* hoc sacrificium (Epist. 63, 4: "Jesus Christus . . . sacrificii hujus auctor et doctor") in ultima coena, in qua *ipse obtulit* oblationem panis et vini, seu corporis et sanguinis sui, quam *renovandam praecepit* (ibid. 1. 2. 4. 9. 10. 14).

Interiores *dispositiones* requiruntur ad participationem sacrificii, praecipue reconciliatio cum Deo ex apostasia et pax cum fratribus (Epist. 15, 1; 16, 2; 17, 2; De lapsis, 25 sq.; De dominica oratione, 23).

Fructus sacrificii (distinctus quidem ab effectu communionis) est impetratorius tam pro *vivis* (Epist. 64, 4; 76, 8), etiam *absentibus* (Epist. 60, 4), quam pro *dejunctis* (Epist. 66, 2).

Epist. 63, n. 1: "Quoniam quidam, vel ignoranter vel simpliciter, *in calice Dominico sanctificando* et plebi ministrando non hoc faciunt quod Jesus Christus Dominus et Deus noster, *sacrificii hujus auctor et doctor*, fecit et docuit, religiosum pariter ac necessarium duxi has ad vos litteras facere; ut, si quis in isto errore adhuc tenetur, veritatis luce perspecta, ad radicem atque originem *traditionis Dominicae* revertatur [Hic est scopus totius epistolae]" (M.L. 4, 384 sq.).

Ibid., n. 2: "Admonitos autem nos scias ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis quam quod pro nobis Dominus prior fecerit, ut calix qui *in commemorationem ejus offertur* mistus vino offeratur" (ibid., 385 sq.).

Ibid., n. 4: "In sacerdotio *Melchisedech* sacrificii Dominici sacramentum praefiguratum videmus. . . [Sequuntur verba citata supra, p. 854] Nam quis magis sacerdos Dei summi quam Dominus noster Jesus Christus, *qui sacrificium Deo Patri obtulit*, et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est *panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem?* . . . Ut ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, praecedit ante imago sacrificii Christi, in pane et vino scilicet constituta; quam rem perficiens et adimplens Dominus panem et calicem mixtum vino obtulit, et qui est plenitudo veritatis veritatem praefiguratae imaginis adimplevit" (ibid., 387 sq.).

Ibid., n. 9: "Calicem . . . sub die passionis accipiens benedixit et dedit discipulis suis dicens: . . . Qua in parte invenimus calicem mixtum fuisse quem Dominus obtulit, et vinum fuisse quod sanguinem suum dixit. Unde apparet sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec *sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni*" (ibid., 392).

Ibid., n. 14: "Quod si nec minima de mandatis Dominicis licet solvere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicae

passionis et nostrae redemptionis sacramentum pertinentia fas non est infringere, aut in aliud quam quod divinitus institutum sit humana traditione mutare? Nam, si Jesus Christus Dominus et Deus noster ipse est summus *sacerdos Dei Patris, et sacrificium Patri se ipsum primus obtulit*, et hoc fieri in sui commemorationem praecipit, utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur qui id quod Christus fecit imitatur, et *sacrificium verum et plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri*, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse” (ibid., 397).

De lapsis, 16 (cit. in p. 207) dicit “*purgari conscientiam sacrificio*”.

Epist. 64, 4, ait Fortunatianum frustra offerre sacrificium, nec cuiquam *prodesse* orationem eius qui Deum negavit.

Epist. 76, 8, ait de Novatianis: “Baptizandi atque offerendi licentiam vindicare conantur. Quomodo perficere quae agunt aut impetrare aliquid illicitis conatibus a Deo possunt qui contra Deum, quod eis non licet moliuntur?” (M.L. 3, 1192).

Epist. 60, 4, annuntians episcopis Numidiae se mittere subsidia in sua Ecclesia collecta pro liberatione fratrum captivorum, scribit: “Ut autem fratres nostros ac sorores, qui ad hoc opus [subsidiarum] tam necessarium prompte ac libenter operati sunt, ut semper operentur, *in mente habeatis in orationibus vestris, et eis vicem boni operis in sacrificiis et precibus repraesentetis, subdidi nomina singulorum*, sed et collegarum quoque et consacerdotum nostrorum, qui et ipsi, cum praesentes essent, et suo et plebis suae nomine quaedam pro viribus contulerunt, nomina addidi; et praeter quantitatem propriam nostram, eorum quoque summulas significavi et misi, quorum omnium secundum quod fides et charitas exigit, in orationibus et precibus vestris meminisse debetis” (M.L. 4, 372).

Epist. 66, 2: “Episcopi antecessores nostri religiose considerantes et salubriter providentes, censuerunt ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, *nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur*. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece qui ab altari sacerdotes et ministros voluit avocare” (ibid., 411).

Testimonia posteriorum Patrum (saec. 4 sqq.).

Supradicta generalis doctrina Patrum magis explicite ac determinate evolvitur apud posteriores Patres. Ad existentiam et naturam sacrificii quod attinet, signanter evolvuntur haec duo puncta: Eucharistia est *verum et proprium sacrificium* quamvis incruentum, idque inquantum *repraesentat passionem Christi*.

Quoad primum punctum conferantur: *Cyrillus Hier., Catech. 23. 7*

sq.; *Gregorius Nyss.*, Orat. 1 In resurr.; *Gregorius Naz.*, Epist. 171; Carni. 1, 2. 17. 13; 2, 1. 17. 39; Orat. 2, 95; *Chrysostonius*, De prod. Judae, horn. 1, 6; In "Vidi Dominum", horn. 6; In S. Eustath. 2; De sacerdotio, 3, 4; 6, 4; In Rom., horn. 8, 8; In Hebr., horn. 14, 1; *Ambrosius*, In Luc. 1, 28; In Psal. 38, 25; *Hieronymus*, Epist. 21, 27; In Ezech. 46, 13; *Augustinus*, De civ. Dei, 10, 20; 17, 20; Quaest. evang. 2, 33; In Psal. 33, 5 sq.; Serm. 3 (inter Denisianos), 1 sq.; *Cyrillus Alex.*, De ador. in spiritu et veritate, 10; *Gregorius M.*, Dial. 4, 58; Homil. 37, 7 (In Evang.); *Damascenus*, De fide orth. 4,13; De imag. 2, 17; *Isidorus Hisp.*, Etym. 6, 19; *Bcda*, Hom. 14.

Quoad alterum punctum conferantur *Gregorius Naz.*, Carm. 1, 2. 34. 237; *Chrysostonius*, In Hebr., horn. 17, 2 sq.; *Gaudentius Brixienensis*, Serm. 2 in Exodum; *Hieronymus*, Adv. Jovin. 2, 17; *Augustinus*, Epist. 98, 9; Contra Faustum, 6, 5; *Cyrillus Alex.*, Glaphyr. in Exodum, 2; Epist. Ephesini Concilii ad Nestorium; *Faustus Reiensis*, Hom. de corpore et sanguine Domini.

Citabimus *insigniora testimonia*, quorum plura ad determinationem dicendorum in sequentibus articulis nobis inservient:

CYRILLUS HIER, (circa 313-386), Catecli. 23 (myst. 5), facto sermone de consecratione (cap. 7), sic immediate (cap. 8 sq.) prosequitur: "Postquam vero perfectum est *spirituale sacrificium* [n/v πνευματικὴν Θυσίαν], incruentus cultus, super illam *propitiationis hostiam* [m τῆ Θυσία ἰκάει τοῦ ἰλασχοῦ] obsecramus Deum *pro communi ecclesiarum pace*, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, pro militibus et sociis, pro iis qui infirmitatibus laborant, pro his qui afflictionibus premuntur, et *universim pro omnibus qui opis indigent* precamur nos omnes et hanc *victimam offerimus* [προσφέρομεν τὴν Θυσίαν]" (M.G. 33, 1116).

GREGORIUS NAZ. (circa 329-389), Orat. 2, 95: "Sciens ego, neminem dignum esse magno Deo et sacrificio et sacerdote, qui non prius *se ipsum obtulerit* Deo hostiam viventem. . . Deoque *sacrificium laudis immolaverit et spiritum contritum*, quod solum sacrificium omnium largitor postulat a nobis; quomodo possem audere *offerre ei sacrificium externum* magnorum mysteriorum antitypum, aut quomodo sacerdotis habitum et nomen subirem?" (M.G. 35, 498).

GREGORIUS NYSS. (circa 335-394), Orat. 1 In Christi resurr.: "[Christus ante passionem] *arcano sacrificii genere*, quod ab hominibus cerni non poterat, seipsum pro nobis *hostiant offert, et victimam immolat* sacerdos simul existens, et agnus Dei, ille qui mundi peccatum tollit. Quando id praestitit? Cum corpus suum discipulis congre-

gatis edendum, et sanguinem bibendum praebuit, tunc aperte declaravit agni sacrificium jam esse perfectum. Nam victimae corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cum corpus edendum, et sanguinem bibendum discipulis exhibuit, jam arcana et non aspectabili ratione corpus erat immolatum, ut ipsius mysterium peragentis potestati collibuerat” (M.G. 46, 612).

CHRYSOSTOMUS (344-409), In ep. ad Hebr., hom. 17, 2 sq.: “ ‘Sic et Christus semel oblatus est’. A quo oblatus? A se ipso. Hic non solum eum dicit sacerdotem, sed et hostiam et sacrificium. . . Quid vero, *annon nos cotidie offerimus?* Offerimus quidem, sed *eius mortem revocamus in memoriam*, et ipsa una est, non multae? Quoniam semel fuit oblata, sicut illa fuit in sancta sanctorum. Hoc est figura illius et ipsa istius; *eundem enim semper offerimus*, non nunc aliam, cras aliam ovem, sed semper eandem. Quamobrem *unum est sacrificium* propter hanc rationem; alioquin hac ratione, quoniam multis in locis offertur, multine sunt Christi? Nequaquam, sed unus ubique Christus, qui et hic est plenus, et illic est plenus, unum corpus. Ut ergo multis in locis oblatus unum est corpus et non multa corpora, ita etiam unum est sacrificium” (M.G. 63, 131).

Idem, De prod. Judae, hom. 1, 6, cit. in p. 141.

AMBROSIUS (circa 340-397), In Psal. 38, 25, cit. in p. 744.

GAUDENTIUS BRIXIENSIS (t circa 420), Serm. 2 in Exodum: “Unus pro omnibus mortuus est; et *idem per singulas ecclesiarum domos, in mysterio panis ac vini, reficit immolatus*, vivificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus. Haec Agni caro, hic sanguis est. Panis enim qui de coelo descendit, ait: ‘Panis quem ego dabo, caro mea est pro saeculi vita’ (Joan. vi). Recte etiam vini specie sanguis ejus exprimitur, quia cum ipse in Evangelio dicit: ‘Ego sum vitis vera’ (Joan, xv), satis declarat sanguinem suum esse omne *vinum quod in figura Passionis ejus offertur*. . .

“Voluit [Christus] . . . beneficia sua permanere apud nos, voluit animas pretioso sanguine suo *sanctificari per imaginem propriae Passionis*; et ideo discipulis fidelibus mandat, quos primos Ecclesiae suae constituit sacerdotes, ut indesinenter ista vitae aeternae mysteria exercerent, quae necesse est a cunctis sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari, usquequo iterum Christus de coelis adveniat, quo et ipsi sacerdotes, et omnes pariter fidelium populi, exemplar Passionis Christi ante oculos habentes quotidie, et gerentes in manibus, ore etiam sumentes ac pectore, redemptionis nostrae indelebilem memoriam teneamus. . .

“Quod autem Sacramenta corporis sui, et sanguinis, *in specie panis et vini oflcrnda* constituit . . . ratio est . . . ut immaculatus Dei Agnus hostiam mundam mundato populo traderet celebrandam, sine ustione, sine sanguine, sine brodio, id est jure carnum, et quae omnibus ad offerendum prompta esset ac facilis” (M.L. 20, 855. 860).

AUGUSTINUS (354-430), *De civ. Dei*, 10, 20: “Unde verus ille Mediator, in quantum formam servi accipiens mediator effectus est Dei et hominum homo Christus Jesus, cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo et unus Deus est, tamen in forma servi sacrificium maluit esse quam sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturae. Per hoc et sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio. *Cujus rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiae sacrificium*: quae cum ipsius capitis corpus sit, se ipsam per ipsum discit offerre. Hujus veri sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cum hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur. Huic summo veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt” (M.L. 41, 298).

Ibid., 17, 20, 2: “Quid credibilis dicere intelligitur, quam quod ad participationem mensae hujus pertinet, quam sacerdos ipse Mediator Testamenti novi exhibet secundum ordinem Melchisedech de corpore et sanguine suo? *Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris Testamenti*, quae immolabantur in umbra futuri: propter quod etiam vocem illam in Psalmo tricesimo et nono ejusdem Mediatoris per prophetiam loquentis agnoscimus: ‘Sacrificium et oblationem noluit, corpus autem perfecisti mihi’ (Psal. xxxix, 7). Quia pro illis omnibus sacrificiis et oblationibus *corpus ejus ofiatur*, et participantibus ministratur” (M.L. 41, 556; cf. *ibid.*, 17, 17).

In Psal. 33, 5 sq.: “Erat autem, ut nostis, sacrificium Judaeorum antea secundum ordinem Aaron in victimis pecorum, et hoc in mysterio: *nondum erat sacrificium corporis et sanguinis Domini, quod fideles norunt*, et qui Evangelium legerunt, quod sacrificium nunc diffusum est toto orbe terrarum. Proponite ergo vobis ante oculos duo sacrificia, et illud secundum ordinem Aaron, et hoc secundum ordinem Melchisedech. . . Videte quid protulit [Melchisedech]. . . Et dictum est postea: ‘Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec’ . . . De quo alio dicit, ‘Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec’, nisi de illo *cujus nostis sacrificium?* Sublatum est ergo sacrificium Aaron, et *coepit esse sacrificium secundum ordinem Melchisedec*” (M.L. 36, 302 sq.).

Serin. 3 {inter Dcnisianosj, 1 sq.: “Percipitis, quid sibi velit tam

magnum, divinumque Sacramentum, tam clarum et nobile medicamentum, tam mundum et facile *sacrificium*, quod nec in una civitate terrena Jerusalem, nec in tabernaculo illo quod per Moysen, nec in templo illo, quod per Salomonem fabricatum est, quae fuerunt umbrae futurorum, sed a solis ortu usque ad occasum, sicut a Prophetis praedictum est, *immolatur*, et secundum Novi Testamenti gratiam Deo *victima laudis offertur*. Non adhuc de gregibus pecorum hostia cruenta conquiritur, non nunc ovis aut hircus divinis altaribus admovetur, sed *sacrificium jam nostri temporis Corpus et Sanguis est ipsius Sacerdotis*. De illo quippe tanto ante praedictum est in Psalmis: ‘Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech’ (1 Psal. cix, 4). Quod autem panem et vinum Melchisedech sacerdos Dei excelsi protulerit, quando patrem nostrum Abraham benedixit, in libro Genesis legimus et tenemus (Gen. xiv, 18).

“Christus ergo Dominus noster, qui obtulit patiando pro nobis, quod nascendo accepit ex nobis, princeps Sacerdotum factus in aeternum *sacrificandi dedit ordinem, quem videtis, Corporis utique et Sanguinis sui*. Nam percussum lancea Corpus ejus aquam et sanguinem emisit, quo peccata nostra dimisit. Hujus gratiae memores, vestram ipsorum salutem operantes, quoniam Deus est, qui operatur in vobis, cum timore et tremore ad participationem hujus altaris accedite. Hoc agnoscite in pane, quod pependit in cruce; hoc in calice, quod manavit ex latere” (M.L. 46, 827).

Epist. 98, Ad Bonifacium, 9: “Nempe saepe ita loquimur, ut Pascha propinquante dicamus crastinam vel perendinam Domini passionem, cum illo ante tam multos annos passus sit, nec omnino nisi semel illa passio facta sit. Nempe ipso die dominico dicimus, Hodie Dominus resurrexit; cum ex quo resurrexit tot anni transierint. Cur nemo tam ineptus est, ut nos ita loquentes arguat esse mentitos, nisi quia istos dies secundum illorum, quibus haec gesta sunt, similitudinem nuncupamus, ut dicatur ipse dies qui non est ipse, sed revolutione temporis similis ejus, et dicatur illo die fieri, propter sacramenti celebrationem, quod non illo die, sed jam olim factum est?

“*Nonne semel immolatus est Christus in seipso, et tamen in sacramento non solum per omnes Paschae solemnitates, sed omni die populis immolatur*, nec utique mentitur qui interrogatus eum responderit immolari? Si enim sacramenta quamdam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum fidei fides est” (M.L. 33, 363 sq.).

CYRILLUS ALEX. (f 444), Epistola Ephesini Concilii ad Nestorium: “Necessario igitur et hoc adjicimus. Annuntiantes enim sicut secundum carnem mortem unigeniti Filii Dei, id est, Jesu Christi et resurrectionem ejus, et in coelis ascensionem pariter confitentes, *incruentam celebramus in ecclesiis sacrificii servitatem*. Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus et sanctificamur participes sancti corporis et pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum Redemptoris effecti, non ut communem carnem percipientes; quod absit, nec ut viri sanctificati et Verbo conjuncti secundum dignitatis unitatem aut sicut divinam possidentes habitationem, sed vere vivificatricem et ipsius Verbi propriam factam” (M.L. 130, 297).

FAUSTUS REIENSIS (t circa 490), Homilia de corpore et sanguine Domini: “Et quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis nostris, et sideribus illaturus, necessarium erat, ut nobis in hac die sacramentum corporis et sanguinis sui consecraret, ut coleretur vel jugiter, jure per mysterium quod semel offerebatur in pretium; ut quia quotidiana et indefessa currebat pro hominum salute redemptio, *perpetua esset etiam redemptionis oblatio, et perennis illa victima, viveret in memoria, et praesens semper esset in gratia. Vera unica et perfecta hostia, fide existimanda, non specie*: nec exterioris censenda visu hominis, sed interioris affectu. Unde merito coelestis confirmat auctoritas, quia ‘Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus’ (Joan, vi, 56)” (Inter opera S. Hieronymi, M.L. 30, 272).

MARTYRIUM S. ANDREAE (saec. 5): “Omnipotenti Deo, qui unus et verus est, ego omni die sacrifico, non turis fumum nec tauro-rum mugientium carnes nec hyrcorum sanguinem, *sed immaculatum agnum cotidie in altare crucis sacrifico*, cujus carnes posteaquam omnis populus credentium manducaverit et ejus sanguinem biberit, agnus qui sacrificatus est integer perseverat et vivus, et *cum vere sacrificatus sit* et vere carnes ejus manducatae sint a populo et vere sanguis ejus sit bibitus, tamen ut dixi integer permanet et immaculatus et vivus.”⁷³

GREGORIUS M. (540-604), Dial. 4, 58: “Debemus itaque praesens saeculum vel quia jam conspicimus defluxisse, tota mente contemnere, *quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidiana carnis ejus et sanguinis hostias immolare*. Haec namque singulariter victima ab aeterno interitu animam salvat, quae illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis jam non moritur,

⁷³*nLipsius-Bonnrt*, Acta apostolorum apocrypha, 2 part., t. 1, Passio Andreac, I.ipsiae, 1898, p. 13 sq.

et mors ei ultra non dominabitur (Rom. vi, 9), tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, *pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur*. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis *hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur*. Quis enim fidelium habere dubium possit, *in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem coelos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum chorus adesse, summis ima sociari, terrena coelestibus jungi, unumque ex visibilibus atque invisibilibus fieri?*" (M.L. 77, 425-428).

Hom. in Evang., l. 2, hom. 37, 7: "Mittamus ad hunc [Deum] legationem lacrymas nostras, mittamus misericordiae opera, *mactemus in ara ejus hostias placationis*. . . Mittamus ad hunc, ut diximus, legationem nostram, flendo, tribuendo, *sacras hostias ofierendo*. Singulariter namque ad absolutionem nostram oblata cum lacrymis et benignitate mentis *sacri altaris hostia* suffragatur, quia is qui in se resurgens a mortuis jam non moritur, *adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur*. Nam quoties ei hostiam suae passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus" (M.L. 76, 1278 sq.).

ISIDORUS HISP. († 636), Etym. 6, 19, cit. in art. praec. (p. 787).

BEDA († 735), Hom. 14: "'Qui dilexit nos . . . et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo' (Apoc. 1). Non solum autem lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, quando sanguinem suum dedit in cruce pro nobis, vel quando unusquisque nostrum mysterio sacrosanctae passionis illius baptismo aquae ablutus est, *verum etiam quotidie tollit peccata mundi*. Lavat itaque nos a peccatis nostris quotidie in sanguine suo, *cum ejusdem beatae passionis ad altare memoria replicatur*, cum panis et vini creatura in sacramentum carnis et sanguinis ejus ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur: sicque corpus et sanguis illius non infidelium manibus ad perniciem ipsorum funditur et occiditur, sed fidelium ore suam sumitur in salutem" (M.L. 94, 75).

LITURGIAE, tam *Orientales* quam *Occidentales*, utut inter se ritibus et verbis discrepantes, omnes in hoc conveniunt ut sacrificalem Missae rationem exhibeant, nec minus clare quam ipse *Canon Missae romanae*, quem Protestantes ea ratione reiecerunt "quia, ut ait *Lutherus*, in eo omnia fere sonant ac olent oblationes".⁷⁴

⁷⁴ Apud *Bellarminum*, De Euch., S, SI.

*Generale schema canonis omnium liturgiarum ad hoc reducitur:*⁷⁵

Missa vocatur *sacrificium*, holocaustum, oblatio, immolatio. *Victima* saepe dicitur Agnus. Christus dicitur institutor, *sacerdos et victima*. Confertur hoc sacrificium cum *sacrificiis A.L.* Affirmatur praesentia Angelorum. Fit distinctio inter *immolationem victimae et eius participationem* seu communionem. Affirmatur *effectus propitiationis* pro vivis et defunctis.

Sufficiat citare *duo antiquiora documenta*TM scilicet *Constitutiones Apostolorum* (circa a. 400; non uno tamen tempore sed paulatim exaratae), quarum lib. 8, cap. 5 est, de iudicio peritorum, antiquissimum documentum (quoad eius essentiam ex primo saeculo descendens) ac fons et origo ceterarum liturgiarum, et *Anaphora* seu oratio oblationis *Serapionis* (Ex Sacramentario Serapionis [episc. Thmuensis in inferiori Aegypto, circa a. 339-360]), quae de facto est antiquissimus Canon Missae hucusque notus, quaeque exhibet fidem ecclesiae aegyptiacae (aliae autem formulae liturgicae antiquiores descendunt ex ecclesia syriaca).

CONSTITUTIONES APOSTOLORUM, l. 8, c. 12-14: "Poscimus te, ut super haec dona in conspectu tuo proposita placate respicias . . . atque *supra hoc sacrificium* mittas sanctum tuum Spiritum . . . ut exhibeat panem hunc *corpus Christi tui, et calicem hunc sanguinem Christi tui*, quo participes illius, ad pietatem confirmentur, remissionem peccatorum consequantur. . . Episcopus . . . tribuat *oblatam* dicens: Corpus Christi; et qui recipit, respondeat, Arnen; diaconus vero teneat calicem, ac tradendo dicat: Sanguis Christi, calix vitae, et qui bibit, Arnen respondeat. . . Cumque universi et universae communicaverint, accipientes diaconi, quae supersunt, inferant in pastophoria. Et diaconus, quando qui psallit fecerit finem, pronuntiet: 'Percepto pretioso corpore et pretioso sanguine Christi, agamus gratias' " (M.G. 1, 1104. 1109; cf. supra in p. 128 sq.).

ANAPHORA SERAPIONIS, 3 sq.: "Imple etiam *hoc sacrificium* virtute tua et communicatione tua. Tibi enim *obtulimus hoc sacrificium vivum, oblationem incruentam*.

"*Tibi obtulimus hunc panem, similitudinem corporis Unigeniti*. Hic panis sancti corporis est similitudo, quoniam 'Dominus Iesus Christus, in qua nocte tradebatur, accepit panem ac fregit deditque discipulis suis dicens: Accipite et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur' in remissionem peccatorum. Propterea et nos 'similitu-

⁷⁵ Cf. Franzelin, De Euch., thes. 28,1.

TM Pesch, De Euch., prop. 68, refert excerpta praecipuarum liturgiarum utriusque ecclesiae.

dinem mortis' celebrantes panem obtulimus, et deprecamur: *per hoc sacrificium reconciliare nobis omnibus et propitiare*, 'Deus veritatis'. Et sicut hic panis dispersus erat supra montes et collectus factus est in unum, ita et Ecclesiam tuam sanctam collige ex omni gente et omni terra et omni urbe et vico et domo et redde unam vivam catholicam Ecclesiam.

"*Obtulimus etiam calicem, similitudinem sanguinis*, quoniam 'Dominus Iesus Christus accepit calicem, postquam cenavit, et dixit' discipulis suis: 'Accipite, bibite, hoc est novum testamentum, quod est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum'. Propterea obtulimus etiam nos calicem similitudinem sanguinis adhibentes.

"Adveniat, 'Deus veritatis', sanctum tuum Verbum super hunc panem, ut panis fiat corpus Verbi, et super hunc calicem, ut calix fiat sanguis Veritatis. Et fac, ut omnes communicantes remedium vitae accipiant ad curandum omnem morbum et ad confortandum omnem profectum et virtutem non in condemnationem, 'Deus veritatis', neque in contumeliam et opprobrium" (Kirch, *Enchir. hist, eccl.*, 478 sq.).

Confirmatur argumentum Traditionis ex plenissimo consensu ecclesiae schismaticos orientalis, in qua nunquam dubitatum est de vera et propria ratione sacrificii in Missa oblatai.

Ad rem *Jugie*: "Totam hanc doctrinam [de sacrificio Missae] ab antiquis Patribus traditam intemeratam servaverunt Byzantini posteriores retinentque Graeco-Russi moderni, quin illam novis speculationibus notabiliter ditarent vel magnopere ampliarint. Ritus tamen liturgicos doctis commentationibus quidam explanarunt, ut ostenderent sacram liturgiam esse quandam totius *oeconomiae* seu mysterii salutis recapitulationem et quasi repraesentationem. Praeterea, saeculo xii, duae de missae sacrificio controversiae Byzantii subortae sunt," ex quibus tum sacrificii veritas, tum modus immolationis aliquatenus illustrantur".⁷⁸

Probatur 3. *EX RATIONE*.

1. In Missa nihil desideratur ex his quae in art. praec. diximus requiri ad rationem sacrificii. Habetur enim oblatio rei sensibilis, seu corporis et sanguinis Christi sub sensibilibus speciebus panis et vini. Non deest immolatio seu immutatio realis, quamvis mystica (cuius indoles determinabitur infra in art. 47), ipsius rei oblatae. Utraque

"Scilicet: an Christus obtulerit sacrificium sibi metipso vel aliis personis SS. Trinitatis, et an corpus Christi durante sacrificio ponatur in statu passibilitatis.

" *Theol. Orientalium*, t. 3, Parisiis, 1930, p. 313.

fit a legitimo ministro seu a sacerdotibus a Christo deputatis illis verbis "Hoc facite in meam commemorationem". Maximus Dei honor consequitur ex dignitate rei quae offertur aptissimeque universale Dei dominium significatur.

2. Cum sacrificium sit supremus actus religionis seu supremus modus reverendi Deum eiusque dominium agnoscendi, sacrificium est de essentia ipsius religionis ita quod, ut docet S. *Thomas* (2-2, q. 85. a. 1, ad 1; a. 2; C. Gent. 3, 120), ipsum sit de iure naturae et, ut ait *Augustinus*, "in nullum . . . nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur" (*Contra Faustum*, 19, 11, M.L. 42,355).

Necesse igitur fuit ut Christus, qui non venit ordinem naturae nec legem mosaicam destruere sed perficere et complere, novam condendo religionem novo sacrificio eam dotaret, eaque fortiori ratione quo perfectior haec religio esse ostenditur.

Confirmatum ex *comparatione cum antiquo testamento*, quod, licet imperfectius, sua sacrificia possidebat quae praeterea erant figurae novae legis, tum *ex comparatione inter sacrificium et sacramenta*, si enim in nova lege dantur sacramenta non est ratio cur non sit et sacrificium, cum praeterea sacramenta (donum Dei ad homines) et sacrificium (oblatio hominis ad Deum) sese mutuo compleant, ut duo elementa eiusdem religionis, et sacrificium magis quam sacramentum participet rationem religionis, quae essentialiter consistit in officio hominis ad Deum.

Hae rationes sic proponuntur in *Schemate examini Patrum Tridcentinorum proposito*:

"Necessarium fuisse dicendum est. salutare hoc Eucharistiae sacrificium nobis a Domino relinqui, ut eo ipso praeter reliqua sacramenta meritum passionis eius non uni aut alteri tantum homini, sed universae etiam Ecclesiae prodesset, atque ut in ipsa perfectissima Christi lege visibile externumque sacrificium inveniretur, quo fideles Dei opem et auxilium implorare atque adeo impetrare possent. Nam si ante Christi adventum per ea sacrificia, quae futuram redemptionem praesignabant, patrum, qui per fidem in ipsum Redemptorem ferebantur, spes excitabatur, qua quidem erecti utilitatem passionis eius in se traducere potuerunt: multo quidem magis decuit, hoc Missae sacrificium, quod non offerendum, sed oblatum in cruce Dominum significat atque comprehendit beneficium mortis eius, christianis omnibus conferri."7]

:7 Apud *Tltein*, *Acta Cone. Trid.*, t. 2, p. 74.

Exinde apparet *unitas et harmonia Providentiae Divinae*, copulantis utrumque salutis testamentum in Christo non solum per fidem et sacramenta, sed etiam ac praesertim per sacrificium. Passio quippe Christi, peracta in cruce in sacramento humanitatis eius et oblata in sacrificio pretiosissimi corporis, erat et operabatur in fide, sacramentis et sacrificiis antiquae legis ad modum finis et tanquam in signis futuri, in fide vero, sacramentis et sacrificio novae legis est et operatur ad modum efficientis et praesentis realitatis. Sic tria sacrificia ad unam Christi oblationem, supremam Dei laudem et hostiam humanae salutis, quodammodo reducuntur, quae in sacrificio legali figuratur, in ara crucis peragitur, in sacrificio Missae mystice renovatur (cf. q. 75, a. 1).

OBICIES per *cultum spirituales N.T.* evacuari cultum figuralem et caeremonialem A.T.

Rcsp. *Negatur assertum*, quia cultus N.T. nondum refertur ad rem perfecte praesentem, quemadmodum cultus beatorum in coelo.

Ad rem 5. *Thomas*, 1-2, q. 103, a. 3: “Omnia praecepta caeremonialia veteris legis ad cultum Dei sunt ordinata . . .; exterior autem cultus proportionari debet interiori cultui, qui consistit in fide, spe et charitate. Unde secundum diversitatem interioris cultus debuit diversificari exterior cultus.

“Potest autem *triplex status* distingui interioris cultus: *unus* quidem secundum quem habetur fides et spes de bonis caelestibus et de his per quae in caelestia introducimur; de utrisque quidem sicut de quibusdam futuris; et talis fuit status fidei et spei in veteri lege. *Alius* autem est status interioris cultus, in quo habetur fides et spes de caelestibus bonis sicut de quibusdam futuris, sed de his per quae introducimur in caelestia, sicut de praesentibus, vel praeteritis; et iste est status novae legis. *Tertius* autem status est in quo utraque habentur ut praesentia, et nihil creditur ut absens, neque speratur ut futurum; et iste est status beatorum. In illo ergo statu beatorum nihil erit figurale ad divinum cultum pertinens, sed solum ‘gratiarum actio et vox laudis’; et ideo dicitur Apocal. xxi, 22, de civitate beatorum: ‘Templum non vidi in ea; Dominus enim Deus omnipotens templum illius est et Agnus’.

“Pari igitur ratione caeremoniae primi status, per quas figurabatur et secundus, et tertius, veniente secundo statu, cessare debuerunt, et aliae caeremoniae induci, quae convenirent statui cultus divini pro tempore illo in quo bona caelestia sunt futura; beneficia autem Dei, per quae ad caelestia introducimur, sunt praesentia.”

OBICIES praecipue cum Protestantibus sacrificium Crucis evacuare

necessitatem imo convenientiam alterius sacrificii in nova lege, cum in cruce completa sit redemptio et satisfactio pro omnibus hominibus eisque bona omnia impetrata et acquisita sint, juxta illud ad *Hebr. 10, 14* "Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos".

RESPONDETUR.

1. Finis praecipuus et essentialis sacrificii non est propitiatio (satisfactio et impetratio), sed laudatio seu glorificatio Dei; propitiatio vero est finis secundarius et consequens. Unde etiam si per sacrificium crucis omni modo extingueretur debitum peccati, ac inde evacuetur necessitas alterius sacrificii in ratione propitiatorii, adhuc maneret necessitas sacrificii qua talis in sua essentiali ratione latreutica. Unde inepte confundunt Protestantes rationem sacrificii cum ratione propitiationis. Ceterum, ut occurratur instantiae adversariorum, glorificatio sacrificialis debet Deo reddi perpetuo ac per ritum publicum et solemnem. sacrificium autem crucis dici nequit ritus publicus qui in Ecclesia perpetuetur.

2. Ipsa satisfactio et impetratio in cruce consummata nequaquam excludit media applicationis ipsius ad singulos homines, qualia sunt sacramenta et sacrificium, et a fortiori non excludit tale sacrificium quod sit veluti repraesentatio, seu actualis praesentatio, ipsius oblationis crucis.

Unde sacrificium Missae "minime derogat . . . [sacrificii crucis] perfectioni; sed magis manifestat illam fuisse universalissimam: quam proinde oportuit determinari per alias causas magis particulares, ut sunt sacramenta, et sacrificia. Sicut non fuit contra perfectionem, et sufficientiam sacrificii crucis, quod in veteri lege fuerint vera, et propria sacrificia: nec est contra perfectionem redemptionis per Christum, quod applicetur nobis per usum sacramentorum: nec denique est contra perfectionem summam Dei in agendo, quod secum admittat concursum causarum secundarum tam universalium, quam particularium."

3. Si sacrificium crucis excluderet sacrificium Missae, excluderet similiter tum *sacrificia antiquae legis*, nam etiam in illa lege omnis satisfactio et impetratio proveniebat ex futura passione Christi, tum *sacramenta N.L.*, tum *totus cultus Ecclesiae*, necnon *satisfactiones et orationes fidelium*, nam Christus, in terris vivens et maxime in cruce moriens, perfectissimum cultum Deo exhibuit.

4. Directus scopus Apostoli in *ep. ad Hebraeos* non est comparare cultum Ecclesiae cum cultu Mosaico aut cum sacrificio crucis, sed sac-

rificia legalia cum sacrificio crucis. Opponit autem Apostolus efficaciam unius sacrificii crucis inefficaciae multiplicatorum sacrificiorum legalium, haneque inefficaciam deducit *non jormaliter ex ipsa istorum multiplicatione* sed ex ratione quare illa repeti oportebat, quia scilicet post oblationem uniuscuiusque ex illis sacrificiis adhuc manebat “conscientia peccati”, cum nondum esset exhibita satisfactio pro peccatis quae non “sanguine taurorum et hircorum auferri possunt” sed tantum “per oblationem corporis Jesu Christi” (10, 1-10).

Cum ergo immediate (10, 14. 18) subiungit: “Una . . . oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. . . Ubi autem . . . [peccatorum] remissio, jam non est oblatio pro peccato”, non intendit Apostolus excludere repetitionem cuiuslibet sacrificii, sed illius tantum quod supponeret remissionem vel nondum esse factam, sicut supponebant sacrificia antiqua, vel saltem nondum esse completam,⁸¹ quod nullatenus asserimus de sacrificio Missae.

Placet hunc articulum absolvere verbis *duorum insignium doctorum protestantium*, in quibus supra exposita argumenta catholica de existentia sacrificii Missae summam et apte proponuntur.

Lcibnitius (1646-1716) lutheranus, Syst. theol. 53: “Conveniens erat, religionem Christianam sine sacrificio non esse, et oblationem nostram in Veteris Testamenti sacrificiis tantum praefiguratam, quemadmodum omnium dignissima et perfectissima est, ita et jugem ac perpetuam esse, cum et summi sacerdotis nostri officium sacerdotale perpetuum esse in Psalmo insinuetur.”

Joannes Ernestus Grabe (1666-1711), ex lutherano anglicanus factus, in sua Adnotatione ad Irenaeum, 4, 17: “Certum est, 5. *Ircnacum* aliosque Patres, quorum scripta habemus, tam eos, qui viderunt Apostolos quam eos, qui immediate ipsis successerunt, spectasse eucharistiam velut sacrificium N.L., et obtulisse Deo Patri super altare panem et vinum . . . et post consecrationem velut corpus et sanguinem mysticum Jesu Christi, ad sic repraesentandum sacrificium cruentum, quod ipse fecit corporis et sanguinis sui in cnice et ad obtinendos fructus mortis suae pro iis omnibus, pro quibus oblatum est. Ceterum haec doctrina non est doctrina unius ecclesiae vel peculiaris doctoris, sed erat doctrina et praxis Ecclesiae universalis; Ecclesia eam acceperat ab Apostolis, Apostoli a Christo. Est id, quod *s. Irenaeus* nos docet, quod 5. *Ignatius* et 5. *Justinus* nos docuerunt ante ipsum, quod *Tertullianus* et 5. *Cyprianus* nos docuerunt post. Est id, quod clare continetur in *ep. s. Clementis ad corinth.* . . . Utinam, quoniam plures doctores protestantes cognoverunt circa hoc punctum veram doctrinam Ecclesiae

⁸¹ Cf. *Franzelin*, thes. 27.

apostolicae et errorem Lutheri et Calvinii, omnes convenire possent ad resolutionem reddendi majestati divinae hunc supremum honorem, qui ei debetur et ad hoc restituerent usum sacrarum liturgiarum: quas male rejecerunt, in quibus modus patet, quo Deo offerri debet hoc sanctum sacrificium.”

ART. 45. Utrum Missa Sit Sacrificium Essentialiter Relativum, Seu Repraesentativum Sacrificii Crucis (cf. textus S. Thomae in Conci.).

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de *ESSENTIA SACRIFICII MISSAE*.

Ad cuius negotii caput omnino ponenda est praesens quaestio, tamquam fundamentum ulterioris inquisitionis et petra comparationis ex qua judicandae sunt variae ac in dies multiplicatae sententiae theologorum. Quae ceterum mira sententiarum varietas apud *theologos post-tridentinos*, eorumque discessus a simplicitate doctrinae *antiquorum*, praesertim S. Thomae, non aliunde videtur provenire quam ex minus attenta consideratione huius fundamentalis veritatis, ab omnibus admissa tanquam doctrina traditionalis et conciliaris.

Agentes de sacrificio in genere, theologii moderni solent distinguere duplicem sacrificii significationem: alteram essentialem et inseparabilem, quam vocant *theologicam et moralem* (significationem divini domini et nostrae agnitionis eiusdem), alteram adventitiam et propriam sacrificiis praesentis oeconomiae, quam vocant *typicam vel mysticam* (significationem mysterii sacrificii crucis).⁸²

Quidquid sit de valore scientifico huius distinctionis a *Suaresio* in-
vectae (De Euch., disp. 73, sect. 2), quaestio hic non est an in sacrificio Missae habeatur *quomodolibet* haec significatio mystica, nam in praesenti oeconomia omne sacrificium tum antiquae⁸³ tum novae legis dicit necessariam relationem ad sacrificium crucis ex quo omnium hominum salus pependit, et signanter sacrificium eucharisticum explicita Christi intentione in passionis recordationem institutum est, sed quaeritur *an talis significatio sacrificio eucharistico insit essentialiter*, ita ut ipsa eius indoles sacrificialis imbibat rationem relationis seu strictius repraesentationis sacrificii crucis.

In qua quidem quaestione, sic generaliter proposita, nullus est necesse potest dissensus inter theologos.

⁸²Cf. *Franielin*, De Euch., thes. 21, n. 2; thes. 23.

⁸³De typicitate antiquorum sacrificiorum confer *Franzrlin*, De Euch., thes. 23.

Ad reni scribit *De la Taille*: “Celebrationi nostrae eucharisticae inesse et rationem sacrificii et passionis repraesentationem; immo hinc pendere sacrificii indolem, quod habeatur imago passionis (seu immolatio symbolica) uno ore Patres proclamavere. Quorum sententia tam aperta est tamque nota iis qui vel extremo digito paginas illorum volutaverunt, ut si quis testimoniis insisteret congerendis, is non nisi actum agere videretur.”⁸⁴

Attamen ratio hunc articulum instituendi, ac testimonia Traditionis hic congerendi, capitalis est, ut supra diximus, quia ex iisdem testimoniis luculenter apparet quod infra (art. 47) statuatur, repraesentationem nempe sacrificii crucis non tantum essentialiter *inesse* sacrificio Missae sed *esse* ipsam eius essentiam.

CONCLUSIO affirmativa.

Probatur 1. *EX DOCUMENTIS ECCLESIAE.*

Concilium (sess. 22, cit. in p. 844-847) docet sacrificium Missae non esse tantum “*nudam commemorationem* sacrificii in cruce peracti” (can. 3), nec esse institutum tantum ad hoc ut sacrificii crucis “*memoria* in fine usque saeculi permaneret”, sed ut “[sacrificium] cruentum illud semel in cruce peragendum *repraesentaretur*” (cap. 1), quatenus “sub signis visibilibus” (cap. 1) “Christus . . . incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruenta obtulit” (cap. 2).

Catechismus Cone. Trid., p. 2, c. 4, q. 76: “*Unum . . . et idem sacrificium* esse fatemur, et haberi debet, quod in Missa peragitur, et quod in cruce oblatum est: quemadmodum una est et eadem Hostia, Christus videlicet dominus noster, qui seipsum in ara crucis semel tantummodo cruentum immolavit. Neque enim cruenta et incruenta Hostia, duae sunt Hostiae, sed una tantum; cuius sacrificium postquam Dominus ita praecepit: ‘Hoc facite in meam commemorationem’, *in Eucharistia quotidie instauratur.*”

Leo XIII, Ep. ad episcopos Scotiae 25 jul. 1898: “Illud sacrificium [cruentum] sacrificio eucharistico *continuat*. . . Christus voluit ut sacrificium semel in Cruce consummatum, *perpetuum et perenne fieret*. Hujus autem ratio perpetuitatis inest in sanctissima Eucharistia, quae *non solum similitudinem inanem memoriamve tantum rei offert, sed veritatem ipsam*, quanquam specie dissimili, proptereaque hujus sacrificii efficientia, sive ad impetrandum sive ad expiandum, ex morte Christi tota fuit”.

⁸⁴ “Mysterium Fidei. Parisiis, 1931, p. 237.

Probatur 2. *EX SCRIPTURA.*

Christus, instituens sacrificium Missae, dixit: "*Hoc jacite in meam commemorationem*" (Luc. 22, 19; cf. supra, p. 873), quae verba ad commemorationem passionis referuntur, explicante S. Paulo, 1 Cor. 11, 26: "Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, *mortem. Domini annuntiabitis, donec veniat*".

Praeterea ipsa *verba consecrationis*, quatenus, ut probatum est in art 44 (p. 873 sqq.), continent expressiones sacrificales de praesenti (Corpus quod datur, Sanguis qui effunditur), implicant relationem ad sacrificium crucis, nam non nisi in cruce realiter corpus in mortem datum est et sanguis effusus, adeoque corporis traditio et sanguinis effusio quae de Eucharistia praedicatur nequit esse nisi quaedam symbolica repraesentatio sacrificii crucis.

Probatur 3. *EX TRADITIONE.*

Relativitas sacrificii Missae multifarie exprimitur:

Missa est *memoriale* passionis (Augustinus, Isidorus, Liturgiae). *Augustinus*: "Sacramentum memoriae".

Missa est passionis *symbolum* (Chrysostomus), *sacramentum* (Cyprianus, Augustinus), *similitudo* (Augustinus, Anaphora Serapionis), *figura et imago* (Gaudentius), *imitatio* (Gregorius M.), *repraesentatio* (Eusebius Caes.).

In Missa *ipsa passio offertur* (Cyprianus) seu mors Christi offertur (Ambrosius), mors Domini celebratur (Maximus Taurinensis), hostia passionis offertur (Gregorius M.), redemptionis mysterium offertur (Dominica 9 post Pent.; festum SS. Redemptoris).

Missa *est veluti ipsa passio*, nam in ea Christus jacet mactatus (Chrysostomus), offertur quasi recipiens passionem (Ambrosius), iterum patitur (Gregorius M.).

Missa inde est veluti *idem sacrificium cum passione*, ita ut ipsa sit potius commemoratio sacrificii (Chrysostomus); in Missa jugiter fit quod semel est oblatum in cruce (Faustus Reiensis).

Cyprianus, Epist. 63 (cit. in p. 903 sq.), ait quod sacrificium nequaquam celebratur "nisi oblatio et sacrificium nostrum *responderit passioni*" (n. 9), imo "*passio est. . . Domini sacrificium quod offerimus*" (n. 17), adeoque Eucharistia est "ipsum Dominicae passionis et nostrae redemptionis sacramentum" (n. 14).

Eusebius Caes., Demon, evang. 5, 3: "Sacerdotes . . . spirituale . . . munus obeuntes, *vino ac pane*, et corporis illius et salutaris sanguinis mysteria *repraesentant*" (M.G. 22, 368).

Chrysostomus, In Hebr., hom. 17, 2 sq. (cit. in p. 906), ait oblationem nostram consistere non in renovatione mortis Christi sed in eius revocatione, ex quo fit ut nostrum sacrificium sit unum cum sacrificio crucis: “Offerimus quidem; sed eius mortem revocamus in memoriam. . . . Quamobrem *unum est sacrificium. . . Non aliud sacrificium . . . sed idem semper jacimus; potius autem commemorationem jacimus sacrificii.*”

In Matth., hom. 82, 2, ait: “Si enim mortuus Jesus non esset, cujus *symbola* forent ea quae [in Missa] peraguntur?” (M.G. 57, 739).

De prodicione Judae, hom. 2, 5: “Ad hostiam (*θυοίαν*) accedis tremendam et sanctam, verere argumentum illius oblationis (*προσφορά*): *mactatus (ἱσφαγγίνο<;) jacet Christus*. Et quamobrem est mactatus (*ἱσφάγτ/*)? Qua de causa? ut pacificaret ea quae in coelo sunt et ea quae in terra; ut etiam angelis te faceret amicum” (M.G. 49, 383).

Ambrosius, De excessu fratris sui Satyri, 2, 46: “Mortem ejus [i.e. Christi] offerentes praedicamus” (M.L. 16, 1385).

De officiis min. 1, 238: “Ante agnus offerebatur, offerebatur et vitulus, nunc Christus offertur: sed offertur quasi homo, *quasi recipiens passionem*” (M.L. 16, 100 sq.).

Gaudentius Brixienensis, Serm. 2 in Exod. (cit. in p. 906), ait “vinum . . . in figura Passionis ejus offerri” et Christum “voluisse animas pretioso sanguine suo sanctificari *per imaginem propriae Passionis*”.

Augustinus, Contra Faustum 20, 18. 21: “Verum sacrificium, quod uni vero debetur Deo, quo ejus altare solus Christus implevit, in victimis pecorum imitata daemonia sibi arroganter exposcunt. . . Hebraei autem in victimis pecorum, quas offerebant Deo, . . . prophetiam celebrabant futurae victimae, quam Christus obtulit. Unde jam christiani peracti ejusdem sacrificii *memoriam celebrant, sacrosancta oblatione et participatione corporis et sanguinis Christi*. . . In Psalmis canitur: ‘Sacrificium laudis glorificabit me’. . . Hujus sacrificii caro et sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinem promittebatur; in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur; post ascensum Christi per *sacramentum memoriae* celebratur. . . [Sacrificia Hebraeorum offerebantur] vero uni Deo, ut ei offerretur similitudo promittens veritatem sacrificii, cui erat offerenda [in Missa] ipsa reddita [a Christo] veritas in passione corporis et sanguinis Christi” (M.L. 42, 382. 385. 386).

De civ. Dei, 10, 20 (cit. in p. 907), ait de sacrificio crucis: “*Cujus rei sacramentum* quotidianum esse voluit Ecclesiae sacrificium”.

Epist. 98, 9 (cit. in p. 908), ait Missam recte dici Christi immolationem ex eo quod sit similitudo verae immolationis crucis.

Maximus Taurinensis, Serm. 77: “Convenienter igitur, et quasi pro

quodam consortio, ibi martyribus sepultura decreta est, ubi *mors Domini quotidie celebratur* . . . ut qui propter mortem ejus, mortui fuerunt, sacramenti ejus mysterio quiescant. Non immerito, inquam, vehit consortio quodam illic occisi [aliter: occisis] est tumulus constitutus, ubi *occisionis dominicae membra ponuntur*; ut quos cum Christo unius passionis causa devinxerat, unius etiam loci religio copularet" (M.L. 57, 690).

Faustus Reiensis, Horn, de corp, et sang. Dom. (cit. in p. 909), ait institutionem Eucharistiae fuisse necessariam "ut coleretur vel jugiter. *juge per mysterium, quod semel offercbatur in pretium*".

Gregorius M., Hom. 37 in Evang., 7 (cit. in p. 910), ait in Missa Christum "in suo mysterio pro nobis *iterum pati*" nosque "ei hostiam suae passionis offerre".

Dial. 4, 58 (cit. ibid.), ait "hoc sacrificium . . . passionem unigeniti Filii semper *imitari*".

Isidorus Hisp., Etym. 6, 19 (cit. in p. 787), ait sacrificium eucharisticum "consecrari *in memoriam pro nobis dominicae passionis*". Quaest. in Vet. Test., In Lib. Jud. 3, 4, vocat Missam "sacrificium . . . dominicae passionis" (M.L. 83, 382).

Liturgiae.

In omnibus liturgiis exprimitur relatio sacrificii Eucharistiae ad sacrificium crucis, signanter in oratione quae sequitur consecrationem (lira/m/ais').

In *Constitutionibus Apost. 12* (cit. in p. 128 sq.) anamnesis habet: "Itaque *memores passionis ejus et mortis* . . . offerimus tibi . . . panem hunc et calicem hunc . . . et poscimus te, ut . . . supra hoc sacrificium mittas Sanctum tuum Spiritum".

In *Anaphora Serapionis*, 3 sq. (cit. in p. 911 sq.) legitur: "Propterea et nos *similitudinem mortis celebrantes* panem obtulimus, et deprecamur: per hoc sacrificium reconciliare nobis".

In *Canone Missae Romanae* anamnesis legit: "*Vndc et memores* . . . ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatae *passionis* . . . offerimus . . . hostiam puram".

Missale Romanum, Domin. 9 post Pent., Secreta: "Concede nobis, quaesumus, Domine, haec digne frequentare mysteria: quia, quoties hujus hostiae commemoratio celebratur, opus nostrae redemptionis exercetur."

Ibid., Festum Prêt. Sanguinis D.N.J.C., Secreta: "Per haec divina mysteria, ad novi, quaesumus, testamenti mediatorem Jesum accedamus: et super altaria tua, Domine virtutum, *aspersionem sanguinis* melius loquentem, quam Abel, *innovemus*."

Ibid., Festum Sac. Lanceae et Clavorum D.N.J.C. (pro aliquibus locis), Postcommunio: “Domine Jesu Christe, qui te ipsum in Cruce holocaustum immaculatum et spontaneum Deo Patri obtulisti: quaesumus; *ut ejusdem sacrificii oblatio veneranda* indulgentiam nobis obtineat, et gloriam sempiternam”.

Ibid., Festum SS. Redemptoris (pro aliquibus locis), Secreta: “Suscipe, quaesumus, Domine, *oblato redemptionis aeternae mysterium*. .

Probatur 4. *EX CONSENSU THEOLOGORUM.*

Patrum doctrina expressius traducitur in sententiis theologorum.

Verbum “*repraesentatio*” praefertur ac saepius recurrit (Durandus Troarnensis, Algerus, Petrus Venerabilis, Ratramnus, Stephani August., Lombardus, Petrus Pictaviensis, Balduinus, Halensis, S. Thomas, moderni).

Id ipsum quod in Cruce actum est *renovatur et iteratur* in mysterio et commemoratione (Paschasius, Ratramnus, Stephani August.). Juxta Rupertum “totius sacrificii [Missae] summa est passio”.

Oblatio et immolatio semel facta in cruce *alio modo vel ratione iteratur* (Algerus, Lombardus), seu “*imaginario* actu passionis et mortis fit” (Algerus), vel quatenus Christus est “non passus, sed *quasi pati repraesentatus*” (Algerus), vel “*sacramentali repraesentatione*” (Bandinus), vel “*immolatione significationis et repraesentationis*” (Balduinus), vel quatenus “*celebratur mysterialiter Christi passio*” (Albertus M.), seu quatenus corpus et sanguis Christi simul sed seorsim sub separatis signis consecrantur et offeruntur (S. Thomas).

Ratio quare Missa dicitur immolatio et sacrificium est quia in ea habetur similitudo seu repraesentatio passionis (Guitmiindus, Lombardus, Petrus Pict., S. Thomas).

Haec ratio similitudinis seu repraesentationis est *quid insitum et essentialiter* celebrationi (Guitmiindus, Florus diaconus). Unde sacrificium Missae est “*jormaliter*” ipsum signum sacrificii Crucis (Waldensis), est “*repraesentativum sacrificium*” (Gropper), est *sacrificium essentialiter relativum* (Pesch, Diekamp, Hervé, alii moderni frequenter).

Paschasius Radbertus, Expositio in Matth., l. 12, in c. 26: “*Hoc . . . habet hoc mysterium mortis Christi, in commemoratione, quod habuit caro Christi et sanguis semel in passione*” (M.L. 120, 894).

Idem, Epist. ad Frudegardum: “Ipsa responsio, quando interrogati confitemur Christum quotidie in mysterio immolari, ad celebrationem pertinet sacramenti, quod semel factum est quando immolatus est pro salute mundi in seipso. Ac per hoc quia sic credimus spiritualiter fieri,

nec istud est sine ipso quod tunc gestum est in sacramento; *nec illud reiteratur in jacto ut moriatur Christus, sed immolatur pro nobis quotidie in mysterio*, ut percipiamus in pane quod pependit in cruce, et bibamus in calice quod manavit ex Christi latere” (ibid., 1354 sq.).

Durandus Troarnensis, Lib. de corp, et sang. Christi, pars 5, n. 11: “Quis igitur neget id *similitudinem jure dici, seu figziram*, quod Unigeniti passionem, quae semel praecessit, *repraesentat?*” (M.L. 149.1392).

Guitmundus Aversanus, De corp, et sang. Christi veritate in Euch. 1: “Immolari quotidie dicitur Christus propter *simililudinem passionis*” (M.L. 149, 1434).

Idem, ibid. 2: “Quoties celebratio corporis et sanguinis Domini agitur, non equidem Christum iterum occidimus, sed mortem ejus *in ipsa et per ipsam celebrationem memoramus*. . . Si quis dicat: Celebratio Dominici corporis est dominica passio, tanquam carnaliter sentiens a nobis repellitur. Non est enim celebratio ipsa dominica passio, sed dominicae passionis jam peractae *significativa commemoratio*” (M.L. 149, 1455).

ALGERUS LEODIENSIS, De sacr. corp, et sang. Dom. 1, 16: ‘Notandum ergo quia quotidianum nostrum sacrificium idem ipsum dicit cum eo quo Christus semel oblatus est in cruce, quantum ad eandem veram hic et ibi corporis Christi substantiam; quod vero nostrum quotidianum illius semel oblatis dicit esse *exemplum, id est figuram vel formam*, non dicit ut hic vel ibi essentialiter alium Christum constituat, sed ut eundem, *in cruce semel, in altari quotidie, alio modo immolari et offerri* ostendat: ibi in veritate passionis qua pro nobis occisus est, hic *in figura et imitatione passionis ipsius*, qua Christus non iterum vere patitur, sed ipsius vere memoriae passionis quotidie nobis iteratur. . . Non ergo est in ipsius Christi veritate diversitas, sed in ipsius *immolationis actione*, quae, dum veram Christi passionem et mortem *quadam sua similitudine figurando repraesentat*, nos ad imitationem ipsius passionis invitet et accendat” (M.L. 180, 786).

Ibid.: “Non manifeste, sed invisibiliter est in sacramento quotidie, non passus, sed *quasi pati repraesentatus*” (ibid., 787).

Ibid.: “Hanc autem immolationem, non vero, sed *imaginario actu passionis et mortis fieri*, et tamen veram salutem operari, testatur Gregorius in 4o libro Dialogorum. . . Quamvis ergo non dixerit: ‘passionem Unigeniti operatur vere’, sed ‘imitatur’ imaginarie, tamen testatur illam victimam nos vere ab aeterno interitu salvare” (ibid., 788).

Petrus Venerabilis, Tract, adv. Petrobrusianos: “Neque enim ibi Christus, ut olim, dolores aut mortem patitur, cum tamen immolari dicatur. Dicitur autem immolari, cum, licet inviolabiliter, in altari

frangitur, dividitur, comeditur, cum, *his et quibusdam aliis signis*, in quantum fieri potest, mors Domini maxime *repraesentatur*" (M.L. 189, 812).

Florus diaconus, Opusc. de expos, missae, 4: "Illius ergo panis et calicis oblatio mortis Christi est commemoratio et annuntiatio: quae *non tam verbis quam mysteriis ipsis agitur*, per quae nostris mentibus mors illa pretiosa altius et fortius commendatur" (M.L. 119, 54).

Gerardus Cameracensis (cit. in p. 828 sq.) ait Christum "semel . . . passum, semel mortuum, quotidie in Ecclesia nobis pati, *quotidie nobis won*, dum . . . salutaria corporis ejus et sanguinis mysteria renovantur."

Ratramnus, De corp, et sang. Dom. 38: "Non enim quod quotidie in seipso patiatur, quod semel fecit. Exemplum autem nobis reliquit quod in mysterio Domini corporis et sanguinis quotidie credentibus *praesentatur*, ut quisquis ad illud accesserit noverit se passionibus ejus sociari debere, quarum imaginem *in sacrrs mysteriis praestolatur*. . . *Celebratur tamen haec eadem oblatio* singulis per fideles diebus, sed in mysterio, ut, *quod* Dominus Jesus Christus semel se offerens adimplevit, *hoc* in ejus passionis memoriam quotidie geratur per mysteriorum celebrationem" (M.L. 121, 143 sq.).

Rupertus Tuitiensis, In Ezech., l. 2, c. 27: "Totum quippe altaris Christi sacramentum de ligno constat vivificae crucis, quia *totius sacrificii* [quod in Euch. offertur] *summa est passio ejus* qui pro omni mundo semetipsum super lignum crucis sacrificavit" (M.L. 167, 1488).

Stephanus Augustodimensis, Tract. De sacr. altaris, 13: "*Immolatio iteratur*: non Christus occiditur, sed *ipso praesente passio ejus repraesentatur*. .. Offerimus ei [Deo] calicem salutaris sacrificii quo redempti, quo liberati, sed etiam salvati habentes beatam spem resurgendi cum animarum salute et corporum incorruptione" (M.L. 172, 1290).

PETRUS LOMBARDUS, Sent., l. 4, dist. 12, n. 7: "Post haec quaeritur si quod gerit sacerdos proprie dicatur sacrificium vel immolatio, et si Christus quotidie imoletur, vel semel tantum immolatus sit. Ad hoc breviter dici potest, illud quod offertur et consecratur a sacerdote *vocari sacrificium et oblationem, quia memoria est et repraesentatio veri sacrificii et sanctae immolationis jactae in ara crucis*. Et semel Christus mortuus in cruce est, ibique *immolatus est in semetipso*; quotidie autem *immolatur in sacramento, quia in sacramento recordatio fit illius quod jactum est semel*" (M.L. 192, 866).

Bandinus, Sent., l. 4, dist. 12: "Dicitur autem hoc sacrificium immolatio Christi. Immolatur enim Christus quotidie, non essentia sui, quia semel mortuus est, et jam non moritur, sed *sacramentali repraesentatione*" (M.L. 192, 1097).

Petrus Pictaviensis, Sent., 1. 5, c. 13: “Item quaeritur an sit vera immolatio quae quotidie fit in altari a sacerdote, et an quotidie immoletur Christus, quotidie occidatur, et ita non sufficiat una mors Christi. Ad quod dicendum quod immolatur Christus in sacramento, et illa immolatio *non ob aliud dicitur immolatio, nisi quia repraesentat veram immolationem* quae semel facta est expansis manibus in cruce. Sicut pictura repraesentat id cuius est imago, et sicut imago nomine rei quam significat dicitur, ut imago Achillis dicitur Achilles: ita immolatio illa nomine verae immolationis quae semel facta est nuncupatur” (M.L. 211, 1256).

Balduinus Cantuariensis, De sacr. altaris: “Quaeritur etiam utrum debeat concedi quod Christus quotidie immoletur. . . Immolatio haec non est occisionis, sed *significationis et repraesentationis*” (M.L. 210. 647).

Alex. Halensis, Summa, p. 3, q. 55, m. 4, a. 8, ad 2: “Sacrificium Christi ad nostram redemptionem duplex fuit, spirituale et corporale. Spirituale fuit sacrificium devotionis et amoris salutis humani generis, quod sacrificium obtulit in mente. Corporale fuit sacrificium mortis, quam sustinuit in cruce, vel *quae repraesentatur in sacramento* sub panis specie” (Venetiis, 1575, t. 3, fol. 213, col. 1).

Ibid., p. 4, q. 10, m. 7, a. 3: “Collatio gratiae majoris efficaciae vel minoris non est causa quare corpus Christi est praesentialiter in hoc sacramento, sed *repraesentatio divinae passionis cum iteratione oblationis*, qua ipse praesens corporaliter Patri offerebatur: quoniam non posset oblatio iterari, nisi praesens esset in sacramento cuius oblatio in ipso iteratur. In hoc est differentia hujus sacramenti a sacramentis quibus significabatur haec oblatio ante legem Evangelii: quia in illis offerebatur in figura; in hoc sacramento offertur ipse in se” (ibid., fol. 194, col. 1).

Albertus M., De sacr. Euch., dist. 6, tract. 1, c. 1, n. 3: “Tertia causa, quam habet in quantum est commemoratio Christi passionis, est quod in ipso *celebratur mysterialiter Christi passio*, quae semper debet esse nobis prae oculis” (Miscellanea operum, Lugduni, 1651, t. 21, p. 93).

In 4 Sent., dist. 13, a. 23: “Ulterius quaeritur: Quare dicatur immolatio vel sacrificium? Ad hoc dicendum quod Christus omni die verissime immolatur, cum sacrificium offertur Deo. Immolatio enim dicit actum oblationis ex parte rei oblatae; et sacrificium dicit eundem actum ex parte effectus. Unde, cum ex parte rei oblatae semper maneat oblatio pro nobis oblata et offerenda, semper immolamus et semper sacrificamus. Non est autem ita de crucifixione: haec enim dicit non actum rei oblatae, sed potius actum iniquum Judaeorum, vel passionem

prout est ab eis illata: sic autem non fuit iteranda; et ideo non est simile. . . Immolatio nostra non tantum est repraesentatio [i.e. nudum signum], sed immolatio vera, id est, rei immolatae oblatio per manus sacerdotum: unde duo dicit, scilicet rem occisam, et oblationem: quia immolatio proprie est oblatio occisi ad cultum Dei; et quoad oblationem, non est repraesentatio tantum, sed verus actus offerendi. Sic autem non est de occisione et crucifixione” (ibid., t. 16, p. 209).

S. THOMAS.

3 p., q. 73, a. 4: “Hoc sacramentum habet . . . *significationem* . . . respectu praeteriti, inquantum scilicet est *comnicmorativum* dominicae passionis, quae fuit verum sacrificium . . ., *et secundum hoc nominatur sacrificium*”.

Ibid., ad 3: “Hoc sacramentum dicitur sacrificium, *inquantum repraesentat ipsam passionem Christi*; dicitur autem hostia, inquantum continet ipsum Christum, qui est hostia salutaris, ut dicitur Ephes, v.”

q. 79, a. 7: “Hoc sacramentum non solum est sacramentum, sed etiam est sacrificium. *Inquantum enim in hoc sacramento repraesentatur passio Christi*, qua Christus ‘obtulit se hostiam Deo’, ut dicitur Ephes, v, *habet rationem sacrificii*”.

q. 83, a. 1: “Duplici ratione celebratio hujus sacramenti *dicitur immolatio Christi*: primo quidem quia, sicut dicit Augustinus ad Simplicianum [1. 2, q. 3], ‘solent imagines earum rerum nominibus appellari quarum imagines sunt; sicut cum intuentes tabulam aut parietem pictum, dicimus: Ille Cicero est, et ille Sallustius.’ Celebratio autem hujus sacramenti, sicut supra dictum est (qu. Ixxix, art. 1): *imago quaedam est repraesentativa passionis Christi*, quae est vera ejus immolatio. Et ideo celebratio hujus sacramenti dicitur Christi immolatio. . . *Alio modo* quantum ad effectum passionis Christi, quia scilicet per hoc sacramentum participes efficimur fructus dominicae passionis. . . Quantum igitur ad primum modum poterat dici Christus immolari etiam in figuris veteris Testamenti. Unde et Apoc. xiii, 8 dicitur: ‘Quorum nomina non sunt scripta in libro vitae Agni, qui occisus est ab origine mundi’. Sed quantum ad secundum modum, proprium est huic sacramento quod in ejus celebratione Christus imoletur.”

Ibid., ad 1: “Sicut Ambrosius ibidem [In ep. ad Hebr., c. 10] dicit, ‘una est hostia,’ quam scilicet Christus obtulit, et nos offerimus, ‘et non multae, quia semel oblatus est Christus.’ *Hoc autem sacrificium exemplum est illius*. Sicut enim quod ubique offertur, unum est corpus, et non multa corpora, *ita et unum sacrificium*.”

Ibid., ad 2: “Sicut celebratio hujus sacramenti est *imago repraesentativa*

tativa passionis Christi, ita altare est repraesentativum crucis ipsius, in qua Christus in propria specie immolatus est"

q. 82, a. 4, ad 1: "Consecratio chrismatis vel cujuscumque alterius materiae, non est sacrificium, sicut consecratio Eucharistiae".

Ibid., a. 10: "Consecratione hujus sacramenti sacrificium offertur Ad 1: "Hoc sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiae, in qua sacrificium Deo offertur".

q. 80, a. 12, ad 3: "*Repraesentatio dominicae passionis agitur in ipsa consecratione hujus sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari*".

q. 78, a. 3, ad 2: "Sanguis seorsum consecratus expresse passionem Christi repraesentat".

q. 76, a. 2, ad 1: "Quamvis totus Christus sit sub utraque specie, non tamen frustra. Nam . . . hoc valet ad repraesentandam passionem Christi, *in qua seorsum fuit sanguis a corpore separatus*; unde et in forma consecrationis sanguinis fit mentio de ejus effusione."

In 4 Sent., dist. 11, q. 2, a. 1, q. 1: "In hoc sacramento significatur passio Christi, in qua separatus fuit ejus sanguis a corpore, *et ideo separatim in hoc sacramento offerri debet signum corporis et signum sanguinis*, duplici materia existente."

In 1 Cor. 11, lect. 5: "Est [hoc sacramentum] memoriale dominicae passionis, per quam sanguis Christi fuit separatus a corpore, *et ideo in hoc sacramento seorsum offertur sanguis a corpore*."

Tempore controversiae cum Wicleffitis et Hussitis, *Thomas Waldensis* (f 1430) scribit: "[In sacrificio eucharistico quotidie celebrato] Deus Pater suscipit consecratam cum passione hostiam passionis" (Sacramentalia, tit. 4, c. 39, Parisiis, 1523, fol. 93). Item: "Sacrificium altaris . . ., *est jormaliter et tantummodo ipsum sacramentum oblatae carnis unci sacrificii pro salute nostra*" (Doctrinale, t. 2, De Sacramentis, c. 31, incun., fol. 52).

Tempore controversiae cum Protestantibus, *Joannes Gropper* scribit: "Quemadmodum Christus in vero et cruento sacrificio crucis et sacerdos erat et hostia, sic in *repraesentativo isto sacrificio, quo illud rursus proponitur*, se habet Ecclesia, offerens per temporalem ministrum suum" (Antididagma [1544], fol. 70 a).

Hieronymus Fossantis, O. Erem. S.A., De admirando mysterio, lib. 3 (Taurini, 1554, fol. 133): "Si probaverimus *unicum esse sacrificium* illud quod per Christum actum est, et quod a sacerdote in missa celebratur, et non aliud hoc, aliud illud, puto quod ranae aegyptiae [Protestantes] obmutescent et obstrepere cessabunt."

Melchior Cano, De locis theol. 12, 12: “*Imago haec et exemplar nihil revera obstat, cur non eundem illum sanguinem modo offeramus quem Christus fudit in cruce, -won aliter ac si nunc coram effunderetur.*”

Theologi moderni omnes explicite insistunt in asserenda essentiali relatione sacrificii missae ad sacrificium crucis, atque missam vocant *sacrificium essentialiter relativum*.

Pesch: “Missa est sacrificium essentialiter repraesentativum sacrificii crucis. . . Thesis duo enuntiat: a) missam ex institutione Christi esse *sacrificium relativum* ad repraesentandum sacrificium crucis; b) *hanc relationem missae ita essentialem esse, ut sine illa sacrificium esse desinat, cum haec relatio constituat intrinsecus sacrificium missae in ratione sacrificii absoluti.*”**

Diekamp: “Missa . . . sicuti sacrificium crucis est verum sacrificium, quod hic et nunc perficitur; actio sacrificia circa hostiam hic et nunc exercetur. Sed est insimul viva et objectiva repraesentatio sacrificii semel in cruce peracti ideoque est *sacrificium relativum, cum sacrificium crucis sit sacrificium absolutum.*”*f,M*

Hervé: “Missa non est sacrificium absolutum, ut est sacrificium Crucis, sed est sacrificium omnino *dependens* a sacrificio Crucis et ad hoc *essentialiter* refertur, in quantum ejus est *viva* et *objectiva repraesentatio* simul ac *in ejus memoriam* celebratur. Missae quidem sacrificium non constituitur per hanc solam relationem ad Crucem, sed haec relatio *ad ejus essentiam* ita pertinet, ut sine illa non esset *vere* et *proprie* illud sacrificium, quod instituit Christus.”⁸⁷

ART. 46. Utrum Missa Consistat Essentialiter In Duplici Consecratione (q. 82, a. 4, ad 1; a. 10, corp, et ad 1; q. 80, a. 12, ad 3; q. 79, a. 7, ad 3; q. 78, a. 3, ad 2; q. 76, a. 2, ad 1; In 4 Sent., dist. 11, q. 2, a. 1, q. 1; In 1 Cor. 11, lect. 5).

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de *ESSENTIA MISSAE MATERIALITER CONSIDERATA*, dum in sequenti articulo considerabitur formaliter secundum rationem sacrificii.

Minus recte quidam, ut *D'Alès* (thes. 7), dicunt hanc quaestionem esse “de essentia physica Sacrificii eucharistici”; nam, ut dictum est in art. 43 (p. 788), essentia physica sacrificii est ipsa oblatio immolativa, essentia vero metaphysica est ratio signi agnitionis divini domini.

⁸³ De Euch., Prop. 39, n. 886, Friburgi Br., 1914, p. 428.

^M Theol. Dogm., v. 4, § 35, n. 2, Parisiis, 1934, p. 226.

ⁿ Theol. Dogm., v. 4, n. 104, Parisiis, 1937, p. 117.

^{!t*}

v1

Quaeritur igitur quaenam sit, inter varias caeremonias quae in Missa celebrantur, actio quae eam essentialiter constituit et in qua proinde reponenda est ratio huius sacrificii tam physica quam metaphysica.

Porro quoad praedictas caeremonias distinguendum est inter eas quae praecedunt Offertorium aut subsequuntur Communionem fidelium, quaeque manifeste non pertinent ad essentiam Missae sed ad eius accidentalem ornatum et illustrationem (ut patet ex eo quod nullo modo versantur circa victimam seu corpus Christi), et eas quae inter Offertorium et Communionem perficiuntur.

Inter has autem eae de quibus dubitatum est, vel dubitari posset, an ad essentiam vel integritatem sacrificii pertineant, sunt sequentes:

1. Offertorium.
2. Consecratio duplex.
3. Elevatio hostiae et calicis post verba consecratoria et subsequens elevatio minor eorundem ante Pater Noster.
4. Oblatio oralis, immediate subsequens Consecrationem, seu oratio "Unde et memores".
5. Fractio hostiae.
6. Commixtio hostiae cum vino consecrato.
7. Communio sacerdotis.
8. Communio fidelium.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica.

Consecrationem pertinere ad essentiam sacrificii est *theologice certum*. Unde *communionem celebrantis* per se solam non constituere essentiam sacrificii est *theologice certum*; a quibusdam, ut *Diekamp* et *Hervé*, hoc dicitur de fide (cf. infra, p. 957). A fortiori idem dicendum est de *communionem fidelium* (cf. infra, p. 964).

Solam consecrationem pertinere ad essentiam sacrificii, non videtur adhuc nota theologica dignum. *Suarez* tamen id putat "certissimum" (cf. supra, p. 803); *Hervé* id dicit "theologice certum"; *Michel*⁹⁹ vero mitius ait quod, excepta sententia quae docet communionem sacerdotis pertinere ad essentiam Missae, ceterae opiniones, etiam modernorum, quae consecrationi addunt alias actiones (fractionem, oblationem verbalem, communionem fidelium, etc.) tamquam constituentes essentiam sacrificii, considerandae sunt improbabilis.

Communionem fidelium non pertinere ad essentiam sacrificii, vide-

⁹⁹ *Dici. Théol. Cath.*, art. Messe, coi. 1252.

tur *theologice certum* propter documenta Cone. Trid. et Pii VI (cf. infra, p. 964).

SENTENTIAE THEOLOGORUM.

Mittimus haereticos *Protestantes* qui ad rationem suae Coenae-non-sacrificii essentialiter necessariam dicunt communionem seu *distributionem Eucharistiae* ac propterea missas quas vocant privatas (seu absque communione fidelium) illicitas et abrogandas praedicant.

Consentiunt theologi quoad duo, scilicet: 1. consecrationem pertinere aliquo modo ad essentiam sacrificii, saltem ut conditionem; 2. communionem intimius quam aliae partes Missae (praeter consecrationem) coniungi cum essentia sacrificii.

Dissentiunt vero quoad duo, scilicet: 1. an consecratio pertineat ad ipsam essentiam sacrificii; 2. an sola consecratio sit essentia sacrificii.

Variae sententiae ad tres reducuntur:

PRIMA SENTENTIA docere videtur consecrationem non pertinere ad ipsam essentiam sacrificii, neque partialiter, sed esse tantum quamdam conditionem necessariam. Ita pauciores theologi, inter quos citantur *Scotus, G. Biel, Antonius Corrionero, Martinus de Ledesma, Nugnus, S. Joannes a Cruce*, et inter modernos *Bellord, Rcnz, Grivet*.

Ratio hujus sententiae est quia consecratio non habet rationem oblationis aut immolationis, unde nequit esse nisi conditio requisita ad praeparandam aut terminandam oblationem vel ad producendam seu adducendam victimam immolandam.

Cum autem agitur de determinanda actione in qua essentia Missae consistit, discedunt hi doctores in *duas opiniones*, aliis eam reponentibus in *Oblatione*, et quidem aut in oblatione antecedente consecrationem seu *Oflertorio* (*Scotus, Biel*) aut in oblatione immediate subsequente consecrationem seu *Oratione "Unde et memores"* (*Corrionero, Grivet*), aliis in *communione* (*Bellord, Renz*).

Imprimis inepte quis ad hanc sententiam revocaret plures theologos, praecipue antiquiores, uti *Brunonem Astensem, Ivonem Carnotensem, Lanjrancum, Guilelmum Canipellensem, Remigium Altissiodorensem, Algorum Leodicnsem, Petrum Lombardum*,³⁹ eo quod, cum exhibent symbolismum passionis, in sacrificio Missae expressum, mentem suam praecipue convertant ad communionem et fractionem specierum, ut significativas divisionis vel destructionis corporis Christi.

Ceterum coevi theologi *Paschasius et Rattramus* talem symbolismum etiam in ipsa consecratione considerant:

³⁹ Citatos a *Lrpin*, *L'idée du sacrifice de la Messe*, Paris, 1926, p. 112 sqq.

Paschasius, De corp, et sang. Domini, 19: "Calix passionis Christi praefigurat mysterium. . . In qua nimirum passione simul caro Christi cum suo sanguine fuit; idcirco, jam immolato Christo per sacramentum divinae traditionis, corpus frangitur ad escam populis et partitur fidelibus; sanguis vero in calice, ac si in passione fusus, spiritaliter consecratus pro nobis ostenditur ad potandum, Deo Patri a summo Pontifice oblatus, quatenus eo pretio quo redempti sumus de morte ad vitam, et in corpore Christi aggregati, exuamur a culpis quotidianis levibusque peccatis" (M.L. 120, 1328).

Ratramnus, De corp, et sang. Domini, 99 sq.: "Iste panis et calix, qui corpus et sanguis Christi nominatur et existit. memoriam repraesentat dominicae passionis sive mortis. . . Docemur a Salvatore, necnon a sancto Paulo apostolo, quod iste panis et iste sanguis, qui super altare ponuntur, in figuram sive memoriam dominicae mortis ponantur, ut, quod gestum in praeterito, praesenti revocet memoriae; ut, illius passionis memores effecti, per eam efficiamur divini muneris consortes, per quam sumus a morte liberati" (M.L. 121, 169 sq.).

Scotus (In 4 Sent., dist. 13, q. 2) et *G. Biel* (In 4 Sent., dist. 13, q. 1, a. 3, dub. 2) videntur reponere essentiam Missae in *Offertorio*, sed eorum sententia nec clara nec constans est, ac ita a pluribus interpretatur ut ipsi sentiant in Offertorio sacrificium inchoari vel Offertorium pertinere, una cum consecratione, ad essentiam sacrificii.

Verba Scoti incriminata sic sonant: "Si objicis de haeretico et schismatico, quod non conficiat, quia Sacerdos non offert in persona propria, sed in persona Ecclesiae, cujus est minister; hic autem est praecisus ab ea; et huic rationi videtur Magister inniti in litera. Probatur antecedens per hoc quod dicit sacerdos: Offerimus tibi', etc.; non dicit 'offero'. Respondeo, quod oblatio non pertinet ad rationem consecrationis, nec necessario requiritur quod offeratur: *offertur enim hostia non consecrata, et tunc est sacrificium*, non Sacramentum, sicut Eucharistia consecrata, conservata in pyxide est Sacramentum, licet non ut ibi sit sacrificium, nisi aptitudinaliter" (Opera omnia. Parisiis, t. 17, 1894, p. 699).

Jacobus Bellord et Franz Renz docent essentiam sacrificii esse *communione*.

Bellord, iuxta suam opinionem de sacrificio in genere consistente in epulo (the banquet-theory) (cf. supra in art. 43, p. 793), ait sacrificium Missae consistere essentialiter et formaliter in *communione*. Docet ipsam mortem Christi in cruce non esse sacrificium nisi ratione ultimae coenae in qua proprie sacrificium Christi consistit et cujus renovatio habetur in Missa; hanc igitur esse sacrificium non prout est

mystica immolatio vel repraesentatio mortis Christi sub duplici separata specie, sed formaliter prout est unum epulum quod ex cibo et potu completur.⁰⁰

Renz, praeposita sua sententia de absoluta relativitate sacrificii Missae (Missam nempe non alia ratione dici posse sacrificium nisi quatenus est mera figura veri et unici sacrificii Crucis; cf. supra, p. 839), docet hanc rationem sacrificii essentialiter reponendam esse in communione, consecrationem vero esse tantum necessariam conditionem seu praeparationem epuli sacrificialis. Addit antiquos doctores et Patres, notanter Justinum, Irenaeum et Cyprianum, reposuisse sacrificium non in consecratione sed in communione, seu in esu corporis Christi et potu sanguinis ejus.

Renz videtur quandoque reponere essentiam sacrificii in sola communione, quandoque in communione et consecratione, quatenus consecratio est pars praeparatoria epuli sacrificialis. In hoc secundo sensu ejus sententiam interpretantur *Rauschen*[^] et *Lepin*.⁰² Revera tamen ejus sententia videtur esse sequens: essentia sacrificii est ipsa communio, attamen consecratio est essentialiter connexa ac quasi involuta in sacrificio tum quia est actio qua praeparatur res comedenda, tum quia objective identificatum cum ipsa re quae comeditur (re consecrata).⁰³

Antonius Corrioncro et J. Grivet reponunt essentiam sacrificii in *oblatione orali* quae immediate subsequitur consecrationem, seu in oratione "Unde et memores".

De *Antonio Corrionero*, episcopo Almeriensi ac theologo tridentino, refertur in *Actibus Co-nc. Trid.* (ed. Goerres), t. 8, p. 777 sq.: "Declaravit primo quid sit sacrificium, ex S. Thoma, 2.2 q. 85 a. 1, cum sit res oblata Deo, [circa quam] aliquid fit. Non tamen, quoties

*. *The notion of sacrifice*, et, *The sacrifice of the New Law*, in *The Ecclesiastical Review*, 1908, t. 33, p. 1-14 et 258-273: "There is no death indeed in it [the last Supper], nor symbol of death. The use of the two distinct species was not a rehearsing of the bloodshedding of the next day; it meant only the provision of the two materials of a complete banquet, food and drink. . . Even if the chalice had passed away after the prayer in the Garden, and Jesus had not suffered death, the Last Supper would still be a full and perfect sacrifice."

⁰¹ *Eucharist and Penance* (versio ex lingua germanica), St. Louis, Mo., 1913, p. 67.

⁰² *L'idée du Sacrifice de la Messe*, Paris, 1926, p. 620.

⁰³ Ad rem ipse: "Le service eucharistique est de son essence un repas, qui a caractère de sacrifice". "L'essence de l'acte sacrificiel en ce qui regarde l'Eucharistie doit se définir ainsi: l'essence formelle du sacrifice non sanglant du Nouveau Testament consiste en l'accomplissement *objectif* et *subjectif* du sacrement de la communion, par le moyen du corps et du sang de Jésus-Christ, réellement présents sous les apparences du pain et du vin". "Et si l'on demande quel est, dans ce *sacrement sacrificiel*, ou dans ce *sacrifice sacramental*, l'acte essentiellement sacrificiel, nous répondrons: il est *objectivement* dans la consécration; *subjectivement*, dans la communion à la chair et au sang du Seigneur" (Apud *Lepin*, l. c., p. 620. 623).

consecratur, offertur. Nam potest sacerdos consecrare Eucharistiam et non offerre, licet peccaret. Non est igitur de ratione sacrificii consecratio, cum verba consecrationis Eucharistiae nullo modo pertineant ad sacrificium”.

J. Grivet S.J., juxta suam opinionem de sacrificio-oblatione (cf. art. 43, p. 808), docet sacrificium Missae incipere post consecrationem et elevationem, ad orationem “Unde et memores”; consecrationem vero esse ultimam praeparationem sacrificii et qua talem aliquid extrinsecum essentiae sacrificii.⁰⁴

SECUNDA SENTENTIA docet essentiam Missae consistere partialiter tantum in consecratione, seu tum in consecratione tum in una vel pluribus ex sequentibus caeremoniis: offertorio, oblatione “Unde et memores”, fractione hostiae, communione.

Ratio est quia in sola consecratione non videtur salvari ratio oblationis vel immolationis (realis aut symbolicae).

In hoc sensu imprimis a quibusdam mitius interpretantur modo expositae sententiae *Scoti et Biel* (de offertorio), *Bellord et Renz* (de communione),⁰⁵ *Corrionero et Grivet* (de oblatione orali).

Quidam pauci, ut *Melchior Cano*, *Gregorius de Valentia*, *Joannes Azor et Estius*, docent essentiam sacrificii consistere in consecratione simul cum pluribus ex subsequentibus actionibus, scilicet oblatione “Unde et memores”, fractione hostiae et communione.

His accedit inter modernos *Lepin*, qui juxta suam sententiam de sacrificio-oblatione (cf. supra, art. 43, p. 808 sqq., et infra, art. seq., p. 1008 sqq.), ait totam actionem liturgicam, a consecratione usque ad communionem inclusive, pertinere ad essentiam sacrificii Missae; nam. inquit, hoc sacrificium consistit in ipsa interiori oblatione Christi, conditionata seu ligata non alicui actioni mysticae immolationis sed ipsi statui victimae mystice immolatae, qui incipit in consecratione et terminatur in communione.

Peculiares *rationes* pro includenda fractione hostiae in ratione essentiae sacrificii sunt sequentes:

1. In fractione maxime significatur passio Christi seu corpus Christi in cruce fractum. In 1 Cor. 10, 16 Eucharistia vocatur “panis quem frangimus”, imo “fractio panis” fuit antiquitus veluti proprium nomen

⁰⁴La messe de la terre et la messe du ciel, Paris, 1917, p. 37-39: “Par la consécration, le sacrement de l’eucharistie est constitué. Une fois constitué il est offert. Cette offrande, c’est la messe. . . La transsubstantiation n’est donc que la dernière préparation de ce qui sera essentiellement la messe,”

⁰⁵In hac sententia ratio addendi communionem consecrationi esset quia in sola consecratione non salvatur conceptus epuli, qui est essentialis sacrificio.

celebrationis eucharisticae (cf. p. 74 sq.). In 1 Cor. 11, 24, juxta aliquos codices, habetur κλώ/χενον (quod frangitur) loco διδόμενοι- (quod datur).

2. In tota *Traditione* maximum momentum tribuitur fractioni panis, ut figurae sacrificii passionis.

3. 5. *Thomas*, 2-2, q. 85, a. 3, ad 3, ait: “Sacrificia proprie dicuntur quando circa res oblatas aliquid fit, sicut quod animalia occidebantur, quod panis frangitur et comeditur et benedicatur”.

Cano, De loc. theol. 12, 12 (ed. Bassani, 1776, p. 302):

“Constat sane eucharistici sacrificii partes quatuor esse: unam consecrationem corporis et sanguinis, alteram oblationem, tertiam fractionem, quartam consumptionem. His quippe quatuor partibus nostrum sacrificium redintegrari, confici, absolvi qui negaverit, nihil illum de ratione perfecti sacrificii didicisse, nihil quaesisse, nihil scire convincam.”

Ibid.: “Cum symbolis rerum. Christo instituyente, debeamus mortem ipsius agere, si verum et perfectum nostrum sacrificium est, ejusque victimae absolutum exemplar, quam Christus in cruce praebuit; nullum autem sit rerum symbolum antequam species frangantur, miscantur. consumantur: certissimum accipere argumentum possumus: ante fractionem nondum esse expletum sacrificium” (Colon. Agripp., 1585, fol. 426).

Valentia, De rebus fidei hoc tempore controversis, De sacrosancto missae sacrificio, l. 1, c. 2 (Lugduni, 1591, p. 506):

“Quaenam potius actio ad sacrificium hoc pertineat, ex illis quibus ante docuimus illud confici: breviter asserimus placere nobis eorum opinionem qui arbitrantur, etsi non tantum consecratio, sed benedictio etiam, et fractio, et mixtio, et sumptio, ad hujus sacrificii confectionem spectent, consecrationem tamen esse qua illud praecipue conficitur, quaeque ideo ipsius substantiam seu speciem imprimis constituit. quatenus (ut postea suo loco evincemus) transsubstantiatione panis et vini in corpus et sanguinem Christi facit ut, arcano illo modo, quem sacramentalem vocamus, sub panis vinique speciebus Christus contineatur, sic ut sumi possit. — Et nihilominus tamen . . . constare potest in fractione quoque et sumptione, quae ad sensum etiam patent, sacrificii hujus substantiam seu speciem partim ponendam esse existimamus: sic ut opus illud totum, moraliter unum, quod ex iis actionibus constat, sit istiusmodi sacrificium.”

Azor, Inst. morales, l. 10, c. 18 (Lugduni, 1625, coi. 995):

“Probabilior mihi videtur eorum sententia, qui docuerunt totam

evangelici sacrificii rationem in duabus actionibus, aut summum in tribus, constitui: nempe, vel in consecratione corporis Domini et sanguinis, et oblatione; aut in consecratione, et oblatione, et sumptione. Has enim tres actiones, aut certe duas, consecrationem et oblationem, omnino ratio sacrificii et natura postulat, praeterea nihil. . . Consumptionem etiam accipio, non ut actionem qua sacramentum sumimus, sed ut actionem sacram qua species panis et vini, Christi corpus et sanguinem continentes, consummuntur.”

Estius, In IV libros Sent., dist. 12, § 12 (Duaci, 1616, t. 4, p. 168):

“An autem etiam fractio specierum Eucharistiae passionem Christi repraesentet, ac subinde partem aliquam hujus sacrificii constituat, quaeri potest. Quidam negant. . . Sed rectius affirmant alii, et probant quia ad fractionem expressa fit passionis commemoratio, dicente sacerdote: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. . . Videtur autem et effusio sanguinis [i.e. communio sub specie vini] ad hujus sacrificii partem aliquam pertinere.”

In 1 Cor. 11, 24: “Dicit autem Dominus, ‘quod pro vobis frangitur’; eo quod fractio corporis in sacramento mystica quaedam repraesentatio sit passionis ejus, quam pro nobis sustinuit in cruce: ut panis fractus intelligatur ille, qui in cruce ‘attritus est propter scelera’ nostra, Isa. 53. . . Propter hujus significationem mysterii fit, ut eadem fractio quandam incruenti sacrificii, quod Christus in hac sacramenti institutione offerebat, partem constituat. Id quod S. Thomas docet 2. 2. quaest. 85. art. 3. ad 3., ubi recensens actiones, in quibus Eucharistiae sacrificium consistit, etiam fractionem nominat. Hujus rei argumentum est, quod pro participio κλώ/icioi-, ‘quod frangitur’, scripto a Paulo, Lucas ejus discipulus scripserit διδό/uvov, ‘quod datur’, id est. offertur, utique ‘pro vobis’, quod uterque expressit. Ex quo intelligitur. fractionem istam ad ipsam oblationem seu sacrificium pertinere, velut partem ejus aliquam” (In Epistolas Comm., t. 1, Moguntiae, 1858, p. 617 sq.).

Lopin, L’idée du sacrifice de la Messe (Paris, 1926, p. 751 sq.):

“Faut-il penser que l’oblation sacrificielle du Christ se borne à ce moment transitoire de la double consécration? On comprend que les théologiens pour qui l’essence du sacrifice est un acte d’immolation, réelle ou mystique, aient enfermé la durée du sacrifice dans cet instant fugitif. Du moins pour la plupart, car encore faut-il en excepter quelques-uns, comme l’illustre de Lugo. Mais, pour qui se débarrasse de ce préjugé et voit avant tout dans le sacrifice une oblation, il semble bien qu’il puisse et doive être étendu au delà.

“On a, il est vrai, prétendu identifier l’oblation constitutive du sacri-

ficé à l'acte de la double consécration, sous le prétexte que l'oblation sacrificielle serait obligatoirement une donation pragmatique. Mais, redisons-le, il est impossible d'assimiler directement notre sacrifice eucharistique aux rites figuratifs de l'ancienne Loi. Le Christ n'offre pas une matière étrangère, du pain et du vin, dont la donation pragmatique symboliserait sa donation personnelle: il s'offre et se donne lui-même, en personne, sous les simples apparences de ce pain et de ce vin.

“L'acte d'immolation figurative qu'est la double consécration n'est donc pas précisément, en tant que tel, l'acte d'oblation ou de donation, constitutif du sacrifice: c'en est plutôt, comme nous le disions tout à l'heure [cf. infra, art. seq., p. 1011], une sorte de condition. La véritable oblation ou donation sacrificielle est celle que le Christ fait directement de lui-même, sous le signe sensible de cette immolation mystique. Or il n'y a aucune raison de lier si rigoureusement cette oblation personnelle du Christ à l'acte figuratif de l'immolation, qu'elle ne puisse se continuer, une fois cet acte posé.

“Sans doute, le moment de la double consécration peut être considéré à bon droit comme le moment principal et central du sacrifice, parce que le Christ s'y offre sous l'acte sensible qui représente l'effusion rédemptrice de son sang, et qu'il lui a plu d'attacher l'effet principal du sacrifice à ce moment important, comme le fruit rédempteur a été attaché définitivement à l'instant de la mort. Mais rien n'empêche d'admettre, tout engage au contraire à penser, que le Christ continue de s'offrir en sacrifice après la double consécration et jusqu'à la communion, parce que jusqu'à la communion il s'offre réellement pour nous à son Père, d'une manière solennelle et officielle, sous le signe sensible de son sacrifice rédempteur. Pour être un simple *état* de victime mystiquement immolée, et non un *acte* de mystique immolation, ce signe sensible, savoir la permanence visible de la séparation du corps et du sang, n'en suffit pas moins à constituer un vrai sacrifice, parce qu'il conditionne un acte de véritable oblation sacrificielle: l'*oblation* du Christ, continuée sous le sacrement.”

Alii plures et magni nominis theologi, ut Dominicus Soto, Bellarminus, Lessius, Lugo, Salnianticenses, Tournely, Mastrius, Isambertus, et S. Alphonsus, quern inter modernos sequuntur ejus discipuli Marc, Aertnys et J. Hermann, docent essentiam Missae consistere in consecratione et communione celebrantis.

Ratio praecipua est quia in sola consecratione salvatur quidem conceptus oblationis sed non conceptus immolationis seu destructionis, qui in communione invenitur.

Rationes vero secundariae sunt, quia imprimis, si communio non pertineret ad essentiam Missae non explicaretur quare non possit in ullo casu celebrari absque communione sacerdotis, ex quo ostenditur juxta mentem Ecclesiae sacrificium nondum esse completum ante communionem sacerdotis; praeterea, non intelligeretur quo sensu Missa Prae-sanctificatorum vocetur ab Ecclesia sacrificium (“In spiritu humilitatis **tiset** sic fiat sacrificium nostrum . . . “Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium . . .”).

Praedicti doctores *conveniunt* in docendo quod essentia sacrificii consistit fere aequaliter in consecratione et communione, ita ut in una vel altera habeatur sacrificium incompletum; item in consecratione salvari potius rationem oblationis, in communione vero rationem destructionis.

Discrepant vero in eo quod pars principalior videtur esse juxta quosdam, ut Lessium, Lugo et Salmanticenses, consecratio, juxta alios vero, ut Soto, communio.

Item, juxta Lessium et Lugo, ratio destructionis vel immutationis salvatur etiam in consecratione, quamvis non perfecte, juxta alios vero in sola communione; propterea Lugo insistit in supradictis rationibus secundariis, alii vero praecipue in ratione principali.

Item, juxta Soto, communio requiritur ad habendam mysticam destructionem, i.e. ad repraesentandam passionem Christi, juxta alios vero ad habendam realem destructionem requisitam ad sacrificium; quae realis destructio juxta Bellarminum et Lugo consistit in ipsa comestione cui subicitur cibus, juxta Salmanticenses vero et S. Alphonsum in hoc quod consequenter ad sumptionem Christus destruitur secundum suum esse sacramentale.

Praeterea, Lessius, Lugo et S. Alphonsus hanc sententiam tantum ut probabiliorem proponunt, dum Soto, Bellarminus et Salmanticenses simpliciter ei adhaerent.

Soto, In 4 Sent. (Salmanticae, 1569, t. 1, p. 559):

“Ratio hujus sacramenti in consecratione perficitur. Sacrificium autem est quod Deo offertur; quare ratio ejus in oblatione consistit. . . Sed rogas: Numquid in sola oblatione tota ratio sacrificii posita est? Respondetur: Non prorsus. Nam, cum id quod offertur sit corpus et sanguis Christi, fit ut eorum consecratio, quae ut offerantur fit, sic sit forma sacramenti ut pariter ad sacrificium pertineat. Quare prius fit oblatio materiae consecrandae . . . et tandem post consecrationem: Memores . . . offerimus. . . Quinvero et sumptio corporis et sanguinis potissimum ad sacrificium pertinet. Illic enim ratio immolationis perficitur. Immolatio namque idem est quod sacrificatio, nempe animalis

occisio, a mole, id est iarre, quo victima adspergebatur. Mors autem Christi non repraesentatur in consecratione; imo consecratur, ut imoletur, dum consumitur. Nam illa est mortis et sepulturae Christi effigies. Et in sumptione sanguinis adhibetur imago effusionis ejus. Quocirca, si post consecrationem sacerdos sacramenta non sumeret, sacrificium relinqueretur truncum et imperfectum, neque effectum sacrificii plenum haberet. Ob idque, scilicet quia sumptio utriusque formae ad essentiam sacrificii attinet, tantae fuit curae Ecclesiae ut nunquam sacerdos consecraret quin utramque sumeret.”

Bellarminus, Disputationes de controversiis fidei, De Missa, l. 5, c. 27 (Parisiis, 1608, t. 3, coi. 794):

“His igitur omissis, ita rem explicandam arbitror. In consecratione Eucharistiae, tria fiunt, in quibus sacrificii veri et realis ratio consistit.

“Primum, res profana fit sacra: panis enim, res alioqui terrena et communis, per consecrationem vertitur in corpus Christi, rem videlicet omnium sacratissimam. . .

“Secundo, in consecratione, res illa, sacra ex profana effecta, Deo offertur, dum in altari Dei collocatur. Nam, ut supra diximus, victimam in altari ponere, est reipsa illam Deo offerre; et, quia vi consecrationis fit ut corpus Christi et sanguis incipiat reipsa esse super altare mediante manu sacerdotis, ideo verbis consecrationis vera et sollemnis oblatio celebratur. . .

“Tertio, per consecrationem, res quae offertur, ad veram, realem et externam mutationem et destructionem ordinatur: quod erat necessarium ad rationem sacrificii. Nam, per consecrationem, corpus Christi accipit formam cibi: cibus autem ad comestionem, et per hoc ad mutationem et destructionem ordinatur . . .

“Quod autem [communio] sit pars essentialis, inde probatur, quia in tota actione missae, ut mox ostendemus, nulla est alia realis destructio victimae praeter istam. . . Neque obstat quod corpus Christi nullam in se laesionem patiatur, neque esse suum naturale amittat, cum manducatur Eucharistia: nam amittit esse sacramentale, et proinde desinit realiter esse in altari, desinit esse cibus sensibilis.”

Lugo, De Euch., disp. 19, sect. 5, n. 64. 67. 68 (Parisiis, 1892, p. 244 sq.):

“Verisimilius . . . existimo, utramque actionem, consecrationem scilicet et consumptionem pertinere ad substantiam hujus sacrificii; quae videtur esse sententia communior apud theologos. . . Addo tamen ita utramque actionem pertinere ad substantiam sacrificii, ut, posita consecratione, jam sit posita substantialis sacrificatio: adveniente vero sumptione, ponatur etiam aliqua pars ejusdem substantiae, quod non

repugnat: nam etiam sacerdos, quando sumit dimidiam partem hostiae, sumit substantialiter hoc sacramentum: et tamen sumptio alterius dimidiae partis est etiam aliquid substantiale pertinens ad sumptionem sacramenti. . .

“Facile erit explicare, quomodo consecratione ipsa sacrificetur corpus Christi: nam licet ipsa consecratione non destruat substantialiter, sed tamen destruitur humano modo, quatenus accipit statum declivorem, et talem, quo reddatur inutile ad usus humanos corporis humani, et aptum ad alios diversos usus per modum cibi: quare humano modo idem est, ac si fieret verus panis, et aptaretur ac condiretur in cibum; quae mutatio sufficiens est ad verum sacrificium; fieri enim comestibile illud, quod non erat comestibile, et ita fieri comestibile ut jam non sit utile ad alios usus nisi per modum cibi, major mutatio est quam aliae quae ex communi hominum mente sufficiebant ad verum sacrificium. . .

“Cum hoc tamen stat, ipsam sumptionem pertinere ad substantiam et integritatem hujus sacrificii: nam per ipsam adhuc magis consumitur et destruitur victima. Nec repugnat aliquam victimam in eodem sacrificio duplicem destructionem subire: imo in holocausto necesse erat, victimam prius occidi, postea adhuc magis destrui per totalem combustionem, et in aliis sacrificiis, licet non combureretur tota victima, adhuc post occisionem adolebatur in igne aliqua pars illius. Quare Bellar. . . . c. xxvii concii, vii, bene advertit, nostrum sacrificium assimilari holocaustis; atque sumptionem correspondere combustioni: sicut consecratio correspondet occisioni.”

Salmanticenses, De Euch., disp. 13, dub. 2, § 3-5 (Parisiis, 1882, p. 781. 782. 784. 789. 795):

“Dicendum est . . . sumptionem Eucharistiae a sacerdote celebrante, esse partem intrinsecam, et essentialem hujus sacrificii: atque ideo ejus essentiam non consistere adaequate in sola consecratione, sed in duabus illis actionibus consecrandi, atque sumendi Eucharistiam. . . Ne quis autem offendat in eo, quod dicimus hoc sacrificium adaequate sumptum consistere essentialiter in duabus illis actionibus, sive Missae partibus; advertat, quod sicut sacramentum est unum non unitate physica, sed morali, ideo potest constare rebus satis diversis, ut sunt res, et verba: sic etiam sacrificium habet similem unitatem per modum cujusdam entis artificiosi, et consequenter constitui valet ex actibus physice differentibus: praesertim si unum importet in recto, et alterum in obliquo, licet unum, et alterum essentialiter. . .

“Probatur ratione . . . : quoniam de essentia sacrificii vere, et proprie dicti est, quod victima, sive res oblata immutetur realiter ut patet . . .

ex communi sacrificii diffinitione. . . Ergo de essentia sacrificii Missae, est, quod victima, sive res in illa oblata, nempe Christus contentus sub speciebus panis, et vini, realiter immutetur; atqui per consecrationem non immutatur; siquidem ante consecrationem non erat res contenta sub speciebus; et ubi per consecrationem incipit contineri, sic immutatus manet usque ad sumptionem sacramenti per sacerdotem. Ergo antecedenter ad sumptionem non salvatur adaequate essentia sacrificii Missae: atque ideo sumptio sacramenti a sacerdote facta pertinet ad ejus essentiam. . .

“Dicendum est rem oblatam in hoc sacrificio non esse Christum secundum se, aut in propria specie: sed esse Christum prout in sacramento. Quamvis autem per sumptionem Eucharistiae factam a sacerdote Christus non desinat esse, aut immutetur secundum se, et in propria specie; immutatur tamen, et desinit esse prout in sacramento; siquidem exiit modum realem praesentiae sacramentalis ad species, et desinit esse sub sacramento. Quare adest realis, et sufficiens mutatio, quam istud sacrificium requirit. . .

“[Ex hoc quod consecratio non sit actio immutativa et destructiva] solum sequitur consecrationem non esse totam adaequate essentiam hujus sacrificii: sed minime infertur, quod non sit sacrificium saltem inadaequate, et per modum partis ad sacrificium adaequate sumptum essentialiter pertinentis. Nam in hoc sacrificio sicut in aliis concurrunt essentialiter oblatio, et immolatio rei, quae Deo per sacrificium offertur: ex quibus oblatio salvatur in consecratione Eucharistiae, tunc enim intransitive offertur Deo corpus, et sanguis Christi sub speciebus . . .: sed immolatio, immutatio, et destructio rei oblatae salvatur in sumptione sacramenti per sacerdotem, quippe tunc res oblata (nempe Christus sub sacramento), amittet esse sub sacramento, ut exposuimus. . . Quamvis enim sacrificium complectatur essentialiter utramque rationem, et oblationis, et immutationis; non oportet, quod quamlibet et utramque importet, aut explicet secundum singulas sui partes divisim acceptas; sed sufficit, et requiritur, quod utramque rationem habeat secundum suas partes conjunctim, et collective consideratas. Et ita contingit, atque salvatur in praesenti materia. . .

“Sicut nullum est inconueniens, quod consecratio panis, et consecratio vini pertineant in recto ad hoc sacrificium tanquam partes ejusdem consecrationis totalis: ita nec inconueniens est, quod consecratio, et sumptio intrent in recto ad hujus sacrificii constitutionem sicut partes ejusdem totalis sacrificii. Quamvis nec inconueniens esset dicere hoc sacramentum dicere in recto consecrationem, sive oblationem, et in obliquo sumptionem: utrumque tamen intrinsece, et essentialiter, ut in pluribus similibus contingit. Sed tamen praeferenda est prior responsio:

quia utraque actio est pars principalis, et nulla est ratio, quare sacrificium non importet in recto rei oblatae immolationem quae in ejusdem rei sumptione consistit."

S. *Alphonsus*, *Theol. Moral.*, l. 5, tract. 3 De Euch., cap. 3, dub. 1, n. 305 (Parisiis, 1875, p. 219):

"Tertia sententia communior docet [essentiam sacrificii Missae] consistere in sola consecratione. . . Haec sententia est quidem valde probabilis et communior, sed probabilior mihi videtur quarta sententia (licet tertiae adhaeserim) . . . [quae] dicit essentiam Eucharistiae consistere partialiter in consecratione, et partialiter in sumptione; in consecratione enim ponitur victima, et in sumptione consummitur. Ratio fest] . . . quia verum et reale sacrificium veram requirit et realem destructionem rei oblatae, quae non habetur, nisi per sumptionem sacerdotis, qua destruitur sacramentalis essentia Christi."

TERTIA SENTENTIA, olim communior (ut fatentur ipsi Salmanticensis et S. *Alphonsus*), hodie communissima, docet essentiam Missae consistere in sola consecratione; communionem esse tantum partem integrantem; ceteras vero actiones esse partes mere accidentales.

Ita, praeunte S. *Thoma* (cf. infra in Conci. 2, p. 958), *Cajetanus*^X *Catharinus*, *Tanner*, *Suarez*, *Vasquez*, *Coninek*, *Becanus*, *Joannes a S. Thoma*, *Viva*, *Gonet*, *Billuart*, *Franzelin*, *Gihl*, *Pesch*, *Billot*, *Paquet*, *Van Noort*, *Lamiroy*, *Hugon*, *De la Taille*, *Lepin*, *D'Alès* aliique moderni communissime.

Quidam tamen pauci, uti *Vasquez* et *Viva*, excludunt communionem etiam a ratione partis integrantis.

Vasquez: "Ego vero existimo primum in consumptione hujus sacramenti facta a sacerdote essentiam totam sacrificii non consistere; deinde, neque ad essentiam, aut integritatem illius eam pertinere; postremo, aptam non esse ut ad aliquid horum pro unico sacrificii Christi incruento institueretur."¹⁷

Viva: "In quam actione consistat sacrificium missae? . . . Equidem puto consistere in sola consecratione, ita ut ne pars quidem integralis sit sumptio"^{.08}

PRAETEREA inter patronos tum secundae tum tertiae sententiae, seu inter eos qui admittunt essentiam Missae reponi integraliter vel partialiter in consecratione, *disputatur utrum ad essentiam sacrificii requiratur DUPLEX CONSECRATIO an unica sufficiat.*

MDe erroribus in euch. sacr., c. 9, in *Opuscula*, Augustae Taurinorum, 1582, t. 2, p. 213.

"Comm, in 3 p. S. Thomae, disp. 220, c. 4, n. 23, Lugduni, 1631, t. 3, p. 408.

"Cursus theologico-moralis, De sacramentis . . ., pars 5, q. 5, a. 2, Patavii, 1723, torn, post., p. 151.

Quidam pauci, ut *Estius*, *Tournely*, *Juénin*, *Rohling*, *Schell*, *Kramp*, docent sufficere unicam consecrationem, eo quod in ea sufficienter repraesentetur passio Christi, ratione vis verborum qua corpus sine sanguine vel sanguis sine corpore ponitur sub specie consecrata.

Ad rem *Estius*: “Et hoc addo: licet expressior sit repraesentatio mortis Dominicae in utraque specie separatim sumpta; fit tamen etiam congruenter, dum species panis exhibetur absque specie vini: tanquam si corpus Domini praebeatur exsanguis. Est enim et in ea re mortis non obscura significatio”.⁹⁹

Communiter alii theologi dicunt necessariam esse duplicem consecrationem.

Attamen *quidam hanc* necessitatem repetunt etiam ex ipsa ratione *sacrificii*, quatenus absque duplici consecratione non haberetur mystica destructio Christi ad sacrificium requisita, *alii* (communiter) ex sola ratione *repraesentationis* passionis Christi in qua corpus fuit a sanguine separatum, *alii* (ut *Viva* et *Lugo*) tantum ex ratione *expressioris repraesentationis* eiusdem passionis.

Praeterea, ut dictum est in art. 32 (p. 634-636), quidam ita urgent necessitatem utriusque consecrationis ut dicant ipsam validitatem unius consecrationis (etiam in ratione sacramenti) pendere a positione vel saltem ab intentione alterius consecrationis.

Ad rem *S. Thomas*, q. 80, a. 12, ad 3; q. 78, a. 3, ad 2; q. 76, a. 2, ad 1; In 4 Sent., dist. 11, q. 2, a. 1, q. 1; In 1 Cor. 11, lect. 5. Quos textus citavimus in art. praec. (p. 927).

Suarez: “Dico 1o: consecrationem habere rationem sacrificii sub ratione mysticae mactationis ac separationis corporis et sanguinis ex vi verborum, totumque hoc ad essentiam hujus sacrificii pertinere. . . Dico 2o: Ut hoc mysterium absolute et simpliciter sit verum sacrificium, prout a Christo est institutum, essentialiter requiri utriusque speciei consecrationem. . . Necessaria est separata utriusque speciei consecratio, ut sit expressa repraesentatio passionis, atque adeo mystica mactatio. . . Quando sanguis statim post corpus separatim consecratur, quasi in viva imagine repraesentantur ipsa effusio sanguinis et consequenter separatio animae a corpore, quae ex effusione sanguinis secuta est.”¹

Lugo: “Respondetur concedendo, in consecratione unius speciei potuisse etiam esse aliquam proportionem ad repraesentandam Christi passionem, etiamsi per concomitantiam ibi esset totus Christus: illa

**In 1 Cor. 11, 26, Moguntiae, 1858, p. 623.

¹ Tract, de missae sacrificio, disp. 73, sect. 6, n. 6, p. 675, Opera omnia, Parisiis, 1856-1861.

tamen fuisset repraesentatio minus clara: quia, posito solo corpore in hostia ex vi verborum, non exprimeretur clare mors illius corporis per effusionem sanguinis; potuisset mori per defectum intrinsecum sanguinis; absque eo quod effunderetur. Similiter si solus sanguis poneretur in calice ex vi verborum, non exprimeretur clare, quod corpus manserit absque sanguine. . . Merito itaque Christus voluit, per consecrationem utriusque speciei repraesentari clarius illam realem separationem: nam eo ipso quod in uno loco appareat corpus, non apparente ibi sanguine, scilicet ex vi verborum, et in alio loco appareat sanguis, non apparente ibi similiter corpore, apparet in imagine depicta separatio realis corporis et sanguinis, quae facta est in cruce.”²

CONCLUSIO

Conclusio 1. Consecratio pertinet ad essentiam sacrificii Missae (q. 82. u. 4. ad 1; a. 10, corp, et ad 1).

Probatur 1. *Ex documentis Ecclesiae.*

Frequenter consecratio et sacrificium intime ac veluti convertibiliter inter se coniunguntur.

Cone. Tridentinum in sess. 22, can. 2, definit verba "Hoc facite in meam commemorationem" significare praeceptum offerendi sacrificium. Jamvero eadem verba significant praeceptum consecrandi, quia consecratio est praecipuum quod Christus fecit in ultima coena et habet in se rationem exercitae oblationis. Ergo consecratio pertinet, juxta mentem Concilii, ad essentiam sacrificii Missae.

Praeterea, in sess. 23, can. 1, definit in N.T. existere *sacerdotium vel potestatem consecrandi* et offerendi; quibus verbis ipsa etiam potestas consecrandi videtur proponi ut propria et primaria potestas sacerdotalis; jamvero primaria et specifica potestas sacerdotalis est potestas sacrificandi, cum sacerdotium et sacrificium sint correlativa; ergo, juxta mentem Concilii, potestas consecrandi est potestas sacrificandi, adeoque consecratio pertinet ad essentiam sacrificii Missae.

Confirmatur ex diverso modo loquendi Concilii in cap. 1 eiusdem sessionis ubi, memorans etiam potestatem ministrandi Eucharistiam et absolvendi a peccatis, non dicit sacerdotium *esse* potestatem consecrandi, offerendi, distribuendi et absolvendi, sed sacerdotibus *traditam esse* quadruplicem illam potestatem (Denz. 957).

Catechismus Cone. Trid., p. 2, c. 4. q. 77: "Sed unus etiam atque idem Sacerdos est Christus dominus. Nam ministri, qui *sacrificium jaciunt*,

²Disp. Schol., De Euch., disp. 19, sect. 8, n. 110, t. 4, Parisiis, 1892, p. 260.

non suam, sed Christi personam suscipiunt, *quum ejus corpus et sanguinem conficiunt*. Id quod et ipsius consecrationis verbis ostenditur. Neque enim Sacerdos inquit: ‘Hoc est corpus Christi’, sed: ‘Hoc est corpus meum’; personam videlicet Christi domini gerens panis et vini substantiam in veram ejus corporis et sanguinis substantiam convertit.”

Codex J.C., can. 814: “Sacrosanctum Missae sacrificium offerri debet ex pane et vino, cui modicissima aqua miscenda est”. Verba “ex pane et vino” et “aqua miscenda” manifeste alludunt ad consecrationem, tum quia ipsa est praecipua imo unica actio quae fit ex pane et vino, tum quia aqua non nisi ante consecrationem admiscenda est (cf. *Missale Rom.*, De defectibus, 4, 7, cit. in p. 67).

Liturgia, intra Missam, statim post consecrationem loquitur de *hostia pura, hostia sancta, hostia immaculata*.

Missale Romanum, ubi de Defectibus in celebratione Missarum occurrentibus, constanter supponit consecrationem pertinere ad essentiam sacrificii et in ipsa confectione sacramenti sacrificium consistere.

Pontificale Romanum, ubi de Ordinatione Presbyteri, in Oratione Episcopi post impositionem casulae ordinando, habet: “*In obsequium plebis tuae, panem et vinum in corpus et sanguinem Filii tui immaculata benedictione transforment*”. Verba “in obsequium plebis tuae” videntur significare non “ad ministrandam communionem plebi tuae”, sed “ad offerendum sacrificium, quod est obsequium plebis tuae tibi”, juxta verba Missae “Memento, Domine, famulorum . . . tuorum . . . pro quibus tibi offerimus . . . hoc sacrificium laudis . . . tibi reddunt vota sua”, “Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et *plebs tua sancta* . . . offerimus . . . hostiam puram”, “Placeat tibi, sancta Trinitas, *obsequium* servitutis meae: et praesta; ut sacrificium . . . omnibus, pro quibus illud obtuli, sit . . . propitiabile.”

Ibidem, Episcopus *tradens ordinando calicem cum vino et patenam cum hostia* ait: “Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare”; quod manifeste ostendit oblationem sacrificii et celebrationem Missae essentialiter consistere in consecratione calicis et hostiae.

Ex hoc tantum quod potestas consecrandi et potestas offerendi sunt unum et idem convenienter explicatur quare nulla habeatur mentio potestatis consecrandi (quae tamen est essentialis sacerdoti) tum in praedictis verbis “Accipe potestatem offerre sacrificium” (an haec sint essentialia Ordinationi non refert), tum in illis quae Episcopus profert in sua initiali admonitione ad Ordinandos ad Presbyteratum, scilicet: “Consecrandi, filii dilectissimi, in Presbyteratus officium, illud digne suscipere, ac susceptum laudabiliter exequi studeatis. Sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare, et baptizare.”

Probatur 2. *Ex Scriptura.*

1. Expressiones sacrificales verborum institutionis, ex quibus in art. 44 (p. 873 sqq.) veritatem sacrificii Missae deduximus, ad ipsam consecrationem referuntur et in ipsa formula consecrationis continentur. Si igitur verba consecratoria sunt sacrificalia, consecratio ad essentiam sacrificii pertinet.

2. Christus in ultima coena obtulit sacrificium; hoc autem consistit in una vel pluribus ex actionibus quas Christus in institutione Eucharistiae fecisse narratur, prorsus enim inverisimile est evangelistas in sua narratione omisisse mentionem illius actionis in qua sacrificium consistit.

Jamvero ex narratione evangelica non apparet quae actio esse potuit sacrificialis praeter consecrationem. Nam ipsa ex una parte est praecipuum quod narratur et ex alia parte certo continet quaecumque desiderantur ad rationem sacrificii; non constat vero an benedictio et gratiarum actio fuerint quid distinctum ab ipsa consecratione et an eam praecesserint vel subsequatae sint (si enim praecesserunt, ad essentiam sacrificii pertinere nequiverunt, propter absentiam victimae), neque an fractio, quae ceterum quasi secundarie et incidenter commemoratur, fuerit ante vel post consecrationem; communio vero ipsius Christi celebrantis non certo et explicite commemoratur (cf. art. 3, p. 79 sq.).

Probatur 3. *Ex Traditione.*

Ad rem faciunt inter superius recitata documenta:

Irenaeus, Adv. haer. 4, 17, 5, cit. in art. 44, p. 899 sq.

Cyrillus Hier., Catech. 23, cit. ibid., p. 905.

Gregorius Nyss., Orationes, In Christi resurr., Orat. 1, cit. ibid., p. 905 sq.

Gregorius Naz., Ep. 171, cit. in art. 13, p. 210.

Chrysostomus, De prod. Jud., horn. 1, 6, cit. in art. 9, p. 141.

Gregorius M., Dial. 4, 58, cit. in art. 44, p. 909 sq.

Isidorus Hisp., Etym. 6, 19, cit. in art. 43, p. 787.

Probatur 4. *Ex ratione.*

1. In consecratione invenitur quidquid requiritur ad essentiam tum sacrificii in genere, i.e. oblatio, immolatio, res sensibilis, agnitio divini domini, minister deputatus, tum sacrificii eucharistici in particulari, è relativitas seu repraesentatio dominicae passionis, victima corporis Christi et actus sacerdotalis ipsius Christi.

Oblatio in consecratione invenitur intransitive et exercite, eo ipso

quod victima, seu corpus Christi, ponitur praesens in altari cum intentione illud Deo offerendi in eius honorem, nec est necesse quod fiat signate et expressis verbis, quemadmodum ipse Christus in cruce non tam verbis quam factis vitam suam obtulit Patri.

Immolatio, seu immutatio quaedam destructiva, in consecratione habetur in eo quod corpus secundum esse suum sacramentale, seu prout praesens sub speciebus, ponitur in quodam statu immutationis et diminutionis, qui ipsi tum naturaliter tum praecipue secundum statum gloriosum non competit, quomodolibet tandem talis immutatio explicetur, juxta diversas theologorum opiniones referendas in art. seq.

Res sensibilis est ipsum corpus Christi prout, ratione specierum, sensibilibus conditionibus alligatur.

Agnitio divini dominii est insita ipsi oblationi et immolationi Deo factae.

Minister deputatus est sacerdos; sacerdotibus enim a Christo explicitum est: "Hoc facite in meam commemorationem".

Repraesentatio dominicae passionis in consecratione invenitur et quidem expressius quam in qualibet alia actione Missae. Per hoc enim quod corpus et sanguis separatim consecrantur, seu sub separatis symbolis ponuntur, et quidem non per meram quamdam designationem aut denominationem sed per effectivam quamdam operationem, aptissime exprimitur mors Christi quae in physica separatione corporis et sanguinis consistit.

Victima ipsa hujus sacrificii, quae est corpus Christi, in consecratione continetur, imo per eam proprie et effective profertur.

Ipse Christus est minister principalis consecrationis, ut patet ex verbis sacerdotis loquentis in persona Christi ("Hoc est corpus meum").

Ex his patet responsio ad rationem oppositam ab adversariis, quod nempe consecratio non habet rationem oblationis et immolationis sed solius praeparationis seu adductionis victimae.

Cum autem *urgent* praeparationem seu adductionem victimae, quae in casu fit per consecrationem, esse actionem non sacrificalem sed prae-viam sacrificio, *respondetur* concedendo quod adductio seu praeparatio victimae distinguitur formaliter ad ipso actu oblationis et immolationis et quod de facto communiter in sacrificiis humanis distinguitur etiam materialiter (nam homines communiter non producant res quas sacrificant sed productas supponunt); at non repugnat quod per eandem materialiter actionem res aliqua simul producat, offeratur et immoletur, ut contingit in consecratione, per quam Christus adducitur ex intentione oblativa et modo immolatio.

2. Potestas consecrandi est primaria et essentialis sacerdoti eiusque characteri. Jamvero primaria et essentialis potestas sacerdotalis est offerre sacrificium. Ergo potestas consecrandi et potestas offerendi ita saltem coincidunt ac convertuntur ut consecrando sacrificium offeratur. Qua autem ratione sacrificium in consecratione offeratur, explicabitur in art. seq.

Conclusio 2. Sola consecratio pertinet ad essentiam sacrificii Missae, quod proinde essentialiter consistit et absolvitur in consecratione. Communio sacerdotis est pars integralis sacrificii ac pendet ex divina institutione. Ceterae vero partes, nominatim oblatio oralis et fractio hostiae, sunt partes mere accidentales, et quidem probabiliter humanae institutionis.

Probatur.

Argumenta allata in Conci, praec., tum ex Scriptura, tum ex Traditione, tum ex ratione (nominatim triplex ratio actionis *in persona Christi, immolationis et repraesentationis passionis*), probant quoque solam consecrationem pertinere ad essentiam sacrificii, ut conferenti facile patet.

Obicies.

1. In oratione “Unde memores” *post consecrationem* Ecclesia, commemorans passionem Christi, adhuc offert hostiam corporis eius, inquiens: “Memores . . . ejusdem Christi . . . tam beatae passionis . . . offerimus . . . hostiam puram”. Ergo sacrificium nondum est absolutum.

2. Item post consecrationem in Commemoratione pro defunctis impetrat pro illis effectum sacrificii. Ergo sacrificium nondum est absolutum, quia eius effectus nondum est applicatus.

3. Missa Praesanctificatorum vocatur sacrificium et tamen in ea non habetur consecratio.

4. Inverisimile videtur totum sacrificium perfici et absolvi tam brevi illo tempore vel potius instanti quo durat consecratio (ita *Lopin*).

Respondetur.

1. Quamvis oblatio sacrificialis fiat in solo instanti consecrationis, tamen non frustra Ecclesia repetit verba oblativa post ipsam consecrationem; nam haec referri possunt sive ad *corpus mysticum*, quod se offert Deo post oblationem sacrificalem ipsius corporis eucharistici ad quamdam spiritualem integrationem sacrificii oblatis, sive ad *corpus ipsum eucharisticum*, in quo casu ea verba referenda sunt non ad tempus quo dicuntur sed ad tempus pro quo dicuntur et ratio quare dicantur post consecrationem est convenientia distribuendi varias ora-

tiones quibus unica et instantanés actio oblativa multipliciter exprimitur pro rei liturgica solemnitate et vividiore fidelium instructione. Similiter. ut dictum est in art. 9 (p. 149), convenienter solvitur quaestio de epiclesi.

2. Commemoratio pro defunctis intelligi potest dupliciter: vel pro simplici oratione sacerdotis et Ecclesiae, habente valorem *ex solo opere operantis*, et hoc videtur innuere ipsa Rubrica intra Missam (“Orat aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus orare intendit”), vel pro ipsa intentione applicandi defunctis fructum sacrificii *ex opere operato* (quemadmodum in commemoratione pro vivis ante consecrationem), et tunc, ut dictum est quoad orationem “Unde memores”, verba referenda sunt non ad tempus quo sed pro quo dicuntur, nam sacerdos ante ipsam consecrationem intendit applicare sacrificium juxta intentionem Ecclesiae, Ecclesia autem antecederet intendit illud applicare tam pro vivis quam pro defunctis, quamvis vario modo distribuat ante vel post consecrationem formulas quibus suam intentionem exterius et solemniter significat.

Billuart alia tentamina solutionis refert, inquiens: “Huic instantiae varii varie respondent. Doctissimus *Sylvius* dicit incertum esse quando tam celebrans quam alii pro quibus offertur, fructum sacrificii percipiant; probabile tamen esse celebrantem bene dispositum aliquem recipere in communione. *Joannes a S. Th.* dicit non esse necesse quod fructus sacrificii conferatur in illo instanti in quo fit, sed quod possit conferri toto tempore quod durat, juxta applicationem celebrantis. *Alii* demum existimant totum fructum *ex opere operato* correspondentem essentiae sacrificii applicari in ipsa consecratione, nec tamen frustra postea haberi *Memento* pro defunctis aut orationes recitari; tum quia possunt prodesse *ex opere operantis*; tum quia ipsa communio, tanquam pars integralis sacrificii, potest prodesse *ex opere operato*. Ex hac opinionum diversitate *inferes* tutius esse applicationem fieri tam pro vivis quam pro defunctis ante consecrationem.”³

3. De Missa Praesanctificatorum dicetur infra (p. 959-963).

4. Ipsum opus transsubstantiationis, quod est compendium quoddam miraculorum, absolvitur in instanti, et similiter confectio cuiuslibet sacramenti consistit essentialiter in ipso instanti quo terminatur forma verborum, nec tota eius essentialis celebratio quae hoc instans praecedit, seu positio materiae et formae, requirit magis quam breve tempus.

Jam ceteras partes Missae singillatim consideremus:

³ De Euch., diss. 8, a. 2, obj. 2, inst. 3, Parisiis, 1904, p. 202.

A. *OFFERTORIUM*.

Oblatio verbalis quae praecedit consecrationem non pertinet ad essentiam sacrificii. Nam:

1. Non importat immutationem rei oblatae.
2. Nec est oblatio victimae seu rei quae offertur in sacrificium, scilicet corporis Christi, sed meri panis et vini.
3. Non repraesentat passionem Christi.
4. Non fit in persona Christi, principalis offerentis, sed Ecclesiae, ut patet ex ipsis formulis.
5. Non est institutionis Christi sed Ecclesiae, et quidem non valde antiquae.
6. Potest omitti, seu suppleri oblatione “mente concepta”, ubi post Offertorium materiae invalidae alia apponitur (cf. Rubricas Missalis. De defectibus, III et IV).

7. In ipsis verbis, quae Offertorium comitantur, significatur sacrificium nondum offerri sed tantum praeparari: “Veni, sanctificator omnipotens, aeterne Deus, et benedic hoc sacrificium, tuo sancto nomini praeparatum.” Ad futurum sacrificium vel ad ea quae ipsum praeparant referuntur cetera verba quae Offertorium componunt aut sequuntur: “Suscipe . . . hanc immaculatam hostiam”, “Offerimus . . . calicem salutaris”, “In spiritu humilitatis . . . sic fiat sacrificium nostrum”, “Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem”, “Orate, fratres: ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum”.

Ratio quae pro contraria sententia posset invocari, scilicet necessitas vocalis oblationis, quae non in consecratione sed in Offertorio invenitur, nulla est, quoniam potest vera et explicita oblatio fieri absque vocali expressione, per ipsam nempe actionem immolationis cum intentione oblativa.

B. *ELEVATIO HOSTIAE AUT CALICIS*, tam major post consecrationem, quam minor ante Pater Noster, non pertinet ad essentiam sacrificii. Nam:

1. Non importat immolationem.
2. Non repraesentat passionem Christi.
3. Non fit in persona Christi.
4. Non est institutionis Christi sed Ecclesiae (elevatio major instituta est in medio aevo, elevatio minor est antiquior).
5. Potest omitti cum post consecrationem materiae invalidae alia apponitur consecranda ac statim sumitur (cf. Rubricas Missalis, De defectibus, III, 5 sq.; IV, 5).

C. *OBLATIO ORALIS POST CONSECRATIONEM*, seu oratio “Unde et memores”, non pertinet ad essentiam sacrificii. Nam:

1. Non importat immolationem.

2. Non repraesentat passionem Christi, quamvis eam verbaliter commemoret (“Memes . . . beatae passionis . . . resurrectionis . . . ascensionis”).

3. Non fit in persona Christi, ut patet ex verbis “Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejusdem Christi . . . passionis”.

4. Non est divinae institutionis, nec ab ipso Christo in coena adhibita fuit, quantum scimus ex Scriptura.

5. Potest omitti (ut supra).

Ratio autem adversariorum de necessitate vocalis oblationis non tenet, ut diximus quoad Offertorium.

D. *FRACTIO HOSTIAE* non pertinet ad essentiam sacrificii. Nam:

1. Non repraesentat, nisi imperfecte, passionem Christi, nec ceterum talis imperfectus symbolismus est ei insitus aut ex divina institutione, sed adventitius et ex quorundam theologorum interpretatione (cf. infra).

2. Exercetur circa species, non vero circa victimam seu corpus Christi quod nequaquam frangitur, ut quidam delirando putarunt (cf. p. 430).

3. Exercetur unice circa speciem hostiae, non vero circa speciem vini, quae tamen aequaliter pertinet ad rationem sacrificii quod est secundum ordinem Melchisedech.

4. Non est divinae institutionis, quamvis fuerit a Christo adhibita (probabiliter quidem ante suam consecrationem) eique Ecclesia aliquod momentum inde ab antiquo tribuerit.

5. Proinde omitti potest, si nempe hostia consecrata dilabatur in calicem (cf. Rubricas Missalis Rom., De defectibus, X, 10; 5. *Thomam*, q. 83, a. 6, ad 6, mox citand., p. 953).

6. Imo quaedam ex antiquioribus liturgiis, ut *Constitutiones Apostolorum* et *Testamentum Domini Nostri Jcsu Christi*, prorsus silent de fractione panis. “In byzantina liturgia ix saeculi nulla fit fractio infra actionem. Fractio autem panis ante actionem sane nequit pro parte intrinseca sacrificii haberi.”⁴

Supra expositis rationibus adversariorum respondetur:

1. Repraesentatio passionis Christi maxime consistit in repraesentatione separationis sanguinis a corpore, ad quam significationem frac-

⁴ *De la Taille*, *Mysterium fidei*, elue. 34, Parisiis, 1931, p. 433, in nota.

tio hostiae apta non est. Praeterea immediato symbolismo hujus fractionis potius obstat Scriptura, Joan. 19, 33. 36: "Non fregerunt ejus crura . . . ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo" (cf. Exod. 12, 46; Num. 9, 12; Psal. 33, 21).

Nomen ipsum "fractio panis" (Act. 2, 42) non magis probat sacrificium consistere in fractione quam nomen "coena dominica" (1 Cor. 11, 20) probet illud consistere in coena vel communione. Utrumque nomen tribuitur Eucharistiae, indistincte ut sacramento et sacrificio, ratione communionis, quae est finis sacramenti et complementum sacrificii.

Ut dictum est in art. 44 (p. 881 sq.), genuinitas lectionis κλώνον valde probabiliter negatur ab eruditis; unde nequit ulla solida ratio in ea fundari. Ceterum illa vox, dicta de pane, designat metaphorice ipsum actum panem offerendi potiusquam ipsam actionem frangendi in qua metaphorica acceptio vocis fundatur.

2. Non est exaggerandum momentum hujus fractionis, nec minus recte intelligendus ejus finis et symbolismus.⁵

Ejus momentum non tanti est quin, ut dictum est, fractio panis possit juxta Rubricas omitti et in quibusdam antiquis liturgiis probabiliter prorsus defuerit.

Ad ejus finem quod attinet, "fractio non est inducta propter se, aut ad aliquid per seipsam significandum. Acta est a Christo ad disper-tiendum: et hic est finis ejus intrinsecus. Deinde acta est ab Ecclesia: primo propter eundem finem; secundo, etiam deficiente hoc fine, propter imitationem Christi; tertio, in ordine ad mixtionem specierum faciendam: qua, concinentibus satis liturgiis et liturgistis, resurrectio designaretur symbolice post semel designatam sacramentaliter passionem in separata specierum consecratione."⁶

Ceterum "nec ipsa mixtio inducta est primitus ad significandum. Ortum habuit ex consuetudine sacramentum ex praecedente missa reservandi, aut etiam ab episcopo transmissum recipiendi in signum communionis: quod calici immergebatur (fortasse propter duritiam ac siccitatem). Cujusmodi consuetudo cum obsolevit, successit in ejus locum ritus noster hodiernus deputans calici particulam panis intra eandem missam consecrati. Cf. Corblet, Histoire du Sacrement de l'Eucharistie, 1886, t. 2, p. 11."⁷

Ad eius symbolismum quod attinet, videtur esse pium inventum tardioris aetatis, praesertim mediaevalis.

* Cf. *De la Taille*, *ibid.*, p. 433-437.

⁵ *De la Taille*, *ibid.*, p. 436 sq.

⁷ *De la Taille*, *ibid.*, p. 437, in nota.

“In aliis pervetustis liturgiis [exceptis supra dictis Const. Apost. et Test. D.N. J.Ch.J, ut *Serapionis, Sancti Jacobi, Sancti Marci*, invenitur quidem sed nulla adnotata interim significatione dominicae mortis. Immo apud Serapionem, clare satis in annexa oratione indicatur scopus proprius fractionis esse, *ut divisum sacramentum multorum communioni fiat aptum*.

“In liturgia graeca *Sancti Jacobi* fit quaedam fractio ritualis (κλάσις), praevia ad illam comminutionem seu partitionem (ἰλλισ/χὸ): sed *ideo tantum, ut pars consecrati panis calici immergatur* (B. 62,8 cf. 581): ubi resurrectionis potius quam mortis cum omnibus fere liturgiarum expositoribus agnoveris symbolum.

“Deinceps accrevit quidem fractioni in quibusdam liturgiis, sane paucioribus, varii symbolismi, praesertim passionem respicientes, ut in liturgia syriaca *Sancti Jacobi* (B. 97-99; cf. Max. Saxon. *Missa Syriaca antiochena*, p. 37-38); aliquando etiam fragmentis in modum crucis dispositis (hodierna liturgia *Sancti Chrysostomi*, B. 393; *Liturgia mozarabica*, P.L. 85, 557-558); vel (in prothesi) dissecto pane in modum crucis per lanceam (hodierna liturgia *Sancti Chrysostomi*, B. 357-358).”

Inter Patres *Chrysostomus* (In 1 Cor., hom. 24, n. 2), *Augustinus* (Ep. 149, 16) et *Gregorius M.* (Dial. 4, 58), loquentes de fractione, non symbolismum passionis in ea vident sed tantum scopum distributionis, imo Chrysostomus talem symbolismum non obscure respuit, inquit: “Cur autem [Paulus] addidit ‘quem frangimus’? Hoc enim in eucharistia videre est; in cruce vero non item, immo contrarium. Ait enim: ‘os non comminuetur’. Sed quod non passus est in cruce, hoc patitur in oblatione propter te, et sustinet se confringi, ut omnes impleat” (1. c., M.G. 61, 200).

Symbolismum passionis primo enuntiavit apud Graecos S. *Euctychius* Patr. Const. (saec. 6), apud Latinos vero *Beda* (In Mare. 14, 22). Magis clare deinceps proponitur a *Paschasio Radberto* (Lib. de corp, et sang. Domini. 4, 1), a *Card. Humberto* (Adv. Graec. calumnias, 31) et praesertim a *Lanjrancus* (Lib. de corp, et sang. Domini, 13), quos secuti sunt posteriores theologi, uti *Albertus M.* (In 4 Sent., dist. 13, e. 15), S. *Thomas* (q. 77, a. 7; q. 83, a. 5, ad 7 et 8; In 1 Cor. 11, lect. 5) et *Suarez* (Disp. 84, sect. 1, η. 6).

Lanjrancus: “Sacramenta enim illarum rerum quarum sacramenta sunt semper similitudinem gerunt, sicut in sacramento, de quo haec quaestio ventilatur, dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora

† Id est, *Brightnian*, Liturgies western and eastern, vol. 1 Eastern liturgies, 1896, p. 62.

* *De la Taille*, 1. c., p. 433 sq.

fideliū funditur, quid aliud quam dominici corporis in cruce immolatio ejusque sanguinis de latere effusio designatur?" (1. c., M.L. 150, 423).

S. *Thomas*: q. 77, a. 7, cit. in p. 372.

q. 83, a. 5, ad 7: "Fractio hostiae tria significat, primo quidem ipsam divisionem corporis Christi, quae facta est in passione; secundo distinctionem corporis mystici secundum diversos status; tertio distributionem gratiarum procedentium ex passione Christi, ut Dionysius dicit [De eccl. hier., c. 3] ; unde talis fractio non inducit divisionem Christi."

3. *Ad textum S. Thomae* (2-2, q. 85, a. 3 ad 3) concedimus S. Doctorem alludere ad Eucharistiam (cf. supra, p. 797 sq.), sed inde non sequitur ipsum sentire quod fractio pertineat ad essentiam sacrificii. Ibi enim loquitur directe de sacrificio in genere ac docet immutationem sacrificalem posse consistere in aliqua immutatione panis, uti fractione, esu, benedictione. Allusio ad sacrificium eucharisticum, necnon fortasse ad sacrificium Melchisedech, est tantum indirecta nec intendit S. Doctor determinare in qua panis immutatione unum vel alterum vel utrumque ex illis sacrificiis essentialiter consistat. Potuit quidem sacrificium Melchisedech consistere in fractione vel alio genere destructionis, sicut Eucharistia de facto consistit in sola benedictione consecrativa.

Cum vero S. Doctor sacrificium ipsum Eucharistiae directe considerat, manifeste in q. 83, a. 6, ad 6, significat fractionem non esse de essentia sacrificii, inquiens: "Fractio hostiae consecratae, et quod una sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum, sicut admixtio aquae significat populum; et ideo horum praetermissio non facit imperfectionem sacrificii, ut propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem hujus sacramenti."

E. *COMMIXTIO HOSTIAE CUM VINO CONSECRATO* non pertinet ad essentiam sacrificii. Nam:

1. Non importat immolationem.
2. Exercetur non circa victimam, seu corpus Christi, sed tantum circa species.
3. Non repraesentat passionem Christi, seu separationem sanguinis a corpore, sed potius contrariam morti resurrectionem (cf. supra, p. 951).
4. Non est divinae institutionis nec a Christo adhibita.
5. Potest omitti (ut supra). Ad rem S. *Thomas*, q. 83, a. 6. ad 6. nuper cit.

F. *COMMUNIO CELEBRANTIS*, quamvis sit, ipsaque sola, pars integrans sacrificii, non pertinet tamen ad eius essentiam.

COMMUNIONEM CELEBRANTIS ESSE SALTEM PARTEM INTEGRANTEM SACRIFICII, ut docent communissime theologi contra paucos (ut Vasquez et Viva supra citatos), patet:

1. *Ex verbis Christi*, Matth. 26, 27: “Accipite et comedite. . . Bibite ex hoc omnes”. Intimus nexus quo haec verba coniunguntur cum verbis consecratis ac sacrificiis “Hoc est etc. — Hic est etc.” manifestat sacrificium et communionem esse intime connexa, ita saltem ut communio pertineat ad sacrificium ut pars eius integralis.

2. *Ex sensu Ecclesiae*.

Cone. Tolet. XII, can. 5 (cit. in p. 553 sq.), relato in Decreto, p. 3 De Consecr., dist. 2, c. 11 (M.L. 157, 1735 sq.), id aequivalenter docet cum ait: “Quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?” Ex quorum verborum tenore apparet necessitatem communionis celebrantis repeti non tam ex jure ecclesiastico quam ex natura sacrificii, vel si placet ex jure divino fundato in ipsa exigentia rei.

Cone. Trid., sess. 13, cap. 8 (cf. can. 10), idem sentire videtur cum ait morem communionis celebrantis “tanquam ex traditione apostolica descendente” retinendum esse (Denz. 881).

Nisi communio celebrantis pertineret saltem ad integritatem sacrificii non explicaretur sollicitudo Ecclesiae in praescribendo in *Rubricis Missalis Romani* (De defectibus) ut si aliquid venenatum contigerit vinum vel hostiam post consecrationem, iteretur consecratio in alia hostia vel vino ut possit fieri communio (X, 6 sq.); item ut si violetur Ecclesia post peractam consecrationem sacerdos acceleret sumptionem sacramenti, omissis omnibus aliis (X, 2); item ut si celebrans post consecrationem graviter infirmetur “Missa per alium Sacerdotum expleatur . . . et in casu necessitatis etiam per non jejunum” atque prior ille celebrans, si potest communicare, suscipiat a supplente unam ex hostiis a se consecratis, imo partem majoris hostiae, si aliae desint (X, 3).

3. *Ex ratione sacrificii*, tum in genere tum eucharistici.

“Eucharistia non solum est sacramentum, sed etiam *sacrificium*. *Quicumque autem sacrificium offert*, debet sacrificii fieri particeps, quia exterius sacrificium, quod offertur, signum est interioris sacrificii, quo quis seipsum offert Deo, ut Augustinus dicit [De civ. Dei, 10, 5]. Unde per hoc quod participat sacrificio, ostendit ad se sacrificium interius pertinere.

“Similiter etiam per hoc quod sacrificium populo dispensat, ostendit se esse dispensatorem divinorum, quorum ipse primo debet esse parti-

ceps, sicut Dionysius dicit [De cedes, hier., c. 3, vers. fin.]. Et ideo ipse ante sumere debet quam populo dispenset. Unde et in praedicto cap. [Cone. Tolet.] legitur: 'Quale est sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?' Per hoc autem fit particeps quod de sacrificio sumit, secundum illud Apostoli [1 Cor. 10, 18]: 'Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?' Et ideo necesse est quod sacerdos, quotiescumque consecrat,umat integre hoc sacramentum (q. 82, a. 4).

Praeterea sacrificium ipsum *eucharisticum* constituitur sub forma cibi, i.e. in pane et vino consecrato, ex quo assumit peculiarem ordinationem ad sumptionem tamquam ad connaturalem sui consummationem et complementum. Consummatio autem et complementum sacrificii ab eo primo et per se poni debet a quo ponitur ipsa ejus essentia.

Nota 1. Quidam ex theologis qui dicunt communionem sacerdotis esse partem integrantem sacrificii, docent nihilominus eam non certo esse de jure divino, vel saltem non referre utrum sit de jure divino an ecclesiastico (ita *Suarez, Van Noort, Michcl, Hervé*). Utrumque tamen assertum reiciendum est.

Celebrantis communionem, et quidem sub duplici specie, esse *necessariam de jure divino* probavimus in art. 27 (Conci. 1) et sequitur etiam ex hoc ipso quod talis communio sit pars integrans sacrificii. Partes enim integrantes sequuntur conditiones partium substantialium, quamvis versentur extra ipsam substantiam; unde si Christus tale instituerit sacrificium quod connaturaliter requirat complementum communionis, haec necessario cadit sub lege divinae institutionis, secus Christus sacrificium mutilum instituisset.

Ob eandem rationem reiciendus est modus loquendi quorumdam (uti *Pesch*, n. 896) qui *alias caeremonias*, quas mere accidentales vocavimus, nempe oralem oblationem, fractionem, mixtionem, dicunt esse *partes integrantes* Missae. Nequit enim Ecclesia facere ut aliquid sit pars integrans sacrificii, quamvis possit quibusdam actionibus, ad essentiam vel integritatem sacrificii non pertinentes, tantum adnectere momentum ut pertineant ad essentiam obiecti legis ecclesiasticae de assistentia sacrificio eucharistico, ita ut qui soli essentiali et integral) partibus sacrificii assistat, consecrationi nempe et communioni, non substantialiter satisfaciat praecepto ecclesiastico ac mortaliter peccet (De cuius rei determinatione occupantur theologi Morales).

Nota 2. Ex eo quod, ut probabitur in Conci, seq., essentia sacrificii consistit in consecratione utriusque speciei sequitur *communionem sub utraque specie* pertinere ad integritatem sacrificii.

Quod etiam *confirmatur* 1. ex supradicta sollicitudine *Ecclesiae* in

praescribendo ut si non possit sumi una ex speciebus consecratis, eo quod v.g. aliquid venenatum illam contigerit, iteretur ipsa consecratio, eo nempe fine ut sacramentum sumi possit sub duplici specie (Rubricae Missalis Rom., De defectibus, X, 6 sq.); 2. ex *praecepto Christi* in ultima coena: “Accipite et comedite. . . Bibite ex hoc omnes” (Matth. 26, 27) quod certe celebrantes respicit, cum ad laicos communicantes non referatur ut probatum est in art. 27 (cf. p. 555 Primo).

Obiectio vero quae posset deduci ex iisdem *Rubicis Missalis* (De defectibus, X, 3) et ex *Missa Ordinationis* in qua concelebrantes communicant sub unica specie, soluta est in eodem art. 27 (p. 553, Dices).

Nota 3. Ex eo quod communio sit pars integrans sacrificii sequitur quod *celebrans teneatur ex jure divino communicare de suo sacrificio*, seu de hostia et vino a se consecrato, secus non servaretur connaturalis numerica unitas essentiae cum sua parte integrante. Nequit ergo celebrans sumere hostiam ab alio vel a se in alio sacrificio consecratam et hostiam praesenter consecratam servare, puta pro processione vel benedictione cum ostensorio.

Hoc innuit *Cone. Tolet.* supra citatum (p. 954) et supponit *Rubrica Missalis* (1. c., X, 6 sq.) praescribens ut si hostia consecrata non possit sumi, alia consecratur (si enim posset celebrans sumere hostiam in alio sacrificio consecratam, frustranea esset nova consecratio, imo sacrilega, cum non esset necessaria ad complendum sacrificium).

Unde *contraria sententia* paucorum, uti *Henriquez* (De sacrif., l. 9, c. 9, § 2) et *Fagundez* (De I praeecepto Ecclesiae, l. 3, c. 4, n. 26; c. 5, n. 20), reicienda est ut improbabilis et contra communem sensum Ecclesiae ac theologorum.

Ad rem *Lugo*: “Hoc . . . est contra sensum Ecclesiae, et omnium doctorum. . . Merito . . . illam sententiam improbabilem omnino esse, dixit *Joan. Praepositus* in praesenti, qu. Ixxxiii, art. 1, dub. vii, n. 50, et nostram ut certam omnino supponit *Caspar Hurtado* disp, vi de Euchar. difficultate ix, in fine.”¹⁰

COMMUNIO CELEBRANTIS NON PERTINET AD IPSAM ESSENTIAM SACRIFICII.

Et quidem primo, communio celebrantis non constituit totam essentiam sacrificii (contra *Bellord* et *Renz*). Nam secus:

1. Sequeretur quod offerre sacrificium eucharisticum sit idem ac communicare; quod est damnatum ut haereticum a *Cone. Trid.*, sess.

¹⁰ De Euch., disp. 19, sect. 5, n. 76, Parisiis, 1892, p. 249 sq.

22, can. 1, definiente: “Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari: A.S.” (Denz. 948).

Inde plures theologi (ut *Diekamp* et *Hervé*) dicunt esse *de fide* communionem celebrantis non constituere totam essentiam sacrificii; id autem dicimus *saltem theologice certum*, quatenus posset aliquis effugere condemnationem Concilii dicendo totam essentiam sacrificii reponi quidem in communione, non ita tamen ut communicare sit formaliter idem ac offerre, sed ita ut communicando quis simul offerat aut imolet. Sententia autem *Renz*, et praecipue *Bellord*, si ratione suae ambiguitatis a nota erroneitatis absolvatur, saltem *temeraria* dicenda videtur.

2. Sequeretur quod sacerdos communicans extra Missam offerret sacrificium, saltem si quis dicat ad sacrificium sufficere communionem sub unica specie, vel si sacerdos communicaret sub utraque specie (juxta morem antiquum, vel juxta morem orientalem, vel in quibusdam casibus de quibus dictum est in p. 545). Nec refert si dicatur consecrationem essentialiter praerequiri ut conditionem qua affertur vel praeparatur victima sacrificii; nam id supponitur factum per aliam consecrationem.

Similiter sequeretur laicos, sive intra sive extra missam communicantes saltem sub utraque specie (juxta praedicta), offerre sacrificium non minus quam sacerdotes. Nec refert quod laici nequeant consecrare; nam, juxta doctrinam adversariorum, consecratio est tantum externa conditio requisita ad praeparandam victimam.

3. Sequeretur, contra communem sensum theologorum (cf. infra, p. 959 sq.), quod *Missa Praesanctificatorum* in Feria VI in Parasceve sit per se sola verum sacrificium, saltem si quis dicat in communione sub unica specie salvam substantiam sacrificii; quod, quamvis a *Bellord* et *Renz* non dicatur, est tamen congruum eorum principiis.

4. Communio non habet rationem oblationis Deo factae, sed potius susceptionis doni divini. Fundamentum doctrinae *Bellord*, sacrificium nempe non consistere essentialiter in oblatione sed in convivio seu commercio cum divinitate, refutatum est in art. 43 (p. 793 sq.).

5. A fortiori nostrum assertum probant rationes mox afferendae quoad secundum assertum.

Secundo, communio celebrantis neque partialiter constituit essentiam sacrificii (contra *Soto*, *BeUarmino*, *Lugo*, *Salmanticenscs*, *S. Alphonsum*). Nam:

1. Secus sequeretur intentionem applicationis missae poni posse post

utramque consecrationem et ante communionem, quod est contra communem sensum theologorum dicentium missam applicandam esse ante consecrationem saltem secundae speciei.

2. In omnibus sacrificiis tum verae tum falsae religionis convivium sacrificale prae se fert indolem participationis sacrificio jam peracto, ac consideratur tanquam medium ad consequendum ejus fructum.

S. *Paulus*, 1 Cor. 10, 18, ait: “Qui edunt hostias, participes sunt altaris [i.e. sacrificii]”.

Signanter in *Liturgia Missae*, in orationibus et formulis quae communionem praecedunt vel comitantur, non amplius fit mentio oblationis sed tantum expostulantur praecipui fructus sacrificii, ut liberatio a malis et peccatis, pax in Christo, unio cum Deo, consecutio vitae aeternae.

Concinne S. *Thomas*: “Sumptio pertinet ad rationem sacramenti, sed oblatio pertinet ad rationem sacrificii” (q. 79, a. 7, ad 3). In q. 82, a. 4 (supra cit., p. 954 sq.), S. Doctor manifeste supponit communionem non pertinere ad essentiam sacrificii cum ait: “Quicumque . . . *sacrificium offert*, debet *sacrificii fieri particeps*”.

3. Communio ipsius Christi celebrantis in ultima coena non certo et explicite commemoratur in Scriptura (cf. art. 3, p. 79 sq.); vix autem credibile est quod evangelistae omisissent certam illius mentionem, si ipsa non secus ac consecratio pertineret ad essentiam sacrificii in ea coena celebrati.

4. Celebrans dum communicat *non gerit personam Christi* sed agit in persona propria et nomine proprio, ut patet tum ex ipsa indole actionis, tum ex verbis liturgicis eam comitantibus, quae, aliter ac verba consecratoria, habent sensum personalem privatum non secus ac in communionem fidelium (“Corpus D.N.J.Ch. custodiat animam meam [vel, tuam] in vitam aeternam”).

5. Inconveniens videtur dividere essentiam sacrificii inter duas actiones toto coelo differentes, quarum una sit tantum oblatio (consecratio), alia sit tantum immolatio (communio); non videtur enim quomodo servari possit unitas numerica sacrificii, seu oblationis immolativae, nisi eadem actio sit simul oblativa et immolativa.

Ex quo patet inepte invocari a *Salmanticensibus* (supra cit., p. 939 sq.) paritatem inter unitatem sacrificii in duplici consecratione et unitatem sacrificii in duplici actione quarum una sit tantum oblatio, altera tantum immolatio; unitas enim sacrificii ideo salvatur in duabus consecrationibus quia indivisibiliter faciunt unum subiectum in quo invenitur ratio tum oblationis tum immolationis.

6. Communio consistit in ipso motu locali specierum ad stomachum, qui *non est actio sacerdotalis*, tum quia sacerdos illum non exe-

quitur sed potius patitur, tum quia non fit in altari sed in corpore communicantis.

7. Communio celebrantis *non repraesentat passionem Christi*, quidquid in contrarium asserant adversarii, qui ut praecipuum fundamentum suae doctrinae proponunt ipsam rationem repraesentationis passionis, quam sibi fingunt fieri in sola communione prout est destructiva esse sacramentalis Christi.

Etenim communio nullam importat destructionem sed est simplex motus localis seu trajectio specierum in stomachum (cf. art. 35, p. 700); corruptio vero specierum et consequens cessatio ipsius esse sacramentalis Christi sunt quid posterius communione.

Ceterum destructio huius esse sacramentalis est natura posterior ipsa corruptione specierum, non est quid sensibile, nec repraesentat separationem sanguinis a corpore in qua passio Christi consistit.

Ad rem *Vasquez*: “Per solam manducationem, ante corruptionem specierum, non desinit esse corpus Christi sub speciebus. sed eodem modo sub illis manet, et solum mutatur secundum locum, dum per accidens sub speciebus movetur: quae quidem mutatio minime sufficit ad sacrificium, ut constat. Quare, potius in corruptione specierum, quam in manducatione, hoc sacrificium consisteret: quod nullus dixit, et manifeste absurdum est: inde enim sequeretur fore ut sacrificium Christi incruentum non in altari fieret a sacerdote, sed in stomacho, quando in eo species corrumpentur; quod quidem interdum accidere posset tempore eo quo sacerdos ad mensam sederet ad prandendum: quod est manifeste absurdum.”¹¹

Ex dictis patet responsio ad supra relatas rationes adversariorum.

Primo enim, in communione nulla habetur repraesentatio passionis, quae e contrario in consecratione est manifesta.

Secundo, sollicitudo Ecclesiae de sacrificio complendo per communionem apte explicatur ex eo quod communio sit pars integrans sacrificii.

Tertio, Missa Praesantificatorum in Feria VI in Parasceve nullo modo est sacrificium, quamvis sic vocetur latiori quadam ratione mox exponenda.

NOTA. DE MISSA PRAESANTIFICATORUM NON UNO MODO SENTIUNT THEOLOGI.

Quidam (ex iis qui negant consecrationem esse de essentia sacrificii) docent eam esse *verum sacrificium*. Ratio est tum quia sacerdos inter orandum (in Offertorio et ad Orate Fratres) eam vocat sacrificium,

¹¹ In 3 p. S. Thomae, Disp. 222, c. 4, n. 23, Lugduni, 1631, p. 408.

tum quia fideles tenerentur illi assistere si in die Parasceve incideret dies festus de praecepto, tum quia fideles communiter putant eam esse sacrificium, tum quia oportet illam pertinere ad aliquod genus actionis religiosae nec videtur posse ad aliam reduci quam ad speciem sacrificii, tum quia nihil ei deest ex his quae sunt de ratione sacrificii, scilicet oblatione et repraesentatione passionis Christi.

Alii docere videntur illam missam esse *incompletum sacrificium*, eo quod habeatur in ea aliquid pertinens ad sacrificium (puta communio), desit vero consecratio (nec non communio sub altera specie); incompletum autem sacrificium intelligunt sacrificii praecedentis diei complementum aut essenziale (ita Lugo et Arauxo) aut intégrale (ita quidam ex his qui nobiscum docent communionem esse partem integrantem sacrificii).

Alii docent Missam Praesanctificatorum *nullo modo esse verum sacrificium, nec incompletum*, sed tantum meram celebrationem in qua, retentis quibusdam caeremoniis missae non essentialibus et in eius similitudinem, commemoratur peculiari quodam modo passio Christi in die anniversaria mortis et sepulturae eius.

Haec sententia, quae est vera et communior inter theologos (cuique adstipulantur etiam plures qui docent communionem esse de essentia sacrificii, ut *Salmanticenses*, n. 41), probatur:

Primo, ex eo quod in Missa Praesanctificatorum deest tum consecratio, tum communio sub duplici specie, tum communio sacrificialis quae jam facta est in una hostia in sacrificio praecedenti; unde sumptio alterius hostiae, ex priori sacrificio reservatae, non differt a qualibet communionem fidelium post celebrantem tum intra tum extra missam, nec sacerdos communicat ut sacrificans sed tantum ut celebrans specialem aliquem ritum Ecclesiae.

Secundo, ex communi ac traditionali sensu doctorum.

Ipsa vox Missa Praesanctificatorum innuere videtur hanc celebrationem non esse sacrificium sed caeremoniam circa rem *pracsanctificatam*, juxta sensum traditionalem vocis sacrificii (“sacrum factum” vel “sacri factio”).

Innocentius I († 417), Epist. ad Decentium, c. 4: “Non dubium est, in tantum eos [i.e. Apostolos] jejunasse biduo [mortis Christi] . . . , ut *traditio Ecclesiae habeat*, isto biduo sacramenta penitus non celebrari” (M.L. 20, 556).

Capitularia (Collectio Benedicti diaconi), l. 3, c. 430: “Ut in sancto paschae sabbato die et parasceve missae non agantur. Ut sabbato sancto, hoc est in vigilia paschae, ieiunium ante noctis initium nisi a

parvulis aut infirmis non solvatur; nec missa in parasceve aut in eodem sabbato sancto vel divina mysteria his duobus diebus celebrentur. *Canonibus quippe jubentibus* biduo ista sacramenta penitus non debent celebrari” (M.L. 97, 852).

Pseudo-Alcuinus, De div. offic., c. 18: “Cur autem *hodie missa non cantatur*, sed neque in Sabbato sancto, donec ad vigiliis noctis, sanctus *Innocentius papa* in Decretalibus dicit: Isto biduo sacramenta penitus non celebrari, quia percussus est pastor, et oves ejus gregis dissipatae sunt; seu quod apostolos, quos imitari debemus, isto biduo in tristitia et moerore fuisse, et jejunos usque in resurrectionem permansisse credimus. In die Parasceve ideo non cantatur, quia ipsa die Jesus Christus seipsum hostiam obtulit Deo Patri pro nobis, et ipsa oblatio sufficit ad salutem credentium” (M.L. 101, 1208).

Amalarius, De eccl. offic. 1, 13: “Hic . . . dicendum est ex Decretalibus *Innocentia papae*, quare *missa non cantetur in sexta feria* et in septima. Nam utique, inquit, constat apostolos biduo isto in tristitia et in moerore fuisse, et propter metum Judaeorum se occuluisse, quod utique, non dubium est, in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut *traditio Ecclesiae* habeat, isto biduo sacramenta penitus non celebrari” (M.L. 105, 1026; cf. *ibid.*, 4, 20).

Rabanus Maurus, De cleric. instit. 2, 37: “In hac die sacramenta penitus non celebrantur; sed Eucharistiam in coena Domini consecratam, peracto officio lectionum et orationum, et sanctae crucis salutatione, resumunt, quia, ut *Innocentius papa* testis est, ex eo quod apostoli et amatores Christi eo biduo quo crucifixus et sepultus Salvator est, in moerore constituti, ab omni cibo abstinuerunt se, hinc *traditio Ecclesiae* habet biduo memorato sacramenta non celebrari, sed magis sanctam resurrectionis noctem expectari, et in ipsa cum laetitia et gaudio speciali *sacrificium offerri*” (M.L. 107, 349).

Rupertus, De div. offic. 6, 3: “Hodie *non sacrificemus*, dum nobis hostia tollitur de manibus. Non sacrificent amici, dum trucidant inimici” (M.L. 170, 156).

Hugo a S. Victore, Miscellanea, l. 7, tit. 43: “Verum cur [Feria VI in Parasceve] a missarum celebratione vocamus, et a publicis cessamus gaudiis, cum passio Dominica quae hac die peracta est, principium sit nostrae salutis ac consummatio? . . . Hodie non sacrificemus dum nobis hostia de manibus tollitur; non sacrificent amici, dum trucidant inimici, differatur usque in diem illum quo tantus victor resurgens, suam nobis victoriam nuntiabit” (M.L. 177, 891).

Idem (vel probabilius *Robertus Paululus*), De offic. eccl. 3, 20: “Quaeritur quare hac die missa non cantetur, sed *corpus Christi reservatum die praecedenti sumatur*. Ad quod dicitur, ex decreto Innocentii

papae, missa hoc biduo non celebrari, ut in pastoribus Ecclesiae status temporis illius apud apostolos ostendatur, qui sicut propheta praedixerat, percusso pastore dispersi erant (Zach. xiii). Inde est etiam quod nec Dominus 'vobiscum', nec 'Deus in adiutorium' his diebus dicitur nec aliquid eorum quae pertinent ad presbyterorum officium. Quaeritur iterum quare hac die non sumatur sanguis Christi sicut et caro Christi. Ad quod dico quod utrumque sub utraque specie sumitur. Sed quia species vini labilis non potest tuto reservari, sine ea corpus Christi reservari constitutum est, vel quia Dominus in coena dixit: 'Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum cum illud bibam novum vobiscum in regno meo' (Matth. xxvi). Ecclesia a die coenae usque ad diem Paschae (quae in vespere incipit; unde in cerei benedictione dicitur: 'Haec nox est quae peccatorum', etc.) de hoc genimine vitis bibere non consuevit" (M.L. 177, 450 sq.).

5. *Thomas*, q. 83, a. 2, sibi obicit: "Cum . . . hoc sacramentum sit commemorativum dominicae passionis, videtur inconueniens esse quod in die Natalis ter celebretur hoc sacramentum; in Parasceve autem totaliter intermittatur." Et respondet ad 2: "Dicendum, quod veniente veritate, cessat figura. Hoc autem sacramentum est figura quaedam et exemplum dominicae passionis, sicut dictum est. Et ideo in die quo ipsa passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio hujus sacramenti. Ne tamen Ecclesia ea etiam die sit sine fructu passionis per hoc sacramentum nobis exhibito, corpus Christi consecratum die praecedenti reservatur sumendum in illo die; non autem sanguis, propter periculum, et quia sanguis specialius est imago dominicae passionis, ut supra dictum est (qu. Ixxviii, art. 3 ad 2). . . In die autem Nativitatis plures missae celebrantur propter triplicem Christi nativitatem."

Argumentis igitur primae sententiae respondetur:

Missa Praesantificatorum vocatur sacrificium improprie et latiori significatione, tum quia, omisa oblatione corporis Christi, adhuc continet oblationem corporis mystici seu Ecclesiae quae pergit offerre Deo interius sacrificium, tum quia constat pluribus precibus et caeremoniis quae adhibentur in sacrificio missae, tum quia in ea sacerdos consummat unam ex hostiis consecratis in praecedenti vero sacrificio illudque veluti ab extrinseco perficit solemniore modo quam perficitur in ordinaria fidelium communione.

De facto obligatio audiendi missam nunquam urget in die Parasceve quia Ecclesia postponit festum quod forte in hac die occurrat. Si vero ita Ecclesia non disponderet, quidam, ut *Vasquez* et *Gonet*, sentiunt quod urgeret praeceptum assistentiae officio huius diei, non quod sit

sacrificium, sed quia non aliter ab Ecclesia illo die celebratur officium publici cultus circa Eucharistiam, alii vero, ut *Salmanticenses* et *Billuart*, melius dicunt quod obligatio assistendi nullatenus urgeret quia lex Ecclesiae respicit ipsum sacrificium missae.

Communis sensus doctorum, a quo mensuratur sensus fidelium recte cogitantium, est illud officium non esse sacrificium.

Illa celebratio essentialiter pertinet ad genus actus cultus, ad quod pertinet tum communio tum aliae caeremoniae et preces quae in ea adhibentur; praeterea reductive pertinet ad sacrificium, quatenus omnis communio, etiam non celebrantis, est aliquo modo extrinsecum complementum sacrificii.

In illa celebratione, deficiente consecratione, non adest oblativa et immolativa repraesentatio passionis.

Praeter tres supra dictas rationes quidam adversarii opponunt sequentes auctoritates:

Verba Christi inter sacrificandum: “Accipite et comedite. . . Bibite ex hoc omnes” (Matth. 26, 27), quae videntur innuere communionem pertinere ad essentiam sacrificii.

Augustinus, De civ. Dei, 17, 5, 5: “Quia enim dixerat superius dedisse se domui Aaron cibos de victimis veteris Testamenti, ubi ait, ‘Dedi domui patris tui omnia quae sunt ignis filiorum Israel in escam’; haec quippe fuerant sacrificia Judaeorum: ideo hic dixit, ‘manducare panem’; quod est in novo Testamento sacrificium Christianorum” (M.L. 41, 536).

Gregorius M., Dial. 4, 58 (cit. supra, p. 909 sq.): “Pro nobis iterum [Christus] in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur” (M.L. 77, 425).

5. *Thomas*, q. 82, a. 4 (cit. supra, p. 954 sq.), ait: “Quicumque . . . sacrificium offert, debet sacrificii fieri particeps”; 2-2, q. 85, a. 3, ad 3 (cit. supra, p. 797), alludens ad sacrificium eucharisticum, recenset esum panis seu communionem inter ea quae sacrificii essentiam constituunt.

Respondetur:

Verba Christi non magis implicant quam praeceptum integrandi sacrificium per communionem celebrantis, ut dictum est supra (p. 954).

Augustinus usurpat nomen sacrificii ad designandam manducationem panis consecrati ratione obiecti sacrificii seu victimae quae in ea continetur, ut patet ex comparatione cum escis sacrificabilibus Judaeorum quas etiam sacrificia appellat quaeque tamen non erant ipsum

sacrificium sed res sacrificatae. Ex qua comparatione etiam apparet hunc textum S. Doctoris esse potius argumentum quo contra ipsos obicientes confirmatur communionem non pertinere ad essentiam sacrificii sicut non pertinebat esus victimae in A.T.

Gregorius loquitur de participatione sacrificii, non de actione in qua sacrificium essentialiter consistit; e contrario paulo post (cf. p. 910) explicite asserit immolationem ipsam fieri in momento consecrationis (“In ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem coelos aperiri”).

5. *Thomas* in primo textu obiecto loquitur de necessitate participandi sacrificio, adeoque praesupponit sacrificium participationi ipsius, ut supra notatum est; in altero vero textu allusio ad sacrificium eucharisticum est tantum indirecta et indeterminata, ut dictum est supra (p. 953) ubi de fractione, quae etiam ibidem commemoratur a S. Doctore, quaeque tamen, fatentibus adversariis, non pertinet ad essentiam sacrificii.

G. *COMMUNIO FIDELIUM*, seu distributio Eucharistiae, non pertinet ad essentiam sacrificii. Nam:

1. Id ostendunt rationes allatae quoad communionem celebrantis.

2. Communio fidelium non est actus proprie sacerdotalis, tum quia est actus ipsorum fidelium, tum quia distribui potest a diaconis, tum quia distribuitur etiam extra celebrationem missae. Unde si pertineret ad essentiam sacrificii, hoc offerretur, saltem partialiter, etiam a fidelibus, a diaconis et extra missam.

3. *Cone. Trid.*, sess. 22, can. 8 (cf. cap. 6), definit non esse illicitas missas in quibus solus sacerdos communicat (Denz. 955, cit. in p. 847); jamvero non liceret celebrare si aliquid omitteretur quod pertinet ad essentiam sacrificii; unde communio fidelium nec partialiter pertinet ad essentiam sacrificii. *Ibid.*, cap. 6, Concilium, probans et commendans missas in quibus communio non distribuitur, docet in eis sacerdotem pro omnibus fidelibus celebrare (Denz. 944, cit. in p. 846); celebrare autem missam est juxta mentem Concilii sacrificium offerre; unde communio fidelium non est saltem tota essentia sacrificii.

Pius VI contra Pistorienses idem docet, ac praeterea ut falsam, erroneam et haeresim sapientem damnat propositionem quae asserat “ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus, qui nec sacramentaliter nec spiritualiter de victima participant” (Denz. 1528, cit. in p. 843). Unde communio fidelium nec partialiter pertinet ad essentiam sacrificii.

Conclusio 3. Ad essentiam sacrificii eucharistici requiritur duplex consecratio, ita ut unica consecratio per se sola sit quidem incompletum sacramentum sed nullum sacrificium, prima vero consecratio quam de facto altera subsequitur sit tantum inchoatio sacrificii (S. Thomas, cit. in p. 942).

Probat.

1. *Juxta Scripturam* Christus in duplici consecratione sacrificavit in ultima coena, ut patet vel ex ipsis expressionibus sacrificialibus quae inveniuntur in formulis utriusque consecrationis (cf. in p. 873 sqq.). Praecepit autem eundem essentialiter ritum renovandum, inquit: "Hoc facite in meam commemorationem". Illum *Apostolos* servasse constat ex 1 Cor. 10, 16 (cf. art. 32, p. 633 et 640).

Patres relati in Conci. 1 (p. 945), loquentes de hoc sacrificio, ad duplicem consecrationem se referunt explicite (cf. Irenaeum, Nyss., Naz., Isidorum) vel implicite.

2. *Ecclesia* a celebratione missae sub duplici specie nunquam dispensavit, quamvis aliquando graves rationes eam dispensationem requirere videantur, uti necessitas administrationis Viatici vel ipsius celebrationis missae pro populo, ubi una species deficiat (sive casu, sive ob penuriam vini vel difficultatem illud asservandi in regionibus frigidioribus). Et tamen *Ecclesia* suam disciplinam temperavit vel prorsus mutavit quoad communionem laicorum sub utraque specie.

Ut dictum est in art. 32, frustra *obiciuntur* celebratio *Missae Praesantificatorum* (p. 633), quippe quae non sit sacrificium, et duo casus dispensationis in hac re (p. 643 sq.), quippe qui sint nulla fide digni.

Sensus *Ecclesiae* manifeste apparet etiam in *documentis* citatis in eodem articulo (p. 633 sq. 640).

3. *Ratio* symbolica et prophetica *sacrificii Melchisedech* in pane et vino suadet necessitatem utriusque consecrationis in sacrificio missae, cum oporteat antitypum respondere figurae.

Praecipua vero ratio deducitur *ex indole repraesentativa passionis Christi*. Nam separatio sanguinis a corpore, in qua passio Christi praecipue constitit, minus saltem expresse repraesentatur per unicam consecrationem qua signum solius corporis vel solius sanguinis proponitur (ita quidam, ut *Lugo* supra cit., p. 942 sq.). Imo videtur ea nullatenus repraesentari. Nam passio Christi importat duo, scilicet 1. corpus et sanguinem simul, 2. eaque ad invicem separata. Jamvero una consecratio 1. non exprimit vi verborum nisi aut corpus aut sanguinem. 2. nec proinde exprimit eorum separationem.

Frustra autem diceretur hanc implicite ac sufficienter exprimi hoc ipso quod vi verborum in consecratione panis corpus significatur et sanguis non significatur, nam aliud est sanguinem non significari et aliud est sanguinem significari ut separatum, secus inde sequeretur etiam Personam Verbi significari ut separatam a corpore, quae tamen nec in passione fuit ab hoc separata.

Ad rem S. Thomas, q. 76, a. 2, ad 2: “In passione Christi, cujus hoc sacramentum est memoriale, non fuerunt aliae partes corporis ab invicem separatae, sicut sanguis, sed corpus indissolutum permansit, secundum quod legitur Exodi xii, 46: ‘Nec os illius confringetis’. Et ideo in hoc sacramento seorsum consecratur sanguis a corpore, non autem aliqua alia pars ab alia.”

Signanter S. Doctor (cf. p. 927 et 942) insistit in necessitate duplicis consecrationis ad hoc ut per repraesentationem passionis Christi, seu separationis corporis et sanguinis, habeatur ratio sacrificii.

Nota 1. Ordo prioritatis et posterioritatis inter duas consecrationes non influit in essentiam et validitatem sacrificii, cum sit quid accidentale et indifferens ad rationem repraesentationis passionis Christi, adeoque consecrans calicem ante hostiam offert verum et perfectum sacrificium.

Id tamen pertinet de jure divino ad rectam rationem celebrandi, ut patet ex modo quo ipse Christus ipsum sacrificium institutionis celebravit et ex sensu Ecclesiae ac theologorum, adeoque praemittens calicis consecrationem graviter peccat, nisi id requirat ratio perficiendi ipsum sacrificium in casu quo consecrata fuerit materia panis invalida (*Rubricae Missalis, De defectibus, III, 5; cf. X, 7*).

Nota 2. Ex hoc quod tota essentia sacrificii consistit in sola ac duplici consecratione sequitur quod sacerdos mere consecrans utramque speciem, nempe extra missam vel omissis omnibus aliis caeremoniis, offert verum et perfectum sacrificium, quamvis illud magno sacrilegio coinquinet.

In contrarium *Priimmer* hanc singularem profert opinionem: “Probabiliter est *invalida* consecratio facta extra Missam. Etenim ‘sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum’ [Decr. pro Armenis]. Iamvero sacerdos neque in persona Christi neque iuxta intentionem Ecclesiae agit, quando vult consecrare extra Missam. Nam potestas consecrandi non est alia ac potestas Missam celebrandi. Quare in ordinatione presbyteri dicitur: ‘Accipe potestatem offerre sacrificium.’ Quae cum ita sint, probabiliter *invalida* est consecratio,

si e.g. malus sacerdos pronuntiaret verba consecrationis super panes in emporio pistrino conservatos.”¹²

Haec sententia reicienda est sive quatenus negat validitatem unius consecrationis, sive quatenus negat, ut videtur, etiam validitatem utriusque consecrationis, extra missam seu caeremoniarum celebrationem. Sacerdos quippe agit in persona Christi eo ipso quod intendit verba consecrationis proferre tanquam ex ore Christi (haec enim verba sunt ex se effectiva), nec alia est aut esse potest intentio Ecclesiae, quod attinet ad rei validitatem.

Invocata autem ratio aequipollentiae inter potestatem consecrandi et potestatem offerendi non simpliciter valet, tum quia consecrare non est idem ac sacrificare nisi identice et ratione materiae, tum quia consecratio est duplex, sacrificium vero est unum quid (cf. dicta in art. 32, p. 631 sqq.).

Ad consecrationem praecipue extra missam factam refertur S. *Thomas* cum ait sacerdotem posse “consecrare immensam quantitatem panis aut vini, puta *totum panem qui venditur* in foro, aut totum vinum quod est in dolio”, item posse intendere “consecrare corpus Christi propter aliquem malum finem, puta ut irrideat, vel *veneficia jaciat*” (q. 84, a. 3, corp, et ad 2; cf. q. 83, a. 3, ad 8).

Validitatem similiter consecrationis extra missam videtur supponere *Codex J.C.*, can. 817, dum eam graviter illicitam declarans, ait: “Nefas est, urgente etiam extrema necessitate, alteram materiam sine altera, aut etiam utramque, extra Missae celebrationem, *consecrare.*”

ART. 47. Utrum Sacrificium Missae Consistat Formaliter In Ipsa Oblatione Atque Immolatione Crucis, Prout Repraesentative Reiterata In Mystica Mactatione Ejusdem Victimae, Per Consecrationem Peracta.

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de *ESSENTIA MISSAE FORMALITER CONSIDERATA SUB RATIONE SACRIFICII*. Cum enim in art. praec. determinatum sit in qua actione sacrificium inveniatur, quaerendum jam venit sub qua formali ratione talis actio (i.e. consecratio, vel ceterum quaelibet alia caeremonia) sit sacrificium.

Haec quaestio constituit *CRUCEM MODERNORUM THEOLOGORUM* et durissimum nodum in cujus solutione insudarunt innu-

¹²Thcol. Moral., t. 3, n. 176, Friburgi Br., 1923, p. 132.

merae eorum theoriae inde a tempore Concilii Tridentini. Doctrina enim traditionalis, in Concilio consecrata, statuit:

1. Sacrificium missae esse *essentialiter relativum et repraesentativum*, seu rationem suam sacrificalem derivare ex sua conjunctione cum sacrificio crucis; ex quo oritur *difficultas*: quomodo id componi possit cum ratione veri et proprie dicti sacrificii; si enim premitur ratio repraesentationis, videtur supprimi ratio proprie dicti sacrificii, ac illud identificari cum sacrificio crucis, si vero insistitur in ratione proprie dicti sacrificii, videtur illud separari quoad suam essentiam a sacrificio crucis.

2. Sacrificium missae consistere in quadam *incruenta oblatione et immolatione*; ex quo exurgit *difficultas* concipiendi quomodo corpus Christi, quod tum in se tum sacramentaliter est impassibile, possit subici verae, quamvis incruentae, passioni et immolationi; quod si dicatur immolationem sumendam esse pro oblatione, non intelligitur quomodo in sola oblatione salvari possit tum repraesentatio sacrificii crucis tum vera ratio sacrificii, quae videtur requirere aliquam rei oblatae destructionem sive immutationem.

Omnia solutionis tentamina, a theologis proposita, fluctuant inter conceptum sacrificii relativi et conceptum sacrificii absoluti, et inter rationem oblationis et rationem immolationis, atque ad *TRES CAPITALES SENTENTIAS* reduci possunt, quarum prima essentiam missae reponit in conceptu *repraesentationis*, secunda in conceptu *immolationis*, tertia in conceptu *oblationis*.

Sequenti autem schemate breviter proponi possunt, antequam congruenti expositioni et discussioni subiciantur.

1. Sententia *sacrificii-repraesentationis*.

A. Theoria sacrificii *mere repraesentativi* seu improprie dicti. Renz (Wieland).

B. Theoria sacrificii *relativi*. Vasquez.

2. Sententia *sacrificii-immolationis*.

A. Theoria immolationis *realis*.

a. Opinio immutationis *circa panem et vinum*. Suarez.

b. Opinio immutationis *circa ipsum corpus Christi*.

Explicatio Bellarmini.

Explicatio Viva.

Explicatio Lugo (Franzelin).

B. Theoria immolationis *virtualis*. Lessius (Gonet).

C. Theoria immolationis *mysticae seu sacramentalis*. Pasqualigo (Billot).

3. Sententia *sacrificii-oblationis*.A. *Theoria solius oblationis*.

Opinio Lepin.

B. *Theoria oblationis coniunctae cum immolatione crucis*.

Opinio Pesch.

Opinio De la Taille.

Quamvis in tanta opinionum varietate vix possit certae solutionis inveniendae concipi spes, videtur tamen traditionalibus conceptibus conformius omnes praedictas sententias, prout saltem a suis patronis proponuntur, reicere ac essentiam sacrificii missae reponere in ipsa oblatione et immolatione crucis prout representative reiteratur in mystica mactatione eiusdem victimae, per consecrationem peracta.

Quod per duas conclusiones, alteram negativam, alteram affirmativam, praestare conabimur.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Essentia sacrificii missae non recte assignatur sive in sententia sacrificii-repraesentationis, sive in sententia sacrificii-immolationis, sive in sententia sacrificii-oblationis.

Exponuntur ac refelluntur tres capitales sententiae cum subordinatis theoriis et opinionibus.

1. *SENTENTIA SACRIFICII-REPRAESENTATIONIS.*A. *THEORIA SACRIFICII MERE REPRAESENTATIVI SEU IMPROPRIE DICTI. Renz. Wieland}}**Expositio.*

Unicum verum ac proprie dictum sacrificium Christi est sacrificium crucis; nam, ait Renz, verum sacrificium requirit destructionem sui ipsius, solus autem Christus potuit se ipsum tradere in mortem ac tantummodo in cruce id fecit, nec in altari iteratae sui destructioni aut ulli sui gloriosi corporis immutationi subici potest.

Unde tum sacrificia A.T. tum missa nequeunt esse verum et proprie dictum sacrificium, sed tantummodo signum vel repraesentatio unici veri sacrificii crucis. Quae repraesentatio in missa continetur in comunione seu epulo sacrificali (juxta Renz) vel in consecratione seu potius oratione consecrativa (juxta Wieland). Attamen in missa non solum habetur repraesentatio sacrificii crucis sed etiam quodammodo

"Cf. supra, p. 839 sq. et 931 sq.

continetur ipsum sacrificium crucis, ratione praesentiae corporis et sanguinis Christi, a quo oblatio sacrificialis in cruce peracta est inseparabilis; sub hoc respectu missa dici potest verum et proprium sacrificium, sed ita est omnino unum et idem sacrificium cum sacrificio crucis.

Unde missa considerata directe et secundum se, abstrahendo a praesentia Christi et a praedicta identificatione cum sacrificio crucis, est sacrificium tantum improprie dictum, nullam importans oblationem et destructionem, eiusque tota essentia consistit in hoc quod communio vel consecratio sit signum seu repraesentatio sacrificii crucis.

Critica.

Ut taceamus de falsitate aliorum quae a Renz asseruntur, quaeque ex dictis in art. 43 et in art. praec. refelluntur (scilicet verum sacrificium requirere destructionem ipsius hominis, sacrificia A.T. non fuisse vera sacrificia eorumque rationem fuisse meram relationem ad sacrificium crucis, missam consistere essentialiter in communione), notandum est quod praecipuum assertum tum Renz tum Wieland de ratione sacrificii missae, non videtur conciliari posse cum doctrina Traditionis et Ecclesiae. Nam haec sententia expungit a missa qua tali veram rationem sacrificii, dum *Cone. Trid.* definit missam esse "*verum et proprium sacrificium*" (sess. 22, can. 1) ac missam distinguit a sacrificio crucis tanquam sacrificium a Christo *relictum* quo cruentum sacrificium crucis repraesentatur (cap. 1) *sub diversa oSerendi ratione* (cap.2).

Ad rem *Pesch*: "Renz secundum suam theoriam fateri debet missam stricte loquendo non esse verum sacrificium sed solum ita appellari. Hoc autem est contra unanimem persuasionem theologorum et totius populi christiani. Tota haec theoria in illis, quae Renz ex Patribus collegit, fundamentum non habet, immo vix ac ne vix quidem conciliatur cum doctrina Traditionis. . . Nova illa theoria [est] inaudita in ecclesia".1*

B. THEORIA SACRIFICII RELATIVI. *Vasquez.*

Expositio.

Doctrina ipsius Vasquesii ad haec reducitur: Consecratio ideo habet rationem sacrificii seu actionis immolativae quia, ob mysticam seu sacramentalem separationem corporis et sanguinis Christi et ob ipsam praesentiam Christi sub speciebus consecratis, *est repraesentatio sacrificii crucis*. Sic est verum sacrificium, sed essentialiter *relativum*.

Ad quam doctrinam sic ipse pervenit:

* De Euch., n. 897, Friburgi Br., 1914, p. 434.

Sacrificium in genere, formaliter consideratum, consistit in signo reali nostrae agnitionis divini domini in vitam et mortem; materialiter vero consideratum, consistit in oblatione et immutatione rei, imo in ipsa immutatione rei quae offertur, ita ut directius sit immutatio quam oblatio.

Attamen duplex est genus sacrificii: absolutum (ut sacrificium crucis) et relativum (cuius unicum exemplum est missa). In priori requiritur necessario immutatio seu destructio rei quae offertur, in altero vero id non requiritur, sed sufficit quod in eo repraesentetur ipsa immutatio quae habetur in correspondente sacrificio absoluto, nam in hac repraesentatione vel repraesentativa destructione salvatur definitio formalis sacrificii, seu signum reale agnitionis divini domini in vitam et mortem.

Missa igitur est sacrificium verum sed relativum, consistens in eo quod offertur Deo Christus sub immolatione non reali sed repraesentativa, seu sub signis repraesentantibus realem immolationem absoluti sacrificii crucis, per quam mortis repraesentationem denotatur Deus ut auctor vitae et mortis.

In qua sententia haec elementa inveniuntur:

Consecratio. Haec sola constituit sacrificium totum et totaliter, ita ut communio vel alia actio non sit nec pars integrans sacrificii (cf. p. 941 et 959); nam sacrificium in genere consistit in destructione vel in repraesentatione destructionis, haec autem tantum in consecratione invenitur.

Mystica destructio, seu sacramentalis separatio corporis et sanguinis Christi. Haec non est constitutiva formalis rationis huius sacrificii, quasi hoc consisteret in ipsa mystica immolatione (sicut in sententia *Billot* infra exponenda), sed se habet ut conditio vel materia in qua invenitur ratio formalis sacrificii, seu ipsa repraesentatio physicae destructionis immolativae quae fuit in cruce. Aliis verbis, missa non est sacrificium in quantum est mystica destructio, sed in quantum est repraesentatio realis destructionis, quae repraesentatio invenitur in mystica destructione.

Praesentia corporis et sanguinis Christi. Si sub signo repraesentativo suae immolationis ipse Christus non contineretur, non posset dici ipsum Christum offerri in sacrificium, nec ideo haberetur relativum sacrificium, sed merum signum passionis.

Oblatio corporis Christi. In cuius tamen explicatione Vasquez non insistit, totus intentus in explicanda ratione immolationis.

Immolatio seu realis destructio. Haec non in ipso sacrificio eucharistico invenitur sed in termino ad quem ipsum refertur, i.e. in sacrificio

absoluto crucis. Et quidem oportet ut in sacrificio absoluto vera destructio inveniatur, secus nullo modo haberetur sacrificium relativum seu repraesentativum verae destructionis. Notetur hic differentia ab opinione *Pesch* et *De la Taille* (infra exponenda), juxta quam immolatio realis crucis ingreditur rationem sacrificii eucharistici, ut moraliter unita oblationi eucharisticae.

Repraesentatio ipsius realis destructionis crucis. In hoc formaliter est ratio huius sacrificii.

Ad rem ipse Vasquez, Comm, in 3 partem S. Thomae, Lugduni, 1631, t. 3:

“Sacrificium . . . [est] nota divinae omnipotentiae, qua est auctor vitae et mortis, et cuius nutu res omnes esse et destrui possunt. Et ideo, ex parte rei quae pro nota sacrificii assumitur, et requiritur immutatio, ut ea denotemus ita nos a Deo pro nutu voluntatis ipsius destrui et conservari posse, sicut res oblata in sacrificium a nobis immutatur” (Disp. 220, c. 3, n. 22, p. 393).

“Ex his quae diximus, veram definitionem sacrificii, tam ex parte formae, quam ex parte materiae, breviter et facile colligere possumus. Primum quidem ex parte formae, hoc est, ex parte significationis, hoc modo: *Sacrificium est nota existens in re: qua profitemur Deum auctorem vitae et mortis.* Per notam autem existentem in re intelligimus signum quod est in rebus, et ita loco illius poni potest res, ut excludamus notam quae est in verbis. Quia vero divina omnipotentia ad conservandum et destruendum omnia, immutatione rei quae offertur recte denotatur, et sine illa apte significari non posset, ideo ex parte materiae hoc modo definitur: *Sacrificium est res quae per sui immutationem Deo offertur, seu mutatio rei quae Deo offertur*” (ibid., n. 25, p. 394).

“Notandum est, duplex esse genus sacrificii: quoddam enim est *absolutum*, nempe quod non est alterius sacrificii commemoratio, veluti mactatio pecudis, vel alterius rei consumptio. Aliud vero dici potest *relativum* seu *commemorativum*, cuius exemplum solum habemus in sacrificio altaris, quod commemorativum dici potest: et quamvis in hoc non fiat immutatio rei quae hoc modo offertur, reperitur tamen vera significatio et nota divinae omnipotentiae, sicut in sacrificio absoluto, et ita non minus ei convenit vera ratio sacrificii quam sacrificio cruento et absoluto” (ibid.).

“Est tamen primum valde observandum, ad sacrificium commemorativum quod vere et proprie sacrificium dicitur non satis esse si solum sit signum nudum mortis alicujus rei, nullo modo continens rem ipsam, cuius mors repraesentatur: sic enim non diceretur res illa, cuius mors

repraesentatur, in sacrificium offerri, neque vere commemorativum sacrificium, quin potius signum tantum et larva sacrificii esset; sed *necessario requiri ut res ipsa, cujus mors repraesentatur, sit signum mortis sui ipsius*. Verbi causa, si vera esset sententia haereticorum, qui negant sub speciebus panis et vini corpus et sanguinem Christi, et substantia panis et vini ibi esset, repraesentari quidem posset mors Christi, ut ipsi haeretici etiam concedunt, at Christus in sacrificium non vere et reipsa, sed tantum in figura offerri, et ita non tantum in sola figura et similitudine mori, sed etiam immolari diceretur” (Disp. 222, c. 8, n. 66 sq., p. 416).

“Cum igitur dicimus, ad veram rationem sacrificii pertinere immutationem rei quae offertur, intelligendum est ita ut res illa saltem absoluto sacrificio, licet non commemorative mutetur. *Si enim nullo modo mutaretur, nullo modo diceretur in sacrificium offerri*. Quomodo autem in commemorative sacrificio sit nota divinae omnipotentiae et colatur Deus ut auctor vitae et mortis, etiamsi in eo res quae offertur non mutetur, . . . monstrabimus” (Disp. 220, c. 3, n. 27, p. 394).

“Cum ipsemet Christus sit sub speciebus panis et vini, et circa illum actio sacerdotis offerentis ipsa ita versetur, ut ipsemet per species panis et vini, ex modo peculiari quo a sacerdote consecratur, repraesentet cruentam et realem mortem sui ipsius, et *ea repraesentatione denotet Deum auctorem vitae et mortis*, quamvis non dicatur re ipsa et vere, sed in sola figura et similitudine, occidi et mori, tamen vere et re ipsa immolari, et in sacrificium offerri dicitur” (Disp. 222, c. 8, n. 67, p. 416).

“Cum ex vi verborum, sub specie panis solum corpus Christi, et sub specie vini solus sanguis constituatur, licet sub qualibet specie totus Christus per concomitantiam sit, ex utriusque speciei consecratione hoc modo facta conflatur repraesentatio quaedam separationis sanguinis a corpore, per quam fit mors et dicitur mystica separatio; mors etiam ipsa repraesentatur, et ideo mystica mactatio dicitur” (Disp. 223, c. 4, n. 37, p. 427).

“In qua mactatione et mystica separatione, eo ipso quod per illam significatur cruenta Christi mactatio et sanguinis ejus a corpore realis separatio, rationem incruenti et commemorativi sacrificii positam esse diximus” (Disp. 222, c. 9, n. 77, p. 419).

“Dico igitur, actionem consecrationis eatenus solum, sacrificium seu actionem immolandi esse, quatenus per illam efficitur ut, ipso corpore et sanguine Christi consecrato et realiter ibi contento . . . cruentum illius sacrificium, quod in cruce oblatum est, repraesentetur” (ibid., c. 7, n. 57, p. 415).

Critica.

Minores dejectus huius sententiae sunt sequentes:

Dubitari potest an dominium Dei in vitam et mortem pertineat ad directum et formale obiectum significationis sacrificii in genere (cf. art. 43, p. 791 sq.). Inepte excluditur communio a ratione partis integran- tis sacrificii (cf. art. praec., p. 954 sq.). Definitio sacrificii relativi non plane concordat cum definitione sacrificii in genere; nam destructio praedicatur de sacrificio in genere et de sacrificio absoluto, negatur vero de sacrificio relativo. Ratio oblationis non sufficienter explicatur; quaeri enim potest: sacrificium missae, juxta Vasquez, consistitne in actuali oblatione ac simul in repraesentatione realis destructionis crucis, an in repraesentatione utriusque, scilicet tum realis oblationis tum realis destructionis crucis?

Praecipuus vero dejectus huius sententiae est in eo quod, prout prostat, *non videtur salvare rationem immolationis*, quae est de essentia sacrificii in genere (cf. art. 43, p. 794 sqq.) et de essentia huius sacrificii, juxta *Cone. Trid.* docens in missa Christum “incruente immolari” (Denz. 940) et “per sacerdotes sub signis visibilibus immolari” (Denz. 938)'. Repraesentatio autem immolationis crucis, *jormaliter ut est relatio signi*, non est immolatio, nec ideo est sacrificium sed merum signum sacrificii crucis, sicut habebatur repraesentatio sacrificii crucis in sacrificiis A.T.

Nec ceterum ipsa praesentia Christi sub tali signo potest mutare eius rationem ac facere ut sit sacrificium, sed ex tali praesentia sequeretur tantum Christum, sub speciebus sacramentaliter separatum, esse signum suipsius ut in cruce realiter divisi, quemadmodum, inquit *Lugo*, “licet filia Jephthe, quae olim fuit sacrificata, nunc resurgeret, et adesset in tragoedia qua sua mors repraesentaretur, non diceretur nunc vere et proprie sacrificari”.¹⁶

Meritum huius sententiae est in eo quod insistat in ratione essentialiter relativa sacrificii missae, quae est praecipuus *traditiemalis conceptus* huius sacrificii, consecratus in verbis *Cone. Tridentini* docentis missam esse “sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur . . . sola offerendi ratione diversa” (Denz. 938. 940).

Unde, nonobstantibus praedictis defectibus, videtur haec sententia longe aliis praecellere, quatenus directe intra lineam traditionalis ac maxime fundamentalis conceptus relativitatis huius sacrificii suam

¹⁶ De Euch., disp. 19, sect. 4, n. 58, Parisiis, 1892, p. 242.

inquisitionem dirigit, ac facilius ita compleri vel corrigi possit ut veritatem assequatur.

Ad rem *J. Perrone*: “Vasquezus, his difficultatibus permotus, aliam subiecit definitionem, quae illas declinet, et faciliorem sternat viam ad veritatem sacrificii nostri vindicandam adversus protestantes. . . Nos minime contendimus hanc unicam viam esse ad veritatem sacrificii nostri adstruendam, sed hoc unum dicimus eam nobis videri commodiorem ad propositum finem obtinendum, sive quia tollit praecipuam difficultatem, qua eadem veritas impugnatur, sive quia patrum effata optime cum ea conciliantur, sive demum quia protestantes, ea semel constituta, nihil amplius habent, quo a doctrina catholica circa hunc articulum admittenda retrahantur. Duo siquidem tantum in hac sententia requiruntur et sufficiunt, ut adstruatur veritas sacrificii missae, realis scilicet Christi praesentia in eucharistia, quam superius constitutumus; et repraesentatio sacrificii crucis, quam nec ipsi adversarii inficiari possunt inesse in eucharistiae celebratione. Tantum porro abest, ut exposita doctrina fidei nostrae aliqua ratione adversetur, ut non pauci theologi in concilio Tridentino eam proposuerint ad constabiliendam catholicam veritatem hujus sacrificii¹⁶.”¹⁷

Ad rem *Lepin*: “Tandis que son [i.e. Vasquesii] explication du sacrifice eucharistique, prise en elle même, et sans rapport avec sa définition, *impressionnera fortement les théologiens, et d'autant plus qu'elle ne fait que préciser en l'illustrant une thèse de tradition ancienne*, sa définition du sacrifice relatif, au contraire, ne sera tenue qu'en médiocre considération.”¹⁸

Ad rem *Michel*: “On pourra trouver plus ou moins heureuse la solution du sacrifice purement relatif, contenant la victime même du sacrifice absolu dont il est la représentation figurative; on devra reconnaître cependant que cette solution *répond à une préoccupation théologique très légitime*.”¹⁹

Sententiam Vasquesii (quoad suam essentiam, seu quatenus reponit rationem sacrificii missae in repraesentatione sacrificii crucis) sequuntur magis vel minus explicite et determinate *Fr. Véron* (t 1649),²⁰ *C. Roncaglia* (t 1734),²¹ *Bouvier* (t 1854),²² *J. Perrone* (t 1876),²³

¹⁶ Cf. *Pallavicini*, *Istoria del Concilio di Trento*, lib. xviii, cap. 2.

¹⁷ Praei. Theol., De Euch., pars posterior, circa initium, ed. Migne, Parisiis, 1867, col. 245 sq.

¹⁸ L'idée du sacrifice de la messe, Paris, 1926, p. 410.

¹⁹ In Diet. Théol. Cath., art. Messe, col. 1151.

²⁰ Règle de la Foy catholique, Paris, 1646 (in Migne, Theol. Cursus, t. 1), c. 2, § 14.

²¹ *Universa moralis theologia*, tract. 18, q. 2, c. 1, Augustae Vindel. et Dillingae, 1736.

²² Citatus supra, p. 813.

²³ Nuper citatus.

*B. Wclte,*²ⁱ *Dorn Souben,*TM *Lebreton*^{2*} *Gotzmann,*^{2l} *Schepens,*^{2'}
*Coghlan*TM *A. Sanda.*³⁰

2. SENTENTIA SACRIFICII IMMOLATIONIS.

Expositio.

Haec sententia, in sua generalitate valde communis inter theologos posttridentinos, docet essentiam sacrificii missae consistere in quadam immolatione seu immutatione rei oblatae, distincta ab immolatione crucis, quamvis ad hanc essentialiter relata.

Admittitur igitur repraesentatio sacrificii crucis, non tamen ut id in quo consistit essentia sacrificii (ut in sententia Vasquez) sed ut id quod necessario consequitur ac subiectatur in ea ratione quae constituit essentiam. Haec autem ratio non est tantum oblatio (ut vult tertia sententia infra referenda) sed etiam ac praecipue immolatio rei oblatae, distincta ab immolatione crucis.

Critica.

Dejectus huius sententiae, in sua generalitate inspectae, est in eo quod non videtur servare essentialem unitatem sacrificii missae cum sacrificio crucis, seu essentialem relativitatem sacrificii missae, introducendo alteram immolationem, distinctam ab immolatione crucis, quamvis ad hanc necessario relata.

Apparet igitur esse quidam recessus a linea conceptus traditionalis, quem inaugurarunt plures theologo posttridentini, eo quod falso putarent non aliter quam quaerendo aliquam mutationem in ipsa missa responderi posse Protestantibus obicientibus missam non esse sacrificium utpote quae nullam Christi immutationem importet.

“Praeterea, inquit *De la Taille*, talis intellectus sacrificii faceret in eucharistia sacrificium absolutum, cuiusmodi nimirum consisteret etiam remota passione: quod Patrum praedicationi, a nobis recitatae ad nauseam, contradiceret.. .

“Tandem laborat difficultate non tenui sententia, qua admissa, nihil servatur in missa propitiatorii, quod stet quidem penes ipsa intrinseca sacrificii elementa, sed tantum aliunde accedens et quasi extrinsecus

¹“Art. Messe in Diet, encycl. de la théologie catholique (Wetzer et Welte; trad, ex germanica lingua a Goschler).

²* Nouvelle théologie dogmatique, t. 7, Les sacrements, v. 1, Paris, 1907, p. 134 sq.

³· In Diet. Apol., art. Eucharistie, col. 1582 sq.

⁴”Das eucharistische Opfer nach der Lehre der ältern Sdiolastik, Freiburg i. Br., 1901, p. 91.

⁵“In Nouvelle revue théologique, 1907, p. 491.

⁶” De SS. Eucharistia, Dublin, 1913, p. 466.

⁷“Synopsis theol. dogm. specialis, t. 2, § 294, n. 5, Friburgi Br., 1922.

affixum atque emendicatum; contra persuasionem (ni fallor) antiquitatis et universi populi christiani: inesse missae ex propriis vim repropitiandi, et non solum impetrandi.”¹¹

Meritum tamen huius sententiae in eo reponitur quod insistat in immutatione rei oblatae tanquam in elemento essentiali ac inseparabili omnis sacrificii tam absoluti quam relativi, juxta ea quae diximus in art. 43 (p. 794 sqq.).

In determinanda autem natura huius immolationis seu immutationis dividitur haec sententia in *tres theorias* non parum discrepantes, prout proponunt immolationem vel *realem*, vel *virtualem*, vel *mysticam*.

A. THEORIA IMMOLATIONIS REALIS.

Sacrificium eucharisticum consistit in reali destructione vel immutatione facta circa rem quae offertur, i.e. vel circum panem et vinum vel directe circa corpus Christi.

a. OPINIO IMMUTATIONIS CIRCA PANEM ET VINUM. *Suarez.*

Expositio.

Sacrificium missae formaliter consistit in hoc quod per consecrationem substantia panis et vini destruitur seu immutatur ut inde producat vel obtineatur corpus et sanguis Christi quae in honorem Dei offeruntur. Inde immolatio eucharistica constat veluti duplici actione seu immutatione, altera destructiva, altera productiva, quarum prior essentialiter ad alteram ordinatur tanquam ad principalem in ratione sacrificii.

Haec sententia, quae *Baium praecursorem*, *Suaresium vero expositorem et pcrjctorcm habuit*, per unum fere saeculum floruit apud magnos theologos posttridentinos, scilicet *Baium* (1563), *Galenum*, *Turrianum*, *Toletum*, *Suarez* (1594), *Tanner*, *Becanum*, *Coninck*, *Arriaga* (1655); fere extincta est per duo circiter saecula, donec ad brevem vitam revocata fuerit a duobus modernis doctoribus, scilicet *Scheeben* (t 1888) et *P. Schanz* (t 1905).

Galenum, *Suarez*, *Arriaga*, *Scheeben* et *Schanz* citavimus in art. 43 (p. 801-806). In doctrina *Baii* et *Tanner* aliquid peculiare notandum offertur.

Michael Baius (t 1589) imprimis videtur negare ipsam indolem veri sacrificii in missa, ut patet ex supra relata (art. 44, p. 839) propositi-

¹¹ *Mysterium Fidei*, elue. 24, Parisiis, 1931, p. 314-316.

one damnata a Pio V, necnon ex sequentibus verbis ejusdem operis:³² “Igitur ipsa Eucharistiae confectio non ideo a fidelibus peculiariter nomine sacrificii praedicatur, quod, inter sacramenta, sola sacrificium sit, sed quia inter omnia sacrificia sic eminet, ut nomen aliis commune veluti proprium sibi vindicare mereatur.”

Ad abundantiam autem ac veluti suppositive, hanc addit explicationem sacrificii eucharistici:

“Quidam hic anxie laborant, ut ostendant hujus confectionem sacramenti, non tantum esse oblationem, sed etiam proprii nominis sacrificium; de cujus ratione esse contendunt, ut res quae offertur etiam mutatione aliqua sanctificetur. Quam difficultatem, etsi a veteribus observatam discussamque non invenerim, attamen sic expediri posse existimo, ut, quemadmodum in sacrificio populi veteris vitulus et vivens sacrificium dicebatur, quia id erat quod occisione erat sanctificandum, et occisus, quia erat hostia jam immolatione sanctificata, quam qui edebant efficiebantur altaris participes: sic etiam, in Eucharistiae sacramento, panis et vinum sacrificium dici possunt, tanquam illa a quibus ipsa mutatio sumit initium. . . Et ipsum Christi corpus et sanguis sub specie panis et vini contenta dicuntur sacrificium, tanquam res in quas fit sancta mutatio. . . Quapropter utroque modo recte dicimus, videlicet sacrificium panis et vini, hoc est, ex pane vinoque confectum, et sacrificium corporis et sanguinis Domini, hoc est, ipsa vera hostia, sacra quadam transmutatione confecta, cujus participes sunt omnes qui in Ecclesia Christi ad altare Domini pertinent.”

A. Tanner (t 1632) aliquatenus differt ab aliis doctoribus, quatenus nempe videtur immutationem perfectivam potius negligere ac in sola destructione panis et vini immutationem sacrificalem reponere: “Sacrificatio, inquit, essentialiter est actio consecrativa, oblativa et destructiva rei oblatae per modum materiae, ex dictis: quod totum excellentissime convenit consecrationi. Nam et per eam ex pane profano et terreno, sub iisdem speciebus, fit panis vivus et caelestis; per eam destruitur admirabili modo tota substantia panis et vini, idque, juxta intentionem Ecclesiae et offerentis, ad protestandam divinam excellentiam ac majestatem, cujus tanta potentia in utraque illa actione elucescit.”³³

Critica.

Defectus peculiaris ac praecipuus hujus sententiae est in eo quod ex ipsa logice sequitur sacrificium eucharisticum versari circa elementa

³² De sacrificio, c. 6, in Opera, Coloniae Agrippinae, 1596, t. 1, p. 160.

³³ Theol. schol., disp. 5 De Euch., q. 9, dub. 2, Ingolstadii, 1627, t. 4, coi. 1287.

panis et vini potius quam circa corpus Christi, quod est prorsus alienum a sensu catholico.

Actio quippe transsubstantiativa panis in corpus Christi, vel consideratur (juxta aliquos) ut una immutatio, et tunc refertur ad solum panem, consistit enim in mutatione panis in corpus Christi, vel consideratur (juxta alios, notanter Suarez) ut duplex mutatio, altera destructiva circa panem, altera perfectiva circa corpus Christi, ita ut sacrificium eucharisticum dicatur reponi aut in prima aut in altera aut in utraque; jamvero non potest reponi in destructione panis, quia sic esset sacrificium panis et non corporis Christi; neque in productione corporis Christi, tum quia productio victimae non est sacrificium sed illud praecedit, tum quia nullam importat corporis Christi destructionem, cum tamen juxta definitionem traditionalem (cf. art. 43, p. 794 sqq.) destructio sit de essentia sacrificii (nisi velint adversarii mutare definitionem sacrificii, uti inaniter et sibi inconstanter tentavit Suarez, juxta dicta ibidem, p. 806); neque in utraque mutatione destructiva panis et productiva corporis Christi, nam sic introducitur duplex materia ac dissolvitur unitas sacrificii, ita ut vel duplex habeatur sacrificium, consistens alterum in destructione panis et alterum in productione corporis Christi, vel nullum prorsus sacrificium relinquatur, cum ratio destructionis pertineat ad panem, ratio vero oblationis ad corpus Christi.

Meritum huius sententiae est in eo quod insistat in consideratione panis et vini tamquam elementorum huius sacrificii. Non enim quomodolibet Christus offertur et immolatur in Eucharistia sed, ut ait *Cone. Trid.*, "sub signis visibilibus" et "sub earumdem rerum [panis et vini] symbolis" (Denz. 938).

b. *OPINIO IMMUTATIONIS CIRCA IPSUM CORPUS CHRISTI.*

Explicatio BELLARMINI: Immutatio corporis Christi *secundum esse sacramentale.*

Expositio.

Immolatio eucharistica consistit in hoc quod corpus Christi (jam positum per consecrationem sub forma cibi ac ita ad comestionem seu destructionem ordinatum) *in ipsa communione* veluti destruitur, non quidem secundum esse naturale sicut communis cibus, sed secundum esse sacramentale, quod amittit.

Bellarminum (citatum in art. praec., p. 938) sequuntur doctores qui tenent communionem esse de essentia sacrificii, praecipue *Salnianticenses, Mastrius, Ysambertus* et *S. Alphonsus* (citati ibid., p. 939-941).

Critica.

Dejectus huius sententiae notavimus in art. praec. (p. 957-959), ubi statuimus communionem non pertinere ad essentiam sacrificii. Praecipue hic recolatur communionem nullam importare destructionem, etiam secundum esse sacramentale, cum haec sit quid posterius communionem, ac de cetero hanc destructionem non repraesentare passionem Christi seu separationem corporis et sanguinis.

Propterea sententia Bellarmini non multum favorem obtinuit apud theologos, quamvis principium quod illi substernitur, de speciali nempe conditione Christi sub esse sacramentali, a multis theologis assumptum sit et diversimode adaptatum juxta duas subséquentes explicationes.

Meritum huius sententiae est praecise in eo quod attentionem theologorum direxerit ad diversum modum essendi Christi secundum esse sacramentale.

Explicatio VIVA: Positio corporis Christi in statûi destructibilitatis sub forma cibi.

Expositio.

Immolatio eucharistica consistit in eo quod *per ipsam consecrationem* corpus Christi, positum sub forma cibi, constituitur in statu proximo ad destructionem seu desitionem esse sacramentalis, quae fit in communionem.

Haec sententia est quaedam adaptatio opinionis Bellarmini ad communem sententiam, quae reponit essentiam sacrificii in sola consecratione, ac simul quidam accessus ad sententiam Lugo, mox exponendam, de statu decliviori corporis Christi. Accedit ad Bellarminum quatenus ratio destructibilitatis refertur non ad esse reale sed sacramentale corporis Christi et ad communionem in qua illa destructio perficitur; accedit vero ad Lugo quatenus agit non de ipsa destructione esse sacramentalis per communionem, sed de quodam actuali statu minorationis ac quasi destructionis in quo per consecrationem constituitur corpus Christi per hoc praecise quod ponitur sub forma cibi et ordinatur ad destructionem sui esse sacramentalis in communionem.

Hanc sententiam docuerunt sequentes pauci theologo:

Dom. Viva († 1710): “Christus Dominus, dum ponitur sub speciebus panis et vini, fit proxime comestibilis, et ideo ponitur sub statu valde propinquo ad desitionem (quatenus per manducationem deinde

desinit esse sub speciebus panis) et sic immolatur simul et sacrificatur.”³¹

Th. de Charmes (t 1765): “In consecratione destruitur hostia, si non cruenta, saltem mystice, realiter tamen: tum quia Christus per consecrationem sub speciebus ponitur ut immolatus per separationem sanguinis a corpore; tum quia per consecrationem ponitur in statu proximo ad realem destructionem, nam producitur sub speciebus, ut. iis corruptis, Christus non solum mystice, sed realiter destruat quoad esse reproductum.”³⁶

Th. Holtzclau (t 1783): “Habetur immutatio vera hostiae, et aliquo modo ejus destructio, quatenus vi verborum Christus immolatur mystice, dum vi verborum sanguis separatur a corpore. Deinde ponitur sub speciebus modo quodam mortuo et ordinato ad destructionem, cum ibi ponatur per modum cibi et potus ordinati ad consumptionem, eoque fine ut consumptis et corruptis speciebus, ibi esse desinat. Quae destructio, licet non sit perfecta et physica, sed solum imperfecta et moralis, sufficit tamen ad rationem veri sacrificii, ut patet ex sacrificio libaminis, in quo non destruebatur vinum physice, sed effundebatur in terram, qua effusione moraliter censebatur destructum; item ex capro emissario, qui non occidebatur, sed abigebatur in desertum.”³⁶

A. Knoll (f1863): “Per verba consecrationis satis fit hostiae immutatio, quae requiritur et sufficit ad sacrificium, non tantum per hoc quod mystica fiat separatio corporis a sanguine, sed etiam quia Christus sub speciebus panis et vini ad cibum et potum, ac ideo ad veram, realem et externam mutationem et destructionem ordinatur.”³⁷

H. Lamiroy (1919) (qui modo ambiguo videtur fluctuare inter praesentem sententiam et sententiam immolationis mysticae infra explicandam): “In consecratione . . . Christus, sub speciebus sacramenti, in quodam habitu externo mortis et destructionis ponitur. . . Christus actu induit statum immolationis et actu sistitur in statu victimae ad instar occisi, qui status inde apparet quod corpus ejus vere manducari et sanguis ejus vere potari potest.”³⁸

Critica.

Dejectus peculiaris huius sententiae est ipsa sua ambiguitas. Nam esse in statu proximo ad destructionem non est actualis destructio sed

³¹“Cursus theologico-moralis. De sacramentis . . . , pars 5, q. 5, a. 2, Patavii, 1723, torn, post., p. 151.

³⁶Theologia universa, diss. 4, c. 2, q. 3, Nancii, 1759, t. 6, p. 483.

³⁷Theologica dogmatica . . . in alma universitate Wirceburgensi . . . , t. 9, Wirceburgi, 1766-1771, p. 401.

³⁸Instil, theologiae, pars 4, sect. 2, § 626, Augustae Taurinorum, 1868, t. 5, p. 363.

³⁹De essentia SS. Missae sacrificii, Lovanii, 1919, p. 434.

potentials; unde id nequit constituere actuale sacrificium. Quod si dicatur corpus Christi per hoc ipsum quod ponitur in statu cibi et ordinatur ad destructionem constitui in quodam statu actualis minorationis seu moralis destructionis, respondetur quod hic status nequit esse destructio sacrificialis magis quam ipsa destructio esse sacramentalis per communionem, ad quam ipsa ordinatur et a qua specificatur.

Meritum huius sententiae est quod conetur recedere a doctrina Bellarmini de communionem parte essentiali sacrificii.

Explicatio LUGO (FRANZELINj: Aequivalens immutatio corporis Christi *secundum esse reale*, seu positio in statu decliviori.

Expositio.

Immolatio eucharistica consistit in hoc quod per consecrationem corpus Christi ponitur *in quodam statu decliviori*, quo ipsum destruitur non quidem formaliter, seu physice et substantialiter, sed *aequivalenter, seu moraliter et humano modo*, quatenus ex hoc quod constituitur sub forma cibi cum modo existendi sacramentali seu inextenso *fit inutile ad humanos usus*, tam passive quam active, praeterquam ad usus convenientes ipsi cibo, ac proinde aequivalet cibo seu rei inanimatae, *non valens prout est in sacramento exercere actus connaturales vitae corporeae et sensibilis* quos exercet prout est in coelo.

Hanc sententiam *primo proposuit G. Casalius* († 1585), pater tridentinus, quem secutus est *J. Malderus* († 1633). Eam subinde determinate defendit ac sua auctoritate confirmavit *Card. J. Lugo* († 1660), quem secuti sunt, quoad substantiam doctrinae, plures theologi saec. 17-18, ut *Martinonus, Fr. Lugo* (frater Cardinalis), *Antoine, Tournely, Collet, Th. Raynaudus* († 1663), *Platel* († 1681) et *Card. Cienjuegos* († 1739) (hi tres ultimi doctores aliquam exaggerationem vel peculiarem doctrinam huic sententiae addiderunt). Post longum occasum eandem sententiam *resuscitavit ac fusius illustravit Card. Franzelin* († 1886), ob cuius auctoritatem satis communis ipsa evasit apud modernos theologos, inter quos *Hurter, De Augustinis, Tepe, Stentrup, Lambrecht, Einig, Cappello*, necnon auctores spirituales, inter quos *Buathier, Tesnière, Beaudenom*, quibus haec sententia facilem aperit viam oratoriae amplificationis.

Praeter communem supradictam doctrinam notandum est *duplex discrimen* inter hos doctores.

Primo, quidam pauci, ut *Card. De Lugo* et *Tournely*, docent statum decliviorum corporis Christi consummari ac perfici per destructionem

esse sacramentalis Christi in *communione*, quae proinde pertinet ad essentiam sacrificii (cf. art. praec., p. 936 sq.).

Secundo, quidam statum declivorem corporis Christi ulterius exaggerant; ita *Raynaudtis*, qui ait Christum in Eucharistia privari exercitio ipsarum facultatum intellectivarum ac esse in statu longe miseriori quam in cruce, *Platel* et alii theologi (notanter *Henno* et *J. de Ulloa*) *principiis cartestants* imbuti, qui dicunt corpus Christi ita esse praesens sub speciebus ut veluti ad simplex punctum reducatur (cf. art. 21, p. 403),³⁰ *Card. Cienuegos*, qui peculiarem ac *jantasticam sententiam* proposuit, docens Christum quidem in Eucharistia miraculose gaudere etiam exercitio sensuum externorum (cf. art. 23, p. 432), at statim post consecrationem voluntarie tale exercitium ad tempus suspendere ac suam vitam sensitivam veluti in statu destructionis constituere ad offerendum sacrificium; tandem in momento mixtionis hostiae cum vino, quae est symbolum suae resurrectionis, vitam sensitivam plene resumere per quamdam miram reviviscentiam vel resurrectionem.

Ad rem *Casalius*: “Ad eandem veritatem est, per modum *confirmationis irrefragabilis*, modus ipse quo Salvator noster sese posuit in sanctissimo sacramento: quia sine dubio, modus ille fuit et est immolatus. Quare fuit immolatus? . . . quia ipse Christus, prout erat in sua specie et modo naturali essendi, videbat, audiebat, olfaciebat, gustabat, tangebatur, ut constat: sed idem ipse, prout est in sacramento, nihil horum habet . . . : quia . . . prout ibi, non videt, non audit, non olfacit, non gustat, non tangit. Ergo est ibi modo immolatio et sacrificio, quia, prout est ibi, caret istis actionibus vitalibus. Unde probatur hoc? Quia Christus est in sacramento sacramentaliter . . . [i.e.] modo inextenso; nec est ibi sua substantia ad modum suae quantitatis, sed est ibi sua quantitas ad modum substantiae. Hinc fit notum per consequens et demonstrative, quod Salvator noster, prout est in sacramento, non potest ibi exercere aliquam operationem vitalem, illarum multarum ad quas exercendas homo debet uti organo corporali, ut tali: sicut, prout est ibi, non potest comedere, bibere, loqui, aut ambulare. Ergo ille modus quo Christus est in sacramento, est utique modus immolatus, quia, quantum ad hoc, est quodammodo modus mortificatus, id est quantum ad istas actiones vitales. Non quod ibi sit mortuus, dum ipse alias vivit; sed quia, prout est ibi, istas operationes vitales exercere non potest”.⁴⁰

³⁰Nec defuerunt apud recentiores similis explicationis conamina, ut patet in *The American Ecclesiastical Review*, May, 1913.

⁴⁰De sacrificio missae, l. 1, c. 19, Venetiis, 1563, fol. 61.

Lugo (De Euch., disp. 19, sect. 5, cit. in art. praec., p. 938 sq.).

Franzelin: “Putamus . . . cum *Cardinali de Lugo plurimisque deinceps theologis*, internam sacrificii formam in eo esse, quod Christus magnus sacerdos per ministerium sacerdotum eius nomine offerentium, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini constituit secundum quamdam sanctissimae suae humanitatis a functionibus et rationibus existendi connaturalibus exinanitionem ad statum cibi ac potus. Haec enim sententia ex comparatione modi existendi sacramentalis cum communi sacrificii notione, ex ss. Patrum doctrina, atque ex formulis liturgicis non paucis quoad rem ipsam facile colligitur, et quoad ipsum etiam modum loquendi a Christiana antiquitate non est aliena.”⁴¹

“In statu hoc et modo existendi sacramentali, in quo Christus Dominus summus sacerdos per consecrationem se constituit, internam formam sacrificii secundum conceptum ac definitionem communem non solum sufficienter reperiri, sed insigni modo eminere, *mirum est aliquando potuisse et nunc adhuc posse in dubium vocari*. . . [Ex ipsa definitione sacrificii] intelligitur, destructionem . . . non necessario debere esse physicam ita, ut res desinat esse; sed sufficere talem, quae *moralis aestimatione* aequivaleat destructioni. Sacrificium enim institutum est pro hominibus, ut homines illud offerant Deo, et expriment obiective agnitionem supremi dominii Dei; ideo expressio haec sufficienter reperitur in inductione talis status in rem, qui *pro usu hominum et moralis aestimatione* aequivaleat destructioni, licet non sit destructio physica aut omnino annihilatio, quae neque est in hominum potestate. Sic e.g. in libationibus continebatur sufficiens expressio in ipsa effusione, licet ea non esset physica destructio, sed solum inductio status moraliter et pro usu hominum aequivalens destructioni.

“Iam consideretur, quaeso, status, in quo Christus Dominus summus sacerdos per consecrationem secundum ss. corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini sese ut victimam constituit. . . [Invenitur quippe] in tali modo existendi sub speciebus panis ac vini, ut vere sit in statu cibi ac potus; ut (formaliter quatenus constituitur sub his speciebus) desinat omnis actus connaturalis vitae corporeae pendens a sensibus; ut nihil secundum corpus possit agere connaturaliter; ut corpus eius ac sanguis, in quantum praesentia eius alligatur speciebus, permittatur quodammodo arbitrio creaturarum non secus, ac si esset res inanimata. . .

“Talis ‘exinanitio’ ad exprimendam maiestatem absoluti dominii Dei et satisfactionem pro reatibus nostris morte completam non solum

ⁿ De Eucharistia, thes. 35, Romae, 1932, p. 435.

satis intelligitur ut vere et proprie sacrificialis; sed etiam, excepto sacrificio cruento in cruce, *nullam sublimiorem ac profundio rem rationem veri et proprii sacrificii concipere possumus*. Non ergo est dubium, in ipso modo existendi sacramentali corporis et sanguinis Christi aptitudinem et, supposita institutione, actualem significationem sacrificalem, et proinde rationem internam veri et proprii sacrificii non solum sufficienter sed etiam insigniter contineri.”⁴²

“Ut res fiat evidens, haec animadvertantur. Corpus Christi habet realiter duplicem diversum modum existendi, in coelo connaturalem. et alterum, quem induit sub speciebus panis et vini sacramentalem. •Formaliter ut constituitur in sacramento, *non solum prae nostra perceptione sed realiter et in se ibi constituitur modo inextenso, et ideo citra actus connaturales vitae corporeae*, atque in statu cibi et potus, ac si res esset inanimata. Talis vero status corporis viventis in comparatione cum statu connaturali *abiinde sufficit ad rationem victimae*. ut paulo ante declaravimus. Dicitur autem Christus poni in statu victimae et offerri sacrificio, non prae quovis eius modo existendi; sed unice quatenus formaliter constituitur sub speciebus panis et vini.”⁴³

“Quomodo, quaeso modus existendi, vi cuius per se spectati omnes functiones vitales, quatenus a sensibus pendent, et omnes effectus sensibiles corporis glorificati in actu secundo *naturaliter* sunt impossibiles, et corporis Christi, quatenus praesentia eius a speciebus pendet, nostro arbitrio ad modum rei inanimatae connaturaliter subest; quomodo, inquam, talis modus existendi corporis in comparatione cum modo existendi connaturali eiusdem corporis in gloria potest negari esse quaedam exinanitio ipsius status connaturalis, formaliter quatenus corpus est sub speciebus alienis?”⁴⁴

Raynaudus: “In eucharistia (proh demissionem!) Christus adeo demisit sese, et adeo abjectum statum elegit, ut citra peculiare miraculum, sit velut truncus vel stipes, *nec plus intelligere per species acquisitas*, qui est connaturalis homini intelligendi modus, *nec plus, ea cognitione praelucente, velle*, itemque non plus sentire aut moveri quomodo valeat, quam si nulla rationali aut sensitiva, aut motrice facultate polleret. . . Probo, quia ad omnes actiones corporeas per corpus effective causandas, exigitur extensio corporis. . . Idem est de quibusvis actionibus corporeis, sive immanentibus sive transeuntibus, ac etiam de actionibus quibusvis spiritualibus animae propriis in statu informationis, nimirum de actionibus dicibilibus per intellectum spe-

⁴²De Eucharistia, thes. 35, Romae, 1932, p. 449-451.

⁴³Ibidem, p. 453 sq.

⁴⁴Ibidem, p. 456 sq.

ciebus acquisitis utentem, aut per voluntatem tali notitia praelucente operantem. Est enim omnium hujusmodi actionum eadem ratio. Restrinxit tamen sermonem ad scientiam nixam speciebus acquisitis: ... quia est alligata phantasiae, cujus actio postulat suapte natura extensionem, cum sit materialis et corporea. . .

“Quid adhuc desideramus ad summam Christi abjectionem in Eucharistia, quandoquidem Christus non secus jacet quam truncus, aut stipes, quod sane in cruce non valuit? Nullis inter ea cruciamenta sensuum functionibus destituebatur. . . Est ergo hic status Christi longe miserrimus, et supra ipsam crucis abjectionem, depressus”.⁴⁵

Platel: “Ipsam . . . rem oblatam, videlicet ipsum Christum, quodam modo realiter immutari et vehit annihilari, in quantum accipit novum existendi modum, qui talis est ut videatur tendere ad Christi annihilationem, cum vi illius redigatur ad punctum. Adde corpus Christi poni sub specie panis modo quodam mortuo, cum vi verborum non ponatur illic sanguis...

“In ea (consecratione) sic sumpta reperitur vera ac realis immutatio hostiae, nec productiva tantum, sed, quod ex communiore conceptu est de essentia sacrificii, etiam aliquo modo destructiva, quatenus per eam Christus, non solum immolatur mystice per separationem sanguinis a corpore, vi verborum, sed etiam physice ac realiter ponitur sub speciebus modo quodam mortuo, inepto ad suas functiones naturales, et ordinato ad destructionem, cum ibi ponatur per modum cibi et potus, ordinati ad consumptionem, eoque fine ut, consumptis ac corruptis speciebus, ibi esse desinat: quae destructio, licet non sit perfecta et physica, sed solum imperfecta et moralis, sufficit tamen ad rationem sacrificii, ut patet ex libamine.”⁴⁰

Cienjuegos: “Credimus autem scopum [explicandi rationem sacrificii missae] attigisse per vitam actualem sensitivam, aut a sensibus pendentem, Christi Domini sub speciebus, quam tanto studio promoveri conati sumus hac descriptione; non sane per illam existentem et perseverantem, ut planum est, sed per ipsam qua ablatam aut impeditam, postquam extitit actu, et subinde realiter sacrificatam. . . Hanc vitam Christus ipse Dominus, ut supremus Sacerdos, immolat solus, et simul offert, quatenus actus vitales miraculose productos imperio suae voluntatis humanae suspendat sive removeat, decernatque non elicere ulteriorem ullum, sive non uti potentia instrumentaria productiva illorum pro libito ipsius, donec per quasi resurrec-

⁴⁰ “Candelabrum sanctum septilustre divinae mensae illucens, sect. 3, c. 5, n. 19-23, Avenione, 1645, p.225-228.

⁴⁵ “Synopsis cursus theologici, pars 5, c. 4, n. 463-470, Duaci, 1706, p. 538 sq.

tionem et commemorationem resurrectionis simpliciter in mixtione corporis et sanguinis ad vivum repraesentatam et imitatione quadam exercitam, resumat vitam actualem usumque liberum virtutis instrumentariae.”⁴⁷

Critica.

Dejectus hujus sententiae triplex est:

Primo enim, falsum est corpus Christi in Eucharistia esse in vero *statu decliviori*, etiam si consideretur secundum esse sacramentale. Nam, ut taceamus de arbitraria explicatione Cienfuegos necnon de exaggeratione Raynaudi ac de falsa sententia Platel, corpus Christi exercet plenissime actus suae vitae etiam sensitivae *in ipso sacramento* (cum sit perfectum et immutatum), quamvis *non prout in sacramento*, seu non applicando exercitium sensuum ad locum sacramenti ad modum quantitatis, sicut in loco coelesti (cf. art. 23, Conci. 2, p. 436 sq.). Ipsum autem esse in sacramento ad modum substantiae non est status declivior relate ad esse ad modum quantitatis, sed prorsus disparatus, ni dicamus perfectior pro quanto substantia ejusque modus superat quantitatem et modum illius.

Secundo, quomodolibet talis status declivior fingatur, nullo modo est aptus *ad repraesentandam Christi passionem* (Cone. Trid.). quae non constitit in quadam reductione corporis Christi ad statum decliviorum sed in separatione corporis et sanguinis.

Tertio, in hac sententia non convenienter explicatur quare Christus voluerit instituere hoc sacrificium in duplici consecratione, cum corpus Christi non magis nec aliter ponatur in statu decliviori per unicam quam per duplicem consecrationem. Quod si dicatur rationem esse ipsam repraesentationem passionis, sequeretur hanc non esse quid essenziale huic sacrificio qua tali, sed quid adventitium.

Meritum hujus sententiae est utrumque quod notavimus in duabus praecedentibus.

B. *THEORIA IMMOLATIONIS VIRTUALIS. Lessius (Gonet).*

Immolatio eucharistica consistit in hoc quod consecratio est realiter, quamvis *virtualiter tantum*, *occisiva* et destructiva vitae Christi.

Consecratio enim *per se et vi verborum* est realiter separativa corporis a sanguine, quamvis per accidens haec separatio et destructio non sequatur ex vi miraculosae et supernaturalis concomitantiae, qua, propter impossibilitatem corporis Christi gloriosi, omnes eius partes sunt indissolubiliter unitae.

⁴⁷ Vita abscondita, disp. 5, sect. 3, n. 37, Romae, 1728, p. 359.

Nec refert quod actualiter corpus Christi non destruat, quoniam de facto et actualiter subicitur actioni per se destructivae, in qua proinde sufficienter salvatur ratio immolationis et sacrificii, quemadmodum ratio martyrii salvatur in inflictione vulneris ex se occisivi, quamvis per accidens et miraculose mors impediatur.

Praecipui fautores huius sententiae sunt *Lessius* S.J. (t 1623), *Gonct* O.P. (t 1681), *Billuart* O.P. (t 1767) et *Hugon* O.P. (t 1930). Eam *A. de Cuesta*, episcopus legionensis et theologus tridentinus, primus proposuit, *Lessius* confirmavit, *Gonet* expolivit, *Billuart* vulgavit, *Hugon* apud modernos instauravit.

Eam praeterea defenderunt plures dominicani, praecipue inter Gallos, uti *Labat*, *Contenson*, *Natalis Alexander*, *Card. Gotti*, *Drouin*, *Monsabré*,^{4*} et quidam extranei, uti *C. Hurtado* S.J., *G. Henao* S.J., *Frassen* O.F.M., *Wilmers* S.J. (t 1899)⁴⁰ et *Bourceau*TM

De *A. de Cuesta* legitur in Actibus Cone. Trid.: "Legionensis probat missam esse sacrificium, hac ratione, quia Christus aliquo modo moritur, et a sacerdote mactatur. Nam sacerdos, ex vi sacramenti, separat corpus a sanguine, licet per concomitantiam utrumque simul sit cum anima et divinitate: et hac ratione dicitur sacrificium missae repraesentare mortem Christi, et veram veri sacrificii rationem habet. Unde b. Thomas dicit consecrationem esse sacrificium, quia hoc sacramentum non potest consecrari absque sacrificio. Et Christus cum mysterio addidit: Hoc facite, post ambas consecrationes. Christus itaque, cum haec fecisset, vere sacrificavit: et omne id, quod sacerdos facit, fecit Christus."⁵¹

Lessius: "Non videtur dubitandum quin hoc sacrificium consistat in consecratione. Verum qua ratione consecratio habeat rationem sacrificii, non ita facile explicatur. Duobus modis id concipi potest: 1. ut consecratio censeatur actio sacrificandi, quatenus per eam mutatur et convertitur substantia panis et vini in corpus et sanguinem Christi: quem modum explicuimus, lib. II de Justitia, cap. xxxviii, dub. 2. 2. Quatenus per illam Christus mystico quodam modo occiditur, dum per modum hostiae occisae seorsim vi verborum corpus et sanguis in altari exhibentur. Et hic modus est facilius intellectu, magisque respondet ordinario sacrificandi modo, qui supponit hostiam, non producit. . .

"Nec obstat veritati huius sacrificii quod non fiat reipsa separatio

⁴ Exposition du dogme catholique, Carême, 1884, 70 conférence, Le sacrifice.

^o Précis de la doctrine catholique, Tours, 1896, p. 389.

⁴ La messe, étude doctrinale, historique et liturgique, 1 p., ch. 1, Paris, 1912, p. 18.

TM *Thciner*, Acta . . . Conc. Trid., Zagabriae, 1874, t. 2, p. 89.

sanguinis a carne: quia id est quasi per accidens, propter concomitantiam partium. Nam quantum est ex vi verborum, fit vera separatio, et sub specie panis solum ponitur corpus, non sanguis, sub specie vini solus sanguis, non corpus. Et hoc sufficit ad rationem hujus sacrificii, tum ut sit verum sacrificium (fit enim circa hostiam, dum sic ponitur, sufficiens mutatio, qua protestamur Deum habere supremam in omnia potestatem), tum ut sit sacrificium commemorativum, repraesentans nobis sacrificium crucis et mortem Domini. Qui plura hac de re desiderat, legat Gabr. Vasquez.”⁵²

Gonet: “Respondeo, ad rationem sacrificii sufficere, ut ex modo quo offertur sacrificium, sequi debeat mors victimae, connaturaliter, quamvis de facto non sequatur: si enim in veteri lege post illatum vulnus lethale, Deus miraculose conservasset victimam, adhuc verum ibi fuisset sacrificium; quia ex quo vulnus illud fuisset lethale, non minus illa actio significasset dominium Dei in vitam et mortem, quam si de facto secuta fuisset mors: quia ergo in proposito consecratio, quantum est de se. et ex vi verborum, habet separare sanguinem a corpore Christi, quamvis de facto non destruat Christum, est tamen destructiva illius, et ideo habet veram rationem sacrificii, praesertim cum verba in definitionibus non dicant actum, sed aptitudinem, ut communiter docent Philosophi. Potestque haec solutio illustrari exemplo martyrii: multi enim docent, non requiri ad coronam martyrii, quod actu sequatur mors, sed sufficere quod tale vulnus infligatur, quod de facto per se natum est inferre mortem, quamvis ex aliquo accidenti mors impediatur”.⁵³

Billuart: “Nihil deest missae ad rationem sacrificii veri et perfecti. . . Adest . . . immutatio materiae, mystica scilicet, quatenus corpus et sanguis vi verborum separantur”.⁵⁴ “Consecratio . . . est immutativa victimae, scilicet Christi, quatenus ponit ibi ipsum modo quasi mortuo, separando vi verborum corpus a sanguine. Nam vi verborum ponitur solum corpus sub speciebus panis, et solus sanguis sub speciebus vini; ita ut sit veluti per accidens respectu consecrationis, quod ea peracta sanguis ex concomitantia reperiatur in corpore.”⁵⁵

Hugon: “Probandum superest quomodo duplex consecratio separationem, non realiter quidem, sed *virtualiter*, efficiat. Verba sacramentalia id tantum efficiunt quod significant. Atqui verba in consecratione panis significant tantum praesentiam corporis et verba in consecratione

⁵²Opuscula, De perfectionibus . . . divinis, l. 12, c. 13, n. 95-97, Antuerpiae, 1626, p. 128.

⁵³De Euch., disp. 11, a. 2, n. 61, Clypeus, v. 6, Parisiis, 1876, p. 478 sq.

⁵⁴De Euch., diss. 8, a. 1, Prob. 6, Parisiis, 1904, p. 197.

⁵⁵Ibid., p. 201.

calicis significant tantum praesentiam sanguinis. Ergo verba prioris consecrationis efficiunt tantum praesentiam corporis et verba alterius consecrationis efficiunt tantum praesentiam sanguinis. Ergo vi verborum non haberetur in altari nisi corpus sine sanguine, sanguis sine corpore, sanguisque et corpus sine anima. Ergo verba vi sui important separationem, et, si reapse separatio non fit, id provenit ex lege divina concomitantiae. Quia igitur verba *virtutem* habent efficiendi separationem, consecratio separationem producit *virtualiter*

Critica.

Dejectus principalis huius sententiae consistit in exaggeranda, vel potius male interpretanda, vi seu indole verborum consecrationis. Falsum enim est verba consecratoria tendere ex se ad separationem corporis et sanguinis Christi.

Nam *imprimis* vis illorum verborum non exercetur circa corpus Christi sed circa panem transsubstantiandum in corpus Christi, unde potius sunt separativa substantiae panis a propriis accidentibus. *Secundo* haec actio transsubstantiativa dirigitur ad corpus Christi tanquam ad terminum, non modo exclusivo (veluti ad exclusionem sanguinis, secus sanguis nec per concomitantiam poneretur), sed modo positivo (seu simul abstractivo et concreto), ita ut corpus Christi ponatur sub speciebus prout de facto est in rerum natura (abstrahendo a variis modis quo esse potest) in ipso momento consecrationis, scilicet cum proprio sanguine (vel sine sanguine, si facta fuisset consecratio in triduo mortis); unde nedum vis verborum sit exclusiva vel separativa sanguinis a corpore Christi, potius ex vi verborum provenit ut, posito corpore Christi in sacramento, ponatur et sanguis vi concomitantiae.”

Ceterum inverisimile videtur verba consecratoria talem habere vim quae nunquam proprium finem attingere possit (hoc enim nec contigisset in triduo mortis, si tunc consecratio facta fuisset, nam tunc sanguis erat separatus a corpore independentem a consecratione). Inepte autem id explicatur ex conditione corporis gloriosi et impassibilis, quoniam quando Christus consecravit in ultima coena corpus eius erat adhuc passibile nec tamen fuit separatum a sanguine per consecrationem; recurrere autem in hoc casu ad novum miraculum, quo id impediretur, est gratis assertum quod exigit sola necessitas defendendi hanc sententiam.

Alter dejectus huius sententiae est in eo quod, etiam si admitteretur consecrationem esse de se actionem separativam corporis et sanguinis Christi, in ea non salvaretur ratio sacrificii seu immolationis, nani de

M Tract. Dogm., v. 3, De Euch., q. 9, a. 2, n. 10, Parisiis, 1931, p. 461.

“ Cf. *Lugo*, De Euch., disp. 19, sect. 4, n. 61.

facto destructio non habetur, ergo de facto sacrificium non conficitur nec ponitur actio sacrificialis sed tantum actio apta ad sacrificandum.

Nec valet instare cum Gonet et Hugon quod in actione tendente ad destructionem sufficienter salvatur ratio actionis sacrificialis, quemadmodum in actione ex se lethali salvatur ratio martyrii.

Nam, ut dictum est in tractatu De Baptismo (art. 17, p. 208), juxta doctrinam S. *Thomae* (2-2, q. 124, a. 4; Suppi., q. 96, a. 6, ad 7), ratio *martyrii proprie dicti* requirit ut mors de facto sequatur ex vulnere etiam de se non lethali.⁸⁸

Meritum huius sententiae in eo est quod apte insistat in consideratione ipsius essentiae actionis consecrative quatenus terminatur ad corpus Christi; nam in ipsa consecratione, secundum intimam suam rationem, quaerenda est ratio huius sacrificii.

C. THEORIA IMMOLATIONISMYSTICAE SEU SACRAMENTALIS. *Pasqualigo (Billot)*.

Immolatio eucharistica consistit in ipsa sacramentali separatione corporis et sanguinis Christi sub distinctis speciebus panis et vini. Haec mystica destructio sub alienis speciebus est apta, non minus quam destructio realis, ad fundandam significationem interioris agnitionis divini dominii quae est propria sacrificii.

Praecipui fautores huius sententiae sunt *Zacharias Pasqualigo* theatinus (t 1664) et *Billot* S.J. (t 1931).

Eam praeformavit *Salmeron* S.J. (t 1585), determinavit *Pasqualigo*, cui videtur consentire *Bossuet* (t 1724),⁸⁹ scientifice expolivit ac vulgavit *Billot*, docuerunt multi moderni (nec tantum inter discipulos *Billot*), uti *Gehr*,⁶⁶ *J. A. Schwane*, ⁶¹ *Hugueny* O.P.,⁶² *Van Noort*, *Labache*, *Tanqueray*, *Lamiroy* (?), cf. supra, p. 981), *J. Grimai*,⁶³ *Pègues* O.P.,⁶⁴ *Michel*,⁶⁶ *Ami du Clergé* (1927, p. 417-432), *Dont* A. *Vomer*,⁶⁶ *Héris*,⁶¹ *Garrigou-Lagrange*,⁶⁶ *Masure*,⁶⁶ *Lercher*, *Zubizarreta*,

⁸⁸ Cf. *Salmanticenses*, De Euch., disp. 13, dub. 2, n. 38.

⁸⁹ In hunc sensum *Bossuetium* interpretatur *Michel* in Diet. Théol. Cath., art. Messe, col. 1158 sqq., contra *Lepin* (L'idée du sacrifice de la messe, Paris, 1926, p. 509 sq.) qui cum trahere conatur ad suam sententiam sacrificii-oblationis.

⁶⁶ Le S. Sacrifice de la Messe (versio ex germ, lingua), Paris, 1900, t. 1, p. 125 sq.

⁶⁶ Histoire des dogmes (versio ex germ, lingua), Paris, 1904, t. 6, p. 633.

⁶⁶ Critique et catholique, Paris, 1914, t. 3, p. 236 sq.

⁶⁶ Le sacerdoce et le sacrifice de N.-S. J.-C., Paris, 1923, p. 231-242.

⁶⁶ Commentaire littéral . . . , t. 18, p. 415 sq.

⁶⁶ In Diet. Théol. Cath., art. Messe, col. 1264-1277.

⁶⁶ A Key to the Doctrine of the Eucharist, London, 1931. Item, De Eucharistia (1943), p. 285-288.

⁶⁶ Le mystère du Christ, Paris, 1928, p. 332 sq.

⁶⁶ In La vie spirituelle, sept. 1929, p. 486-498.

⁶⁶ Le sacrifice du Chef, Paris, 1932, p. 293 sq.

*Goupil, Ferland, Merkelbach, Diekamp, O. Casei,*¹⁰ *Rohnerl' Goosscns.*¹² Quidam tamen, ut *Vonier* et *Masure*, minus determinate loquuntur, ita ut facilius trahi possint ad sententiam a nobis defendendam in Conci. 2.

Sedulo advertatur:

1. Distinguendum est inter expressionem “*destructio mystica* vel sacramentalis” et expressionem “*immolatio mystica* vel sacramentalis”. Prior admittitur etiam in sententia Vasquesii de sacrificio relativo et Lepin (cf. infra) de sacrificio-oblatione; altera, quae verificatur in sola sententia sacrificii-immolationis, dupliciter accipitur: primo, in sensu generali ad significandam incruentam immolationem missae, et ita convenit etiam duabus praecedentibus theoriis immolationis virtualis et realis atque passim usurpatur a defensoribus istarum; secundo, in sensu particulari et proprio praesentis theoriae ad significandam immolationem quae consistat formaliter in ipsa sacramentali separatione corporis et sanguinis Christi.

2. Inter citatos doctores observatur triplex praecipue diversitas in exponenda communi eorum doctrina:

Primo, quidam, ut Salmeron, Billot, Gihl, Tanqueray, sacramentalem separationem potius considerant ex parte ipsarum specierum sub quibus Christus est praesens; *Billot* enim ait: “In quantum sistit Christum sub speciebus sacramenti *in quodam externo habitu mortis et destructionis*”, *Salmeron* scribit: “Est ad modum animalis sacrificati . . . in esse sic diviso sacramentaliter, id est in diversis speciebus”. *Alii* vero, ut *Pasqualigo, Michel, Lercher, Hervé,* potius et aptius considerant separationem in ipso Christo secundum suum esse sacramentale; ad rem *Pasqualigo:* “Fit quaedam destructio ratione modi essendi . . . nam . . . sanguis habet modum essendi seorsim a corpore”, et *Hervé:* “Immolatur Christus per separationem misteriosam corporis et sanguinis et, per ipsam specierum separationem, Deo praesentatur sub forma immolationis, nempe in habitu passionis et mortis, quam semel . . . pertulit in Cruce.”

Secundo, ratione hujus sententiae de sacrificio missae, hi doctores coguntur vario modo explicare vel reformare communem definitionem sacrificii in genere quoad notam destructionis rei oblatae. *Quidam,* ut *Lercher* et *Hervé,* definiunt sacrificium per destructionem realem vel aequivalentem, et ad rationem aequivalentis destructionis trahunt etiam destructionem mysticam Eucharistiae quatenus haec aequivalet destructioni reali in ordine ad significandam agnitionem divini domini.

¹⁰“Die liturgie als Mysterienfeier, Freiburg, 1923; Die Messopferlehre der Tradition Theol. und Glaube, 1931, p. 351 sqq.

¹² Messopfer-Kreuzesopfer: Divus Thomas, Freiburg, 1930, p. 3 sqq. 145 sqq.

¹³ Les origines de l'Eucharistie sacrement et sacrifice, Gembloux-Paris, 1931.

Alii, ut *Schwane* et *Hugueny*,¹³ despiciunt elementum destructionis ac videntur definire sacrificium in genere per solam rationem signi apti ad exprimendum sacrificium internum, quae ratio in Eucharistia invenitur in ipsa separatione sacramentali corporis et sanguinis.

Tertio, quidam ut *Pasqualigo* et *Billot*, considerant immolationem mysticam potius ut quemdam *statum* (exteriolem nempe) mortis et destructionis in quo adest Christus; *alii* aptius eam considerant ut quamdam *actionem* (sacramentaliter nempe separativam corporis et sanguinis ac praedicti status productivam).

Salmeron: “Sacrificium per se altaris non consistit in illa mutatione per quam acquirit esse sacramentale, sed in hoc quod est ad modum animalis sacrificati, hoc est, non per se in esse sacramenti, sed in esse sic diviso sacramentaliter, id est in diversis speciebus; sic enim mactatur, quatenus sub diversis speciebus existit... Hoc est per se immolari et immolatio modo esse. . . Ideoque etiam dici potest quod hic mactatur, dum scilicet est sub diversis speciebus, ubi a sanguine separatum est corpus. Ut enim existit Christus sacramentaliter, sic etiam sacramentaliter mactari, et mori dicitur, et fit ejus omnimoda consumptio in communione sive perceptione, quia tunc, vel paulo post, desinit esse sub speciebus”.⁷⁴

“Potest tamen dubium propositum alia ratione dissolvi: dicendo quod, quando res est viva et animata, et offertur Deo sub propria specie, opus est ut plurimum reali morte ad sacrificium, ut Christus in cruce, agnus in Pascha. Secus est, quando res quae immolatur, sub aliena specie, neque animata, neque vivente offertur, ut Christus sub specie panis; et maxime si quod offertur sub aliena specie, mactationis et mortis minime fit capax. Constat autem Christum sub hostia delitescens immortalis existere.”⁷⁸

Pasqualigo: “Dicendum est: immutationem, seu destructionem victimae in sacrificio missae per id salvari quod ex vi verborum fiat quaedam separatio sanguinis a corpore, quatenus ex vi verborum ponitur sub speciebus panis solum corpus Christi, et caetera per concomitantium tantum. . . Atque adeo, quantum ex vi verborum et consequenter ex vi actionis consecrative et sacrificative, exhibetur Christus tamquam mortuus, facta separatione sanguinis et corporis. . .

“Licet sufficeret . . . repraesentatio destructionis factae in cruce, intervenit etiam realis destructio, in qua fundatur repraesentativa: nempe

¹³ Cf. apud *Lepin*, *L'idée du sacrifice de la messe*, Paris, 1926, p. 617 sq.

⁷⁴ Comm, in *Evang. et Act.*, tract. 29, t. 9, Matriti, 1601, p. 286.

⁷⁸ Ibid., tract. 31, p. 306.

destructio secundum modum essendi sub speciebus. Nam, cum sub una existât ratione corporis, et sub alia ratione sanguinis, fit quaedam destructio ratione modi essendi, nam per ipsum sanguis habet modum essendi seorsim a corpore, et corpus seorsim a sanguine, qui quidem realis est, et convenit corpori et sanguini secundum esse replicatum ex vi actionis realis physicae. Hinc per hunc modum essendi exhibetur Christus per modum mortui sub speciebus, quamvis in se non sit mortuus, et hoc fit ex vi actionis sacrificativae. . .

“Exhibetur Christus per modum mortui sub speciebus, quamvis in se non sit mortuus. . . Haec autem exhibitio sufficit ad protestandum totum id quod protestari posset realis destructio, nempe totalem submissionem respectu Dei, et recognitionem supremæ majestatis, et alia hujusmodi.”TM

Billot: “Singularis ille cultus qui divinitati reservatur [i.e. sacrificium], fuit ab initio convenientissime collocatus in oblatione rei sensibilis *per realem aut æquivalentem* eius in honorem Dei destructionem. Si tamen supernaturaliter contingat, rem non offerri *in specie propria*, nihil aliud potest requiri ad rationem signi sacrificio essentialem, nisi ut res illa in specie sacramenti sub quodam externo habitu mortis praesens sistatur. . .

“Huius ratio est quia sacrificium est in genere signi, signum autem est aliquid visibile et sensibus subiectum. Porro si res offeratur in specie aliena (quod esse non potest nisi per transsubstantiationem alterius rei in ipsam), necesse est ut secundum se lateat, et non cadat sub sensu nisi per species in quibus continetur. Quare nihil conferret formalis vel æquivalens destructio eius in seipsa, sed sola destructio mystica sub specie sacramenti posset exterius apparere: utputa, si absque ulla sui ipsius mutatione res oblata fieret praesens sub duobus distinctis ac separatis symbolis, ita nimirum ut *ex vi sacramenti* solum corpus sensibilibiter adesset sub solida specie panis, solus sanguis sub liquida specie vini, atque hoc modo victima praesentaretur Deo in habitu quodam separationis corporis a sanguine, qui est habitus destructionis et mortis. Manifestum enim per se est quod *in ordine ad significandum* invisibile sacrificium, æquipolleret mystica illa mactatio mactationi materiali quae antiquitus erat in usu; quin imo esset incomparabiliter expressior quam simplex liquoris effusio, quae tamen ex ipsorum adversariorum confessione sufficit ex sese ad verum sacrificium, accedente institutione legitima.”^T

“Ex dictis intelliges, *sacrificium posse definiri*: Oblatio rei corporeae

^T “De sacrificio novae legis, tract. 1, q. 43, Lugduni, 1662, t. 1, p. 52 sq.

TM De Sacram., t. 1, De Euch., q. 82-83, § 1, n. 3, Romae, 1914, p. 586-588.

per realem eius aut mysticam destructionem a sacerdote Deo facta, in signum legitime institutum honoris et reverentiae quam homo debet creatori suo.”⁷⁸

“Restat itaque ultima sententia, quam omnino veram existimamus, reponens formalem rationem sacrificii absolute sumpti in mactatione mystica secundum se, id est, in sacramentali separatione sanguinis a corpore, non praecise quia et in quantum repraesentat oblationem crucis, ad sensum Vasquezii, multoque minus quia et in quantum foret ex sese occisiva Christi nisi impediretur per aliam causam, ut dicit Lessius, sed quia et in quantum *sistit Christum sub speciebus sacramenti in quodam externo habitu mortis et destructionis, ac per hoc nata est, non secus ac realis destructio victimae in propria specie, vere et realiter subiectare symbolicam significationem quae sacrificio propria est, iuxta declarata superius in prolegomeno, § 1, assert. 3.*”⁷⁹

Lercher: “Ratio sacrificii in eo est, ut sit actio circa victimam ipsam, *apte significans sacrificium internum*, quo homo se totum Deo creatori et fini ultimo devovet. Atqui sacramentalis separatio sanguinis a corpore Christi aptius sacrificium internum significat quam simplex effusio liquoris, quae tamen communi iudicio ad verum sacrificium sufficit. Ergo mactatio mystica in re praesenti aequivalet in ordine ad significandum destructioni physicae; quae *positiva ordinatione divina* institui potuit ad hoc, ut *in actu secundo* haberet significationem sacrificii propriam.

“Nota. . . Non dicimus, mactationem mysticam *solum significare destructionem*; est enim in seipsa realis actio, qua, etsi non cruento, tamen incruento modo et sacramentaliter corpus et sanguis Christi separantur. Actio, quae solummodo repraesentaret occisionem, e.c. traegodia, in qua heros apparenter moritur, non posset induere significationem sacrificii propriam. Uti actio sit vere sacrificialis, debet ipsa in ordine reali esse mactatio victimae”.⁸⁰

Hervé: “Vi . . . verborum, sub specie panis ponitur *corpus* Christi seorsim a sanguine et anima, et sub specie vini *sanguis* seorsim a corpore et anima, sicque, ab invicem, mystice separata, corpus et sanguis Domini *eo ipso* ritualiter offeruntur Deo in recognitionem supremae majestatis et honoris. . .

“Haec immolatio: 1. non afficit Christum *secundum se*, secus esset *physica* et vere Christi *occisiva* . . .; 2. non afficit tantum *species sacramentales*, secus esset *mere figurative*; 3. afficit Christum formaliter

⁷⁸ Ibid., n. 5, p. 592.

⁷⁹ Ibid., thés. 54, §2, p. 628 sq. In sexta editione a. 1929 *Billot* hos textus omisit, praebens suae doctrinae formam minus claram, etsi magis rectam.

⁸⁰ Theol. Dogm., v. 4, De Euch., thés. 48, n. 413, Oeniponte, 1935, p. 487.

prout *sub speciebus* continetur et *per eas* praesentatur: sic enim *vere*, licet incruente, *immolatur* Christus per *separationem misteriosam* corporis et sanguinis et, per ipsam *specierum separationem*, Deo praesentatur sub forma immolationis, nempe in *habitu passionis et mortis*, quam semel, aeterna redemptione inventa, pertulit in Cruce. Quapropter incruenta illa immolatio, non solum *vere* est *idonea* ad significandam, repraesentandam et commemorandam immolationem cruentam Crucis et physicam, sed, continens ipsum Christum in sua passione [3, q. 73, a. 5, ad 2], hanc immolationem *efficaciter* significat et *sacramentaliter* renovat, ac proinde, *rite* et *sacerdotaliter* Deo oblata, eo ipso est *vere* et *actu sacrificialis* et una cum hac ipsa oblatione *verum* constituit *sacrificium*.”⁹

Critica.

Defectus generales sententiae sacrificii-immolationis, supra notati (p. 976) nullatenus vitantur in hac theoria.

Eos apte resumit *Card. Lépicier*, scribens: “Adverte quam exigua res fiat eucharisticum sacrificium, si illius essentia reponatur in mactatione mystica, de qua superius locuti sumus. Si enim ab hac mystica mactatione repetatur illius forma, jam aliud erit sacrificium a sacrificio crucis; ponetur sacrificium quoddam novum et independens a Calvariae sacrificio; et tota actio missae reducetur ad symbolicum ritum, non habentem cum sacrificio crucis nisi relationem significationis.”⁸²

Peculiaris vero defectus huius sententiae in eo est quod, quomodolibet praesentetur, *non videtur salvare rationem immolationis seu destructionis* in sacrificio requisitae.

Primo enim haec non salvatur in eo quod, juxta Billot, Christus, ratione specierum separatarum, sistitur in habitu externo mortis et destructionis; nam haec destructio non attingit ipsum Christum sed tota consistit in distinctione signi externi seu specierum; ex quo non habetur nisi symbolica destructio seu nudum symbolum destructionis cui nulla subjacet realitas.

Nec valet dicere hanc symbolicam destructionem esse sufficientem ad rationem sacrificii atque aequivalere reali destructioni in ordine ad significandum, quatenus sit apta ad subjectandam significationem agnitionis divini domini.

Nam ad rationem sacrificii requiritur ut aliquid significet agnitionem divini domini non quomodolibet sed per talem actionem qua res ita in dominium divinum transfertur ut totaliter extra usum hominis ponatur,

⁸Theol. Dogm., v. 4, De Euch., n. 122, Parisiis, 1937, p. 136.

⁹ De sacr. sacrificio eucharistico, Romae, 1916, p. 114.

seu per oblationem rei quae realiter (sive formaliter sive aequivalenter) et secundum seipsam destruat.

Ad rem *De la Taille*: “Potest utique deditio nostra interna significari aliis multis viis praeter viam sacrificii: puta per viam intimationis oralis, dum dico: Deus meus, me consecro tibi. Significatur tunc dedicatio mea; attamen nullum est sacrificium verum: quia in vero sacrificio significatio ista non fit per viam meri sermonis, sed per viam actionis. Rursus per viam actionis etiam potest sine sacrificio fieri istiusmodi significatio: puta dum coram aliqua imagine Christi positus imitor ritus homagii feudalis principibus terrenis reddi soliti. Deest tunc sacrificium, quia in sacrificiis non qualicumque actione exhiberi debet praedicta significatio, sed actione qua sistatur ante Deum aliqua vera hostia; siquidem sacrificium est (per prius) oblatio alicujus hostiae, cum adnexo (per posterius) fine essentiali significandi. Pertinet igitur hostiae proprietates ad ipsum substratum sacrificii: sine quo sacrificium nullum erit, quaecumque oboriatur significatio.”⁸³

Secundo, ratio immolationis non salvatur etiam in ipsa sacramentali seu transsubstantiativa separatione ipsius corporis et sanguinis Christi.

Nam haec separatio *non est physica sed tantum ordinis obiectivi et intentionalis*; consistit enim tantum in eo quod corpus et sanguis Christi sunt duo termini formales duarum distinctarum transsubstantiationum et duarum substantiarum transsubstantiatarum; unde realiter physica distinctio remanet tota in ipsa actione transsubstantiativa et in ipso termino a quo (substantia panis et vini), nec ullatenus transfertur in terminum ad quem, seu in corpus et sanguinem Christi, quae indivisibiliter replicantur sub distincta consecratione et sub distinctis speciebus distinctarum substantiarum transmutatarum.

Defectus huius sententiae manifestatur ex triplici modo, quo, ut diximus supra, hi doctores *coguntur rejormare definitionem sacrificii in genere*.

Inaniter enim quidam retinent verbotenus communem definitionem, dicentes mysticam separationem corporis et sanguinis Christi esse aequivalentem destructionem, qualis habetur in effusione licoris. Nam aequivalens destructio intelligitur destructio realis seu physica, qua nempe res ipsa ponitur extra usum hominis *ac si jormaliter destrueretur*, et pro tanto valet significare agnitionem divini domini *non secus ac si jormaliter destrueretur*; hoc quidem verificatur in adducto exemplo effusi licoris, non vero in mystica separatione corporis et sanguinis Christi, quae nullatenus realiter et physice immutantur.

^u *Mysterium Fidei*, clu. 2-1, Parisiis, 1931, p. 315, in nota.

Logice proinde, sed inepte, *Billot* explicite introducit in ipsam generalem definitionem sacrificii elementum destructionis mysticae (“Oblatio rei corporeae, per realem ejus aut mysticam destructionem”); inepte, inquam, tum quia destructio realis et destructio mystica (seu non realis) nihil habent commune quod possit specificare unicam rationem sacrificii, tum praecipue quia in generali definitione assumitur elementum omnino particulare, nam, juxta *Billot*, destructio mystica non semper sufficit ad rationem sacrificii, sed tunc tantum cum, sicut in missa, res offertur non in propria sed in aliena specie.⁸¹

Propterea tandem *Schwane et Hugueny* ultimum gressum hujus evolutionis facere non abhorruerunt, traditionalem conceptum destructionis a definitione sacrificii prorsus abicientes.

Illa quoque distinctio inter oblationem *sub specie propria* et oblationem *sub specie aliena*, a *Salmeron* allata et a *Billot* divulgata, parum prodest ad fulciendam sententiam mysticae immolationis.

Duo enim videtur docere *Billot*: *Primo*, quod quando res offertur sub specie aliena nequit immolari nisi per mysticam destructionem; *sed contra*, non apparet repugnantia in eo quod res sub specie aliena immoletur per realem et physicam destructionem, ut contingeret in mere cogitabili hypothesis quod Deus daret verbis consecrationis vim separativam corporis et sanguinis Christi, ita ut sonarent: Hoc est tantum corpus meum a sanguine meo separatum. *Secundo*, quod tunc tantum mystica destructio sufficit ad rationem sacrificii cum res offertur sub specie aliena; *sed contra*, si mystica immolatio sub specie aliena habet rationem sacrificii, non videtur quare non possit hanc rationem habere etiam mystica immolatio sub propria specie, ut si v.g. Christus in terris degens, repraesentaret suam passionem per aliquam actionem symbolicam.⁸⁵

3. SENTENTIA SACRIFICII-OBLATIONIS. *Pesch. Dela Taille. Lepin.*

Sacrificium missae, *prout saltem distinguitur a sacrificio crucis*, essentialiter nullam importat immolationem seu destructionem, sed *solam oblationem* ejusdem victimae crucis, alligatam tamen mysticae seu sacramentali destructioni tanquam necessariae conditioni, quatenus Christus offertur prout est praesens sub mystica destructione seu sub separatis signis repraesentativis realis destructionis in cruce peractae.

Haec sententia, sic generaliter definita, tria importat:

Cf. *Lepin*, L'idée du sacrifice de la Messe, Paris, 1926, p. 608 sq.

“ Cf. *Lepin*, Ibidem. Ceterum, ipse *Billot* in editione sexta sui operis omisit illam distinctionem sacrificii in specie propria vel aliena.

Primo, missa formaliter ut sacrificium nihil novi addit ad sacrificium crucis nisi oblationem.

Secundo, nulla immolatio seu sacrificialis destructio, sive realis sive mystica, est quaerenda in ipsa missa, sed vel nulla immolatio pertinet ad sacrificium eucharisticum vel tantum illa eadem immolatio quae olim in cruce peracta est quaeque moraliter coniungitur cum oblatione missae ad constituendum unum sacrificium.

Tertio, destructio mystica quae habetur in missa per consecrationem non est destructio sacrificialis, seu non pertinet ad essentiam sacrificii; est tamen de facto necessaria conditio ad hoc ut possit fieri hoc sacrificium, seu ad hoc ut victima offerenda (Christus) fiat praesens, et quidem sensibiliter, atque sub signis repraesentativis realis destructionis in cruce peractae.

Hanc sententiam, quae cum quodam novitatis strepitu proposita est a pluribus modernis gallis et germanis, tanquam vera doctrina traditionalis ad novam vitam ex oblivione resurgens, praeformarunt quidam theologi saec. 17-18, uti Auctores *Conférences de la Rochelle* (1676), *Petrus Nicole* (f 1695) et *Fr. Plowden* (t 1787), secuti sunt plus minusve explicite et determinate saec. 19-20 in Gallia *Bouvier* (t 1854), *Gosselin*, *Sulpitianus* (t 1858), *Bonal* (t 1904), *Grivet S.J.*, *Batiyol*, *Rivière*, *Gaudcl*, *D'Alès S.J.*, *De la Taille S.J.*, *Lepin*, *Sulpitianus*,⁸⁰ in Germania *Mochier* (t 1838), *Klee* (t 1840), *Vcith* (f 1876), *Thalhojer* (t 1891), *Schell* (t 1893), *Pcil*, *Ton Honipel*, *Ch. Pesch S.J.*

His a quibusdam (ut Lepin) accensentur turn *Paquet*, *Lépicier* et *MacDonald*, quorum tamen sententia perspicua non est, tum praecipue magni doctores *scholae Oratorianae et Sulpitiana*e, i.e. *Berulle*, *Condren*, *Thomassinus*, *Olier*, etc., qui tamen, ut bene ostendit Michel,⁸⁷ accensendi sunt inter defensores sacrificii immolationis.⁸⁸

Attamen sententia modo exposita *dividitur in duas theorias*, bene distinctas et probe distinguendas ad vitandas confusiones tum in praesenti quaestione tum notanter in quaestione de sacrificio in genere.⁸⁹

■ Opera plurium ex his doctoribus citavimus supra in p. 808.

”In Diet. Théol. Cath., art. Messe, col. 1195 sqq.

”Confer dicta superius, p. 811 sq. Ad sententiam *Thomassini* notat *Michel*, I. c., col. 1208: “En réalité, si Thomassin d’une part couvre de son patronage la thèse oratorienne des Berulle et des Condren, et d’autre part insiste avec tant de force sur l’idée d’immolation réelle dans le sacrifice eucharistique, c’est qua la thèse oratorienne accueille, comme toute la théologie du xvii siècle, cette idée. A cela rien d’étonnant.”

”Confer dicta in art. 43 (p. 811 sqq.) quoad auctoritates, praesertim *De la Taille* et *Pesch*, quas *Lepin* invocat pro sua sententia de sacrificio in genere.

A. *PRIMA THEORIA*, quae apte vocari potest *theoria solius oblationis*, a *Lopin* praecipue defensa, docet totam essentiam sacrificii missae consistere in sola oblatione, destructionem vero mysticam esse tantum conditionem in qua oblatio involvitur.

Ratio est quia *sacrificium in genere* nihil aliud est quam oblatio, nec destructio quaecumque potest esse nisi quaedam externa conditio sacrificii.

B. *ALTERA THEORIA*, quae vocari potest *theoria oblationis coniunctae cum immolatione crucis*, defensa praecipue a *De la Taille* et *Pesch*, docet essentiam sacrificii missae consistere tum in oblatione, quae sola fit in ipsa celebratione missae, tum in immolatione, quae olim in cruce facta est sed moraliter nunc coniungitur in unum sacrificium cum oblatione missae, ratione praesertim mysticae destructionis per quam victima crucis praesens sistitur ejusque cruenta occisio sensibilibiter repraesentatur.

Ratio est quia ex una parte *sacrificium in genere* importat utrumque elementum oblationis et immolationis, ex alia vero parte in celebratione missae nulla invenitur vera immolatio Christi, adeoque oblatio missae coniungenda est cum immolatione crucis, nec mystica mactatio esse potest nisi quoddam medium operans hanc coniunctionem et quaedam extrinseca conditio involvens oblationem sacrificalem.

Ceterum etiam in hac sententia *duplex opinio* proponitur quantum ad rationem sub qua immolatio crucis coniungitur cum oblatione missae in unum sacrificium.

Prima opinio, quam defendit *Pesch* (cui forte accenseri possunt *Paquet*, *Lépicier* et *MacDonald*), considerat immolationem crucis proprie et directe, seu tanquam in fieri, ac docet in missa offerri *ipsam passionem* seu effusionem sanguinis Christi.

Alter opinio, quam defendit *De la Taille*, considerat immolationem crucis tanquam in facto esse, seu ex parte victimae jam immolatae, ac docet in missa offerri Christum *ut olim immolatum*, i.e. prout retinet aeternaliter in coelo characterem immolatum, tanquam hostia posita per passionem in statu victimae perennis.

Utile erit fusius exponere opiniones Pesch, De la Taille et Lepin, tum quia merito habentur praecipui expositores sententiae sacrificii-oblationis, tum quia magnum quemdam plausus vel contradictionis strepitum inter modernos suscitaverunt (notanter *Lepin*, et notantius *De la Taille*),⁰⁰ tum quia in eorum synthesisi doctrinali quaedam notabilia

KD'Alès ait: "De hac sententia, egregia sunt merita duorum theologorum Gallorum recentiorum, qui eam e quodam neglectu excitarunt et in optima luce collocarunt: M. de la Taille, *SJ*...., accuratius ceteris scrutatus est habitum Sacrificii eucharistici ad Sacrificium

elementa inveniuntur, quibus quaestio de essentia sacrificii missae intime connectitur cum aliis quaestionibus de sacrificio in genere, de Christo offerente et de sic dicto sacrificio coelesti.

OPINIO PESCH (De Euch., sectio 3 De sacrificio Missae).

Sacrificium in genere est oblatio rei sensibilis cum aliqua eius immutatione (n. 835, cit. in p. 815). Sacrificium est in genere signi, sicut sacramentum; unde in eo, physice considerato, distinguendum est inter formam (oblationem) (n. 842-844, cit. in p. 816) et materiam, sive remotam (rem sensibilem), sive proximam (eius immutationem) (n. 840 sqq.). Incertum est an ad habendam immutationem sacrificalem requiratur realis destructio (sive formalis sive aequivalens) vel sufficiat moralis consecratio (n. 841, cit. in p. 816).

Missa est sacrificium essentialiter *relativum* ad crucem, quae ratio constituit intrinsecus sacrificium missae in ratione sacrificii absoluti (n. 886, cit. in p. 928). Essentia sacrificii missae est tota in *consecratione*, quatenus in hac producitur Christus non in statu decliviori vel cibi (contra Lugo et Franzelin) sed *in statu mysticae mactationis*, et hac ratione offertur Deo mactatio cruenta in cruce peracta. Unde sacrificium missae his constat elementis: materia remota seu hostia est Christus; materia proxima est huius hostiae destructio, olim in cruce facta sed moraliter unita oblationi missae; forma est ipsa oblatio quae involvitur in ipsa mactatione mystica peracta in consecratione. Unde

crucis; M. Lepin, presbyter S. Sulpicii . . . totam illam historiam a saec. IX ad nostra usque tempora persecutus, ipsius traditionis seriem restituit" (De Euch., thes. 6, Parisiis. 1929, p. 20; cf. Recherches de science religieuse, sept.-déc., 1922, p. 362 sqq.).

L'Ami du Clergé, 1 febr. 1923, iudicat opus *Mysterium Fidei* De la Taille "une oeuvre extrêmement remarquable, que le temps pourrait bien consacrer comme un chef-d'oeuvre."

Michel scribit: "On le voit, la synthèse proposée par le P. de la Taille est extrêmement forte et une, dépassant de loin tout ce qui a paru depuis longtemps: elle sauvegarde complètement l'unité du sacrifice du Christ; elle suppose, comme condition du sacrifice eucharistique, l'immolation mystique à l'autel, bien qu'il n'y ait, pour constituer essentiellement le sacrifice que l'immolation réelle, c'est-à-dire sanglante du Christ au Calvaire. C'est une thèse originale, dont nous trouvons des traits épars chez Plowden, Lepin, Pesch, Macdonald, Lépicier et Paquet; mais ces traits sont réunis en un tout, dont l'idée centrale est la double nécessité, d'une part de l'immolation réelle, d'autre part, de l'oblation rituelle" (in *Diet. Théol. Cath.*, art. Messe, col. 1243).

Lepin ait: "La synthèse que nous venons d'exposer est sans doute la plus brillante qu'ait produite la théologie moderne, en vue de coordonner la doctrine du sacrifice en un système rigoureux" (*L'idée du sacrifice de la Messe*, Paris, 1926, p. 675). "Ce travail [liber ipsius Lepin] était en chantier, lorsqu'à paru le *Mysterium fidei*, et c'est seulement au moment d'achever sa tâche que l'auteur a pu étudier de près ce beau livre. Il a été heureux de voir le P. de la Taille approuver si fermement l'idée du sacrifice en général, telle qu'elle avait été exposée en 1897, et telle que la présente enquête historique continue de la faire valoir. S'il a cru, sur plusieurs autres points, devoir s'écarter des positions prises par le Révérend Père, il n'en tient pas moins à déclarer qu'il lui est grandement redevable pour plus d'une précision que le *Mysterium fidei* lui a permis d'apporter à sa synthèse finale. Le vœu de l'auteur serait, qu'après le chef d'oeuvre de l'éminent théologien Romain, son ouvrage contribue encore à la juste compréhension, et, comme disaient les anciens, au 'digne traitement' du grand Sacrifice de nos autels" (ibid., p. ix sq.).

sacrificium missae differt a sacrificio crucis quoad solam oblationem, et quidem specificè, cum oblatio sit forma sacrificii et quaelibet res specificetur per formam (n. 905-916, ex quibus plura citavimus in p. 816-818).

Ad sententiam Pesch videntur accedere Paquet, Lépicier et MacDonald.

Juxta *Paquet*, *jornale elementum* sacrificii in genere est ipsa immolatio a qua oblatio specificatur; in missa eadem immolatio crucis moraliter coniungitur cum oblatione Christi prout haec nunc numerice repetitur per sacerdotem; unde sacrificium crucis et sacrificium missae sunt substantialiter idem.

Juxta *Lépicier*, *ratio jormalis* sacrificii crucis est immolatio Christi; in missa autem habetur eadem immolatio, imo et eadem oblatio Christi quae per ministerium sacerdotis perseverat; unde crux et missa sunt substantialiter idem sacrificium, nec differunt nisi quoad modum offerendi.

Juxta *MacDonald*, oblatio et immolatio sunt elementa essentialia sacrificii, sed sola *oblatio est elementum jonnale*; in sacrificio Christi *oblatio jacta est ante passionem in ipsa coena* ac repetitur ritualiter in missa, immolatio vero est facta in cruce; unde oblatio coenae, immolatio crucis et ritualis oblatio missae sunt tres partes essentialis unius numerice sacrificii.

Ad rem *Paquet*: “Formalis ratio sacrificii in viventibus constituitur per immolationem, a qua oblatio rei immolatae veluti specificatur. Atqui, quamvis in Eucharistia numerice repetatur oblatio corporis et sanguinis Christi, per ipsam tamen immolationem semel in cruce factam, quasi per formam sacrificii, haec oblatio specificatur. Ergo. Prob. minor. Sane ad essentiam sacrificii non requiritur ut oblatio et immolatio physice jungantur, sed sufficit unio quaedam moralis, prouti cernere est in sacrificiis V.L., in quibus mactatio interdum praecedebat oblationem. Porro, in Eucharistia, praedicta unio moralis reapse efficitur: quod exurgit, tum ex intentione offerentis, tum ex unitate victimae, tum ex sensibili repraesentatione qua sub separatis speciebus panis et vini effusio et separatio sanguinis a corpore Christi commemoratur. Unde, licet repraesentatio ista immolatio, seu mactatio mystica, sacrificium eucharisticum formaliter constituere non valeat, in ea tamen habetur necessaria conditio per quam victima sacra, qua immolata in cruce, sub visibili specie praesens ritualiter reddatur.”⁰¹

Lépicier: “Sacrificium eucharisticum est secundum substantiam

** Disp. theol., De Sacram., disp. 8, q. 1, a. 4, Quebeci (1900), p. 408.

idem ac sacrificium crucis, solo offerendi modo differens. . . Eadem oblatio sacrificia: nimirum, quae oblatio in cruce facta est, eadem nunc sacerdotum ministerio perseverat, quatenus in altari corpus Christi ut mactatum, et sanguis ut effusus, Deo offertur.”⁹²

“Sacrificium altaris est substantialiter identicum sacrificio crucis, cujus ratio formalis fuit immolatio semel facta in cruce. Ergo ratio formalis sacrificii altaris consistit, non in quacunque immolatione, sed in immolatione in cruce peracta. Complet autem mactatio mystica, quae fit in altari, rationem significativam sacrificii . . . : quae quidem mystica mactatio habetur in distincta consecratione panis ac vini. At non in hac mactatione mystica reponitur ipsa formalis sacrificii eucharistici essentia, quae, ut diximus, in hoc sita est quod eadem habetur victima, idem offerens, eadem oblatio. Unde utriusque speciei consecratio habenda est, ex institutione Christi, tanquam conditio, qua posita, in praesenti oeconomia, sacrificium habetur, et sine qua sacrificium haberi non potest.”⁹³

MacDonald: “While the slaying or destruction of the victim is beyond question an essential element of sacrifice and its very foundation, it is not the formal constituent of it. That is the ceremonial offering, which, in the Levitical Law, was twofold, one before, the other after the slaying.”⁹⁴

“It is the active element, or action of the priest, that gives its specific character to sacrifice. . . Where then did the action of Christ’s sacrifice have place? At the Last Supper, and only at the Last Supper. . . There He made the sacrificial offering of His Body and Blood; there He bore the part of Priest forever according to the order of Melchisedech”.⁹⁵

“The ceremonial offering in the Last Supper, therefore made the death on Calvary a sacrificial immolation, and the Mass is that same ceremonial offering prolonged forever.”⁹⁶

“Without the ceremonial offering in the Mass, the sacrifice finished on Calvary would have been ritually incomplete. The public worship of sacrifice has always been offered to God within a sanctuary and on an altar.”⁹⁷

“The offering and consecration in the Supper, the immolation on the cross, the liturgical offering, or handing over to God upon our altars of the Body pierced for us and the Blood poured out for us — these

wDe sacr. sacrificio eucharistico, Romae, 1916, p. 56.

M Ibid., p. 112.

"The Sacrifice of the Mass, London-St. Louis, Mo., 1921, p. 11

“Ibid., p. 142 sq.

"Ibid., p. 61.

K Ibid., p. 105.

three are essential parts of the One sacrifice of our eternal High Priest. . . Therefore, according to the law of sacrifice laid down by Himself, and His express purpose in instituting His sacrifice, the offering and consecration in the Supper are an essential part of the one sacrifice, and the immolation on Calvary is an essential part of the one sacrifice, and the liturgical offering in the Mass is an essential part of the one sacrifice.”⁸

OPINIO DE LA TAILLE (Mysterium Fidei, Parisiis, 1931).

Sacrificium in genere.

Sacrificium est in genere *signi* et in genere rei (p. 7 et 110), nam signum fundatur in aliqua re. Res autem in qua consistit sacrificium est *oblatio*, et quidem non ad modum orationis (seu ut verbis expressa) sed *ad modum cuiusdam actionis sensibilis et ritualis*, qua apte significatur res transferri in divinum dominium (p. 11 et 110).

Oblationi tamen coniungitur aliqua actio *immutativa*, talis nempe qua juxta S. Thomam aliquid circa rem oblatam fiat per quod apte significetur ipsam in divinum dominium transferri; talis actio in sacrificio propitiatorio (non vero in sacrificio mere latreutico, ut volunt Bellarminus, Vasquez et Lugo) est etiam *destructiva* (p. 3 et 10).

Actio oblativa potest esse vel inclusa seu materialiter identificata cum ipsa actione immolativa (ut cum ex adjunctis censetur ipso ritu mactativo res Deo voluntarie offerri), vel separata ab immolatione (ut patet in sacrificiis A.T., quorum victima, a sacerdote offerenda, prius immolabatur seu occidebatur ab homine laico; item in sacrificio crucis, in quo occisio facta est a Judaeis, oblatio vere a Christo). In casu autem quo actio oblativa sit diversa ab actione immolativa oportet omnino ut consistat in aliqua distincta actione sensibili qua apte significetur translatio rei in divinum dominium, puta in ejus positione super altare (numinis vicarium) aut aliquid hujusmodi, ut potissimum fuit apud Hebraeos effusio sanguinis ad crepidinem vel super cornua altaris (p. 11 et 110).

Sacrificium igitur duplici parte integratur: oblatione scilicet et immolatione, quatenus victima vel offertur immolanda, vel offertur immolatione, vel offertur immolata. Cum oblatio praecedit immolationem sacrificium potius in recto consistit in immolatione et in obliquo in oblatione, quia immolatio additur oblationi ad perficiendam et consummandam rationem sacrificii; cum vero immolatio praecedit oblationem res viceversa se habent (p. 11 sq.).

Sacrificium Christi, seu Crucis et Coenae.

⁸The sacrifice of the Mass, London-St. Louis, Mo., 1924, p. 79.

Sacrificium crucis et sacrificium coenae non sunt duo sacrificia sed unum et idem, cujus oblatio facta est in coena, immolatio vero in cruce: in coena facta est oblatio rei immolandae, in cruce vero immolatio rei oblatae.

Passio enim Christi, juxta traditionalem doctrinam, est verum sacrificium. Jamvero ex duobus elementis sacrificii, scilicet immolatione et oblatione, sola immolatio facta est in ipsa passione (physice et materialiter a Judaeis, moraliter et sacrificialiter ab ipso Christo, eam acceptante cum impedire posset); oblatio vero sacrificialis (seu *sensibilis et pragmaticus actus donationis*) nulla observatur in ipsa passione; frustra enim talis actus quaeritur sive in ipsa interiori voluntate patiendi, nam haec non est quid sensibile, sive in verbis agonizantis in horto “Non mea voluntas, sed tua fiat” aut morientis in cruce “In manus tuas commendo spiritum meum”, nam verba, praecise quia verba, non sunt quid pragmaticum, sive in eo quod Christus prostraverit milites in horto vel exclamaverit voce magna in cruce quasi ad ostendendam libertatem suae passionis, nam hae actiones sunt quidem quid sensibile et pragmaticum, at sunt signa libertatis passionis non vero intentionis directivae doni in Deum, seu nihil continent unde necessario intelligatur Christum se offerre ut hostiam divino cultui mancipatam et consecratam (p. 27-31).

In ultima vero coena Christus vere posuit talem sensibilem et pragmaticum actum oblationis. Hic actus consistit in ipsa consecratione, seu in mystica et incruenta immolatione eucharistica, seu in actu symbolico quo Christus repraesentavit cruentam immolationem futuram. Haec mystica immolatio 1. non est ipsa immolatio sacrificialis sed tantum quaedam repraesentatio immolationis sacrificialis postmodum in cruce peragenda, 2. habet rationem verae et sacrificialis oblationis, unde non est tantum quaedam repraesentatio futurae oblationis sed oblatio praesens, 3. per hanc oblationem Christus offert ipsam futuram immolationem quam in mystica mactatione oblativa repraesentat (p. 35 sq.).

Sacrificium coeleste.

Hujusmodi sacrificium non datur si accipiatur sacrificium in sensu activo et formali (seu ut est oblatio et immolatio), nam oblatio Christi facta est semel pro semper in coena et immolatio consummata est in cruce, sed datur, et quidem perfectissime, si sacrificium accipiatur *in sensu passivo*, i.e. ex parte victimae, et quoad suum *complementum*, è. quoad acceptationem Dei (nam ut sacrificium sit integrum oportet ut Deus acceptet factam oblationem atque victimam transferat in suam possessionem). Hoc autem complementum sacrificii Christi

factum est per resurrectionem, ascensionem et glorificationem coelestem; per haec enim victima, seu humanitas Christi, suscepta est a Deo ac perfecta et consummata in suum dominium per ignem aeternae gloriae.

Hoc sacrificium coeleste accipiendum quidem est in sensu passivo, non tamen metaphorico; nam est actuale et verum complementum sacrificii, consistens in eo quod Christus in coelo durat in aeternum in suo statu et esse hostiae acceptatae. Sic media et recta via inceditur inter negantes et affirmantes existentiam sacrificii coelestis; negatur nempe Christum in coelo offerre activum sacrificium et affirmatur ipsum Christum manere aeternaliter passivum sacrificium (p. 131 sqq.).

Sacrificium Ecclesiae, seu Missae.

Sacrificium Missae consistit in nova oblatione ejusdem victimae crucis sed non in nova ejus immolatione; nam Christus nunc est impassibilis et gloriosus. Offeritur igitur in missa ipse Christus prout est nunc in coelo, i.e. prout est sacrificium passivum coeleste vel victima relicta ex immolatione crucis, et hoc sensu offeritur ipsa immolatio crucis atque haec immolatio integrat, una cum oblatione, essentiam sacrificii eucharistici (p. 303. 195).

Essentia hujus sacrificii tota continetur seu involvitur in consecratione prout est mystica et incruenta immolatio; in hac enim fit oblatio victimae vere *immolatae* in cruce, *non aliter* ac in eadem mystica immolatione *coenae* facta est oblatio victimae *immolandae* in cruce.

‘Oblatio . . . nostra, sicut et illa Christi, similitudinaria quadam immolatione involvitur; sed pro differentiis temporum immolatio ista symbolica habet indolem diversam: in coena enim referebatur ad passionem ut futuram, proindeque erat tunc praenuntiativa; in missa vero significat passionem ut anteactam, et pro tanto est nunc commemorativa: ‘in mei memoriam’. In hac autem, sicut et in illa, oblatio est realis et praesens (nec solum, repraesentata tanquam futura aut praeterita, ut immolatio). Non igitur immerito dicimur per celebrationem eucharisticam offerre Deo vere, in quadam incruenta effigie vel commemoratione sacramentali ipsam Christi mortem cruentam. Idem est enim offerre corpus Christi in quantum passi et mortui, ac offerre ejus mortem et passionem; idem, offerre sanguinem prout effusum, ac offerre ejus effusionem; idem, offerre Christum ut hostiam ex praemissa immolatione existentem, ac offerre ipsam immolationem” (p. 195).

Non ifise Christus, sed Ecclesia (per suos ministros), ex virtute

tamen a Christo ut a suo capite accepta, proprie et directe offert sacrificium missae.

Nam primo, missa est oblatio nova, Christus vero semel pro semper suam oblationem posuit in coena, nec ulla est ratio quare eam renovare debeat, cum non interveniat in missa nova mactatio sed offeratur eadem mactatio in cruce peracta et a Christo jam oblata in ultima coena; secundo, missa est oblatio visibilis, Christus vero nunc nihil visibiliter agit.

Unde ipse actus oblationis a sola Ecclesia ponitur, ita tamen ut *procedat virtualiter a Christo*, quatenus potestas offerendi communicata Ecclesiae est participatio quaedam potestatis sacerdotalis Christi; quo sensu dici potest Christum offerre per nos offerentes quin de novo offerat ipse in sua persona (p. 295-301).

Ex his intelligitur omnis relatio inter sacrificium Christi et sacrificium Ecclesiae.

In utroque habetur oblatio involuta in mystica mactatione, immolatio crucis, eadem victima. Attamen, primo, in sacrificio missae oblatio fit ab Ecclesia, immolatio crucis respicitur ut praeterita, victima offertur in statu victimae consummatae quem retinet in esse impassibili; secundo, sacrificium missae comparatur ad sacrificium Christi ut participatum ad imparticipatum in genere sacrificii, nec ideo connumeratur ei tanquam in eodem genere univoco aut quidquam ei addit, sed ei subordinate tanquam causa particularis ad universalem, ex qua tota ejus vis sacrificialis derivatur (p. 195 sq. 295 sq.).

Tota doctrina de essentia sacrificii missae sic ab ipso De la Taille resumitur:

“Neque in mera commemoratione sacrificii consistit formaliter sacrificium missae, neque tamen praeter commemorationem sacrificii quicquam per missam inducitur quo Christus in se ullatenus mutetur, aut ex non hostia fiat hostia. Sed inde commemorationi accedit ratio veri sacrificii, quod *primo*: in sacramento, quo effigies seu commemoratio passionis exhibetur, continetur ipse Christus relictus ex passione sua in vero statu hostiae per gloriam consummato; et *secundo*: quod ipsa immolatione sacramentali, per nos iterata, involvitur ac peragitur vera nostra oblatio demonstratae hostiae. Est autem verum sacrificium oblatio sensibilis vera vere immolatae hostiae. Est igitur missa nostra sacrificium verum, quamvis vera, h.e. cruenta, immolatio nulla in ea reperiatur nisi praesuppositive ex parte Judaeorum deicidarum, et terminative ex parte Christi theothyti. Nulla igitur in hostia nostri sacrificii inducitur per nos mutatio nisi extrinseca, in hoc consistens quod, ope signi sacramentalis, ex hostia Christi fiat etiam nostra. Fit

autem nostra, in quantum, membra Christi cum simus, sub Christo capite innovamus, potestate ab ipso accepta, mysterium eucharisticum, quo, sub specie panis et vini defertur Deo hostia passionis, corpus atque sanguis Christi” (p. 304).

OPINIO LEPIN (L'idée du sacrifice de la Messe, Paris, 1926, p. 737-758).⁸⁹

Sacrificium in genere.

Consistit essentialiter in sola oblatione. Immutatio vel immolatio, si quae intervenit, nequit esse nisi quaedam conditio extrinsece accedens ad oblationem (cf. verba et probationes Lepin, quae citavimus supra in art. 43, p. 808 sq.).

Distinguendum est inter sacrificium *personale seu directum* et sacrificium *rituale*, juxta duplicem definitionem *Augustini* (De civ. Dei, 10, 5 sq., cit. in art. 43, p. 787). *Primum* est oblatio qua homo offert Deo seipsum suaque opera eo fine ut intimam communionem cum Deo perficiat; totum consistit in interiori voluntate oblativa, nec implicat ullam intentionem destructionis aut mortis, cum homo non habeat ius in propriae vitae destructionem nec aliunde destructio sit apta ad finem sacrificii, seu ad supremum Dei dominium exprimendum. *Alterum* est oblatio qua homo offert aliquam rem sensibilem, quam veluti substituit sibi, ad significandum modo sensibili et humano suum internum ac personale sacrificium; in hac veluti substitutione (quae est quaedam pragmatica donatio et dramatica actio) consistit differentia inter sacrificium et simplicem oblationem rei sensibilis Deo factam (p. 737-740).

Sacrificium personale Christi (p. 740-749).

In sacrificio Christi distinguendum est inter sacrificium personale et rituale. Excepta Eucharistia, in qua Christus est sub specie alterius rei, nequit esse quaestio de sacrificio rituali Christi sed tantum de personali, quia Christus non obtulit Patri aliquid extra se sumptum, sed semetipsum. Hoc Christi sacrificium consistit essentialiter in ipso unico ac immutato actu interioris oblationis, quo totam vitam suam Patri obtulit in adorationem, in laudem et peculiariter in redemptionem pro nobis, quique perdurat in coelo aeternaliter.

In hoc proinde sacrificio tres veluti periodi vel aspectus distingui possunt, qui nonnisi accidentaliter inter se differunt:

1. *Generale sacrificium totius vitae Christi*, quod incoepit a primo instanti Incarnationis et involvit omnes actiones ipsius abstrahendo a doloribus et passione;

2. *Sacrificium crucis* seu potius passionis, quod incoepit in Feria V

⁸⁹ Duo alia opera eiusdem auctoris citavimus in p. 808, in nota 3.

et consummatum est per mortem in cruce; in hoc non magis ratio sacrificii invenitur quam in aliis actibus vitae Christi, sed potius idem sacrificium continuatur sub peculiari forma supremi actus expiationis: nec ceterum in ipso sacrificio crucis destructio seu mors pertinuit ad ipsam essentiam sacrificii, cum fuerit actio sacrilega Judaeorum non vero actus sacerdotalis ipsius Christi, sed tota essentia illius sacrificii fuit interior et amorosa oblatio Christi patientis et morientis;

3. *Sacrificium coeleste*, consistens in eo quod Christus offert aeternaliter Patri suam humanitatem gloriosam eiusque actiones et peculiariter praeteritos dolores et passionem, sensibiliter impressos in gloriosis cicatricibus.

Sacrificium rituale Christi seu sacrificium eucharisticum (p. 749-757).

In coena et in missa Christus se offert non tantum personaliter sed etiam ritualiter, nam assumit alienam speciem ad significandam personalem oblationem. Hoc sacrificium consistit essentialiter in oblatione personali Christi sub speciebus sensibilibus repraesentativis praeteritae immolationis crucis. Ipsa oblatio est tota essentia sacrificii; mystica vero mactatio secundum praesentiam sacramentalem sub speciebus non est sacrificialis immolatio sed tantummodo conditio qua involvitur oblatio. Haec oblatio non est novus actus oblationis sed eadem perseverans oblatio caelestis, quae est et manet sacrificialis prout involvitur in mystica mactatione.

Hoc sacrificium non est restringendum ad solum momentum consecrationis, sed *extenditur usque ad consumptionem specierum in comunione*, quia eosque perdurat oblatio Christi sub speciebus (cf. verba citata in art. praec., p. 935 sq.).

Directus *offerens* hujus sacrificii non est solus minister Ecclesiae (contra id quod docet De la Taille), sed etiam et principaliter ipse Christus.

Est igitur sacrificium eucharisticum ipsum sacrificium coeleste quod redditur in altari praesens, adaptatur terrestribus circumstantiis temporis et loci hominumque necessitatibus, et fit sacrificium Ecclesiae.

Ex dictis sequitur unicum esse quoad essentiam sacrificium Christi, scilicet interiorem oblationem personalem, quadruplex vero quoad modum seu rationem offerendi (iuxta expressionem Cone. Trid.), scilicet sacrificium crucis, in quo Christus se offert realiter immolatus, sacrificium coenae, in quo se offert sub signis futurae immolationis, sacrificium missae, in quo se offert sub ignis praeteritae immolationis, sacrificium coeleste, in quo se offert cum quodam signo eiusdem praeteritae passionis.

Ad rem ipse Lepin: “D’après la plus constante tradition, et en harmonie avec tout ce que nous venons d’exposer, l’oblation eucharistique, c’est d’abord et essentiellement l’oblation du Christ par lui-même, sous les espèces sensibles qui rappellent son immolation passée.

“Sans doute, le Christ ne fait pas de son Humanité une offrande qui soit un acte de donation nouvelle, distincte et indépendante de celle qu’il a faite ici-bas et sur la croix. Ce n’est pas une raison pour contester à l’offrande du Christ dans l’Eucharistie le caractère d’oblation réelle et sacrificielle. Le Sauveur se rend présent, tel qu’il est au ciel, donc comme Prêtre et Victime, et dans l’acte perpétuel de son oblation.

“C’est le sacrifice du ciel, rendu présent sur notre autel: non pas de façon pure et simple, mais dans des conditions toutes spéciales. Le Christ s’offre présent, en ce moment du temps bien déterminé, en ce point de l’espace nettement circonscrit, pour cette portion de son Église que constituent la génération qui vit actuellement, et plus particulièrement l’assistance qui est là. Aussi le sacrifice du ciel est adapté à nos conditions terrestres. Il a pris la forme qui convient à nos besoins. Il est devenu notre sacrifice propre: l’Eucharistie.

“Mais justement, parce qu’il s’agit d’un sacrifice adapté à nos besoins et fait nôtre, il est indispensable qu’il soit relié d’une manière propre au sacrifice central de la croix. C’est pourquoi le Christ ne se contente pas de se rendre présent et de s’offrir: à quoi aurait pu suffire la consécration sous une seule espèce. Il se rend présent et s’offre, sous deux espèces distinctes, où apparaît un signe de son immolation rédemptrice.

“Le rapport sensible avec la Croix s’impose d’autant plus que le sacrifice propre à l’Église, en cette période de sa vie terrestre et militante, doit avoir nécessairement un caractère *propitiatoire*, donc nous appliquer le fruit de Tunique expiation, consommée à la croix. Et c’est bien d’ailleurs surtout par ces dehors sacramentels, et sous cette forme représentative de l’immolation passée, que l’oblation du Christ devient extérieure et *sensible*, telle qu’il convient à notre religion présente.

“L’immolation rédemptrice est signifiée tout d’abord par la double consécration, considérée comme acte, non de transsubstantiation, mais d’immolation mystique. La consécration du sang, venant après celle du corps, semble tirer l’un de l’autre, et renouveler ainsi sensiblement l’immolation sanglante.

“Il serait vain de prétendre, avec Cajetan et d’autres, que cet acte de mystique *immolation* constitue proprement l’acte sacrificiel. Le sacrifice de la messe ne consiste pas plus dans l’acte d’immolation figurative que le sacrifice de la croix dans l’acte d’immolation réelle. La raison formelle du sacrifice étant dans *Voblation*, la véritable essence du

sacrifice de la messe est dans l'offrande que le Christ fait de lui-même, à ce moment de la double consécration, sous la pression des mêmes sentiments, des mêmes désirs, du même amour, qu'au cours de sa vie mortelle et particulièrement lors de sa mort effective. La représentation figurative de l'immolation sanglante n'est qu'une *condition* de la forme présente de son sacrifice. Condition indispensable, parce que voulue ainsi par lui: moins sans doute pour remettre sous les yeux du Père la mort de son Fils, que pour la rappeler solennellement à l'Église, dont ce sacrifice constitue l'acte par excellence de religion" (p. 749-751).

Critica.

Quoad sententiam sacrificii-oblationis indeterminate spectatam.

Dejectus praecipuus hujus sententiae est in eo quod, excludendo a missa omnem modum immolationis, non videtur sufficienter congruere obvio sensui doctrinae *Cone. Trid.* (sess. 22, cap. 1 et 2). Nam Concilium bis explicite sacrificium missae appellat immolationem ("sub signis visibilibus immolandum", "incruenter immolatur"), imo hanc immolationem opponit immolationi crucis verbis "cruente" et "incruente" ("In divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruenta obtulit").

Nec valet dicere verba Concilii referri ad praesentiam Christi, victimae olim in cruce immolatae. *Nam* Concilium non dicit quod offertur Christus immolatus sed quod immolatur Christus; ceterum explicite distinguit inter praesentiam et immolationem ("Continetur et incruente immolatur").

Item non valet dicere cum quibusdam (ut Batiffol et Kramp) vocem "immolatio" accipiendam esse ut synonymam vocis "oblatio", ut non raro contingit in documentis Traditionis. *Nam* ratio quare immolatio accipiatur pro oblatione aut vicissim, seu potius immolatio vel oblatio usurpetur pro integro sacrificio, est praecise quia utraque intelligitur pertinere ad essentiam sacrificii; ceterum ipsae voces "cruente" et "incruente" non ad oblationem qua talem referri possunt sed ad coniunctam immolationem? Ceterum *Catechismus Cone. Trid.*, mentem

'Unde ipse *Lepin* fatetur: "Qu'est-ce qui fait la vérité de ce sacrifice [d'après le Concile de Trente! ? C'est d'abord la 'Présence réelle' du Christ, Prêtre et Victime sur l'autel eucharistique comme sur la croix. C'est ensuite son Oblation', faite actuellement à Dieu le Père par les prêtres, et par Lui-même en la personne des prêtres, lesquels sont à la fois les ministres de l'Église et les siens. C'est enfin son 'Immolation', également actuelle; mais, l'on a soin de préciser: Immolation 'non sanglante', donc simple figure, rappelant l'immolation réelle qui a été restreinte à la croix" (p. 330 sq.).

Concilio explicans, ter distinguit inter oblationem et immolationem: “De eo sacrificio, in quo ille ipse immolatur atque offertur”, “Corpus eius immolarent et offerrent”, “Hostiam immolemus et offeramus” (p. 2, c. 4, q. 69. 74. 78).

Alter dejectus hujus sententiae est quod, juxta definitionem sacrificii in genere, statutam in art. 43 (Sacrificium est oblatio et immolatio), evacuatur a missa ratio sacrificii; oblatio enim missae vel assumitur sola, et tunc non est sacrificium, vel coniungitur cum immolatione crucis, et tunc non in ipsa missa habetur totum et simpliciter sacrificium.

Meritum hujus sententiae est in eo quod insisteret et efficaciter impugnaverit necessitatem alicujus immolationis (sive realis sive mysticae), *absolute et simpliciter distinctae* ab ipsa immolatione crucis.

Quoad theoriam solius oblationis in particulari.

Dejectus peculiare istius theoriae sunt sequentes:

Primo, ipsa fundatur vel connectitur cum falsa definitione sacrificii in genere, quam reiecimus in art. 43 (p. 794-800; 808-818). *Secundo*, consequenter evacuat veram rationem sacrificii a celebratione missae. *Tertio*, docet ipsam immolationem crucis, seu passionem et mortem Christi, secundum se non pertinere ad essentiam sacrificii Christi, quod auribus catholicis male sonare videtur (cf. supra, p. 796). *Quarto*, ducit ad extendendam rationem proprie dicti sacrificii ad totam vitam terrestrem Christi, non minus quam ad eius passionem et mortem, nec non ad fingendum proprie dictum sacrificium coeleste, quae auribus theologis novitatem sonant.

Ad peculiarem opinionem Lepin haec notentur:

Eius *definitionem* sacrificii in genere confutavimus supra (art. 43. p. 808-818).

Distinctio sacrificii in personale et rituale (quae sub novis nec traditionalibus vocibus eadem est ac distinctio sacrificii interni et externi) inepte explicatur, ac si nempe ea sint duo distincta ac proprie dicta sacrificia et sacrificium personale sit primum ac verum proprie dictum sacrificium (“le premier sacrifice”, “le sacrifice véritable”). Dictum est enim in art. 43 (p. 789 sq. et 824 sq.), nec unquam hucusque ab ullo cordato theologo dubitatum est, sacrificium proprie dictum esse sacrificium externum, cum sacrificium sit actus cultus externi; sacrificium vero internum improprie vocari sacrificium, proprie vero esse significatum per sacrificium et veluti animam illius, ac pro tanto vocari ab Augustino et ab ipso S. Thoma primum, verum et principale sacrificium.

Quae Lepin docet tum de proprie dicto *sacrificio coelesti*, tum de ex-

tensione rationis veri sacrificii ad *totam vitam Christi*, tum praesertim de ratione *sacrificii crucis*, non videntur valde congruere conceptibus traditionalibus. Obvius enim sensus doctrinae traditionalis est in ipsa cruenta immolatione crucis essentialiter inveniri proprie dictum sacrificium Christi, nec aliud dari sacrificium praeter eucharisticum, quod ceterum ab ipso crucis sacrificio rationem suam deducit sacrificalem.

Inaniter autem cl. auctor ab hac incriminatione sese extricare conatur, scribens:

“Le sacrifice même de la croix ne paraît pas différer du sacrifice que tout homme peut offrir de lui-même, en se livrant à la mort pour l’amour de Dieu. Ainsi les martyrs. L’oblation du Sauveur en croix est cependant qualifiée expressément de *sacrifice*, ou plutôt présentée comme *le sacrifice* par excellence, vers lequel tous les autres sont orientés. Pourquoi? Parce que c’est l’oblation de Celui que l’Écriture nous dit constitué Prêtre souverain, pour s’offrir personnellement en victime digne d’être agréée de Dieu et capable de racheter les hommes. Tout en étant d’ordre moral, elle n’en est pas moins d’ordre éminemment sacrificiel. . .

“L’Écriture, dira-t-on encore, n’invite pas à étendre ainsi le sacrifice du Christ à sa vie entière, mais parle uniquement de l’oblation réalisée par la mort pour la redemption du monde. Cela est très vrai. Mais l’Écriture ne dit pas non plus expressément que le Sauveur se soit offert en sacrifice à la Cène; et les Protestants ont pu arguer de ce silence, en forçant par ailleurs la portée des textes relatifs à l’unique oblation sanglante, pour prétendre qu’en dehors de la croix il était interdit de parler d’un réel sacrifice du Christ, même à la messe. Il est cependant de foi que le Christ s’offre en vrai et propre sacrifice sur l’autel. Le langage de l’Écriture est donc à interpréter avec plus de largeur. . .

“Il semble donc bien qu’il soit permis de parler d’un sacrifice du Christ au ciel. Sans doute, on comprend que l’enseignement officiel de l’Église ait tenu plus constamment l’attention fixée sur la croix. L’oblation sanglante du Calvaire reste à jamais le Sacrifice par excellence, parce que, d’après l’Écriture même, c’est l’acte proprement rédempteur; et en toute hypothèse, il faut y voir le moment central et dominant du sacrifice du Sauveur. Cela n’empêche pas qu’il est impossible de restreindre le sacrifice du Christ à cette seule immolation sanglante. Nous l’avons dit: arguer contre le sacrifice du ciel du texte de l’Écriture concernant l’unicité de l’oblation du Christ, serait imiter les Protestants qui s’autorisaient du même texte pour rejeter le sacrifice delà messe” (p. 743 sq. 747 sq.).

Explicatio Lepin de *sacrificio missae, primo*, rationem huius sacrificii fere ad nihil reducere videtur; nam deest immolatio, deest etiam novus actus oblationis, nihil ergo relinquitur nisi mystica mactatio (involvens quidem permanentem oblationem coelestem), quae tamen juxta Lepin non pertinet ad essentiam sacrificii; *secundo*, consequenter prorsus identificat sacrificium eucharisticum cum oblatione coelesti; *tertio*, negligit essentialem relationem sacrificalem missae ad sacrificium crucis eamque potius refert ad sacrificium coeleste; *quarto*, nequit assignare sufficientem rationem quare sacrificium eucharisticum perduret, ut docet Lepin, tantum usque ad communionem et non potius etiam post missam quousque species corrumpantur, saltem in casu quo, ut frequentabatur in antiqua ecclesia, utraque species asservaretur.

Quoad theoriam oblationis coniunctae cum immolatione crucis.

Dejectus huius theoriae, prout distinguitur a praecedenti, est in eo quod non sufficienter distinguit sacrificium missae a sacrificio crucis, vel si placet reddit missam, secundum se acceptam, dimidiatum tantum sacrificium; ponit enim duas oblationes (alteram in cruce vel coena, alteram in missa) et unicam immolationem, eamque extra missam, in cruce.

Peculiaris defectus *opinionis Pesch* (quae ceterum minus recedit a lineis traditionalibus) est in eo quod non videtur quid sibi velit immolationem crucis esse moraliter praesentem seu inseparabilem a sacrificio missae; nonne et ipsa oblatio crucis est similiter moraliter praesens?, quare ergo sola immolatio et non etiam oblatio crucis ingreditur essentiam sacrificii missae?; quod si dicatur solam immolationem repraesentari (ac ita fieri moraliter praesens) per mysticam mactationem, sequitur sacrificium missae nullatenus esse repraesentativum sacrificii crucis prout hoc distinguitur a missa, nam, juxta Pesch, essentialis distinctio utriusque consistit in oblatione.

Paquet, Lcpicier et MacDonald magis adhuc identificant sacrificium missae cum sacrificio crucis, quatenus juxta Paquet et Lépicier elementum formale sacrificii missae est ipsa immolatio crucis, et ipsa oblatio missae nonnisi numerice differt ab oblatione crucis; juxta MacDonald vero liturgica oblatio missae efficit cum immolatione crucis unicum numerice sacrificium. Doctrinam MacDonald alii severius, tanquam discordantem a doctrina tridentina,² alii mitius³ interpretati sunt.

*Cf. V. McNabb OP., A new theory of the sacrifice of the Mass, in The Irish Ecclesiastical Record, June, 1924, p. 568-571.

¹ Cf. *Gregorianum*, 1926, p. 463.

In *opinionem De la Taille* sequentes notantur defectus:

Primo, ut diximus in art. 43 (p. 814 sq.), mens cl. auctoris quoad *definitionem sacrificii in genere* clara non est, praecipue cum in uno loco dicat destructionem non esse elementum essenziale sacrificii la-treutici, in alio vero loco videatur docere sacrificium in genere com-plecti immolationem et oblationem tanquam partes essentielles. Cete-rum ibidem probavimus sacrificium in genere requirere aliquam rei destructionem seu immutationem.

Praeterea, inanis videtur definitio sacrificii: Oblatio rei quae immo-latur, vel quae est immolata, vel quae est immolanda; ordo enim priori-tatis et posterioritatis inter mactationem et oblationem victimae im-pertinenter et materialiter se habet ad rationem sacrificii, formaliter enim oblatio et immolatio sunt unica actio, cuius ratio generica est oblatio, ratio vero specifica est immolatio (cf. supra, p. 788); cum ergo victima occiditur antequam offeratur, haec occisio non est immo-latio nisi quatenus ordinatur ad oblationem et moraliter coniungitur cum ea in unica ratione sacrificii, in qua, formaliter loquendo, immola-tio se habet subsequenter ad oblationem, utpote specificativum eius.

Secundo, in *sacrificio crucis* inaniter separatur eius oblatio ab ipsa immolatione crucis ac reponitur in coena; nam ipsa mors Christi, quamvis materialiter inducta ab aliis, i.e. a Judaeis, fuit tamen opus ipsius Christi in ratione voluntarii (quatenus eam non impedivit, cum posset) adeoque potuit in seipsa habere, ac reapse habuit, etiam rationem oblationis.

Praeterea ac praecipue, non videtur quomodo haec sententia con-cordet cum mente et verbis *Cone. Trid.* docentis: “Dominus noster . . . se ipsum *in ara crucis*. . . *Patri oblaturus erat*”, “*In ara crucis* semel se ipsum *cruento obtulit*” (cap. 1 et 2).

Tertio, identificatio sacrificii crucis et sacrificii coenae, a De la Taille asserta, non videtur congruere doctrinae *Cone. Trid.*, explicite distinguentis inter duo sacrificia et duas oblationes: “Dominus noster, etsi semel se ipsum in ara crucis. . . *Patri oblaturus erat*, . . . tamen in coena novissima . . . ut . . . *Ecclesiae visibile* . . . *relinqueret sacri-ficium*, quo *cruentum illud* semel in cruce peragendum repraesentare-tur . . ., corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo *Patri obtulit*” (cap. 1).

Quarto, *sacrificium missae* longius separatur a sacrificio crucis, a quo tamen, juxta traditionalem doctrinam, indolem suam sacrificalem derivat, et directe coniungitur cum sacrificio coelesti, quod nec est ipsum sacrificium crucis nec est secundum se sacrificium formaliter dictum, ut ipse fatetur De la Taille.

Ex quo etiam non intelligitur quomodo verificetur in missa immo-

latio requisita ad rationem sacrificii, seu quomodo immolatio crucis coniungatur cum oblatione missae in unum sacrificium; praesentia enim victimae immolatae non est praesentia ipsius immolationis, cum praecipue, juxta De la Taille, haec victima fiat praesens in altari eo modo quo est in coelo, i.e. in statu victimae acceptatae et ut terminus consummati et absoluti sacrificii.

Quinto, doctrina De la Taille juxta quam non ipse Christus sed sola Ecclesia est actualiter et formaliter offerens sacrificii eucharistici, impugnabitur in art. seq. ex communissima sententia modernorum theologorum; satis nunc est illi opponere sensum obvium verborum Tridentini: "Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa" (cap. 2, Denz. 940).

Conclusio 2. Sacrificium missae consistit formaliter in ipsa oblatione atque immolatione crucis, prout repraesentative reiterata in mystica mactatione eiusdem victimae, per consecrationem peracta.

EXPONITUR SENSUS HUIUS SENTENTIAE antequam probetur eius veritas.

Haec sententia non est confundenda cum ulla ex supradictis reiectis opinionibus, quamvis assumat, ex parte elementi formalis sacrificii eucharistici, traditionalem conceptum repraesentationis sacrificii crucis, in quo Vasquez eiusque fautores praecipue et apte insistunt, et, ex parte elementi materialis, conceptum mysticae mactationis, in quo fautores theoriae immolationis mysticae apte quidem insistunt sed inepte ipsam formam huius sacrificii reponunt.

Sequentibus autem propositionibus enucleari potest:

1. In missa habetur verum et proprium sacrificium; adeoque in ipsa missa invenitur utrumque elementum quod in art. 43 diximus requiri ad omne sacrificium, scilicet tum oblationem tum immolationem.

In hoc distinguimur a sententia *Vasquesii*, prout negat in sacrificio relativo requiri immolationem.

2. Oblatio et immolatio quae in missa invenitur est *ipsa eadem oblatio et ipsa eadem immolatio quae jacta est in sacrificio crucis*; nec ideo est quaerenda alia oblatio (speciatim contra *De la Taille et Pesch*) aut alia immolatio (contra omnes *fautores theoriae immolationis*, etiam mysticae). Sacramentalis autem separatio corporis et sanguinis Christi est quaedam mystica mactatio, sed non est mystica immolatio, quia secundum se non est nec potest esse actio sacrificialis, ut dictum est supra (p. 996 sq.) (contra *theoriam mysticae immolationis*).

3. Oblatio et immolatio crucis invenitur praesens in missa *realiter*, non tamen in esse physico, sed *in esse obiectivo et intentionali*.

In hoc iterum distinguimur a sententia *Vasquesii*, qui ponit rationem sacrificii *in ipsa relatione seu repraesentatione*, quatenus est sufficiens signum divini dominii, dum nos eam reponimus *in ipsa re repraesentata*, seu in ipsa oblatione et immolatione crucis, in qua sola habetur signum agnitionis divini dominii.

4. Haec praesentia oblationis et immolationis crucis secundum esse obiectivum et intentionale *jundatur* in duobus, sine quibus haberi nullatenus posset, scilicet in *praesentia* reali ac physica corporis et sanguinis Christi et in modo sacramentali huius praesentiae seu in sacramentali vel *mystica separatione utriusque*.

Si enim Christus non esset physice praesens in speciebus, hae essent merum signum, nuda commemoratio et improprie dicta repraesentatio passionis, seu haberent meram extrinsecam relationem ad illam. Item si Christus *in seipso non afficeretur mystica quadam sed reali separatione*, haberetur quidem praesentia, eaque physica, Christi passi, sed non praesentia, ne quidem obiectiva, ipsius passionis Christi.

5. In mystica separatione ipsius corporis et sanguinis Christi *continetur realiter quamvis objective ipsa passio Christi* (adeoque oblatio et immolatio crucis).

Etenim conversio panis in solum corpus et conversio vini in solum sanguinem important realem quandam separationem corporis et sanguinis, nam corpus et sanguis sunt distincti termini duarum realium ac distinctarum operationum seu conversionum panis et vini; haec tamen separatio non est physica sed tantum obiectiva, seu ordinis intentionalis ac terminationis, nam corpus et sanguis non aliter ab actione conversiva attinguntur quam ut termini ad quos, de quorum ratione nihil aliud est quam terminare, quod facere possunt absque eo quod physice separentur ab invicem; unde physica separatio manet tota in ipsis actionibus conversivis et in duobus terminis a quibus, pane scilicet et vino.

Jamvero haec obiectiva seu intentionalis separatio refertur essentialiter ad physicam separationem, tanquam imago ad exemplar a quo specificatur et mensuratur, unde continet eam, immo identificatur cum ea in eodem ordine obiective.

Ergo in ipsa mystica separatione corporis et sanguinis Christi continetur realiter et objective ipsa passio Christi, tanquam exemplar in imagine et factum in repraesentativa replicatione.

6. Missa igitur (seu consecratio) *potest dupliciter considerari*:

primo, materialiter, *physice* et absolute, et sic non est sacrificium nec immolatio, sed tantum actio conversiva panis et vini ac mystice separativa corporis et sanguinis Christi; *secundo*, formaliter, *objective* et repraesentative, et sic est plenissimum sacrificium, seu ipsum sacrificium crucis in esse objectivo ac repraesentativo, ita ut tota differentia inter sacrificium crucis et sacrificium missae sit ea quae intercedit inter idem sacrificium in esse physico et idem in esse objectivo. Totam igitur indolem suam sacrificalem emendicat missa a sacrificio crucis; eandem habet immolationem eandemque oblationem, ac, juxta Cone. Trid., sola offerendi ratione distinguitur, penes nempe diversitatem esse physici et esse intentionalis.

Id illustrari potest duplici exemplo speciei intentionalis et cultus relativi.

Species intentionalis dupliciter considerari potest: primo, in esse physico, ac ita est accidens quoddam subjecti, distinctum ab objecto; secundo, in esse repraesentativo, ac ita est ipsum objectum in tali esse, ita quod, ipsa mediante, non ipsa cognoscitur sed objectum.

Imago etiam, cum *cultu relativo* adoratur, non stat pro se ipsa prout est quid in esse entitativo, sed ea mediante ipsum exemplar adoratur, ita ut cultus relativus et cultus absolutus non sint duo specificè cultus sed diversae rationes colendi idem obiectum, secundum quod hoc accipitur in esse entitativo et absoluto vel in esse repraesentativo et relativo.

Similiter ergo idem sacrificium offertur in cruce et in missa, sed haec oblatio et immolatio in cruce exercetur secundum suum esse physicum, in missa vero secundum esse repraesentativum. Signanter dicimus "*exercetur*", nam in missa non tantum significatur sacrificium, secus ipsa sacrificium non esset sed nudum signum sacrificii, sed *exercetur in ordine obiectivo* (sicut in cruce exercitum est in ordine physico), quatenus Christus ipse, victima crucis, se subicit sacramentali ac reali mactationi quae, quamvis de se non sit sacrificialis, tamen in actu exercito reproducit quidquid physice actum est in ipsa cruce, ac ita ipsam tragoediam et sacrificium Calvariae realiter et mystice reddit praesens in altari.

Et in hoc pleniori sensu missa dici potest *sacrificium essentialiter relativum*.

7. Exinde patet quaenam sint *essentialia elementa huius sacrificii eiusque definitio* (cf. p. 788).

Essentia missae, *jormaliter* considerata ut sacrificium, non differt a sacrificio crucis nisi secundum diversam rationem qua sacrificium peragitur, seu secundum rationem esse physici et esse obiectivi. Unde con-

sistit in ipsa oblatione et immolatione crucis, ita ut *essentia metaphysica* sit signum divini domini in hac immolativa oblatione subiectatum, *essentia vero physica* sit, quoad *materiam*, ipsum corpus Christi, quoad *jorniam* vero oblatio (genus) et immolatio (differentia specifica).

Essentia autem missae, *materialiter* considerata, est duplex indivisa consecratio, quatenus importat mysticam separationem corporis et sanguinis Christi, non vero sub quacumque alia ratione, puta prout ponit Christum sub conditione cibi aut in quolibet alio statu decliviori.

HIS POSITIS, PROBATUR HANC SENTENTIAM, PLENIUS QUAM ALIAE, CONGRUERE PRAECIPUE DOCTRINAE ECCLESIAE ET TRADITIONIS.

1. In ipsa imprimis *Scriptura* haec doctrina essentialiter continetur. Nam, ut dictum est in art. 45 (p. 919), expressiones sacrificales de praesenti, quae habentur in verbis consecrationis (Corpus dari — Sanguis effundi), nonnisi ad immolationem crucis referri possunt. Ex quo sequitur Eucharistiam in tantum esse sacrificium in quantum est ipsum sacrificium crucis in ea praesens; quod nequit esse nisi secundum esse repraesentativum.

Id concinne exprimitur in verbis Christi: "Hoc facite in meam commemorationem"⁵.

Haec verba commentans, scribit *Cajetanus*:

"Verbum 'Facite' multa fert mysteria. . . Ex eo quod sub 'Facere hoc' comprehenditur non solum Facere corpus Christi, sed et Facere corpus Christi quod frangitur, seu datur pro vobis, manifestum est Dominum Jesum mandasse: Facite corpus meum, quod pro vobis frangitur et datur. Perinde autem est Quod pro vobis frangitur et datur, ac si diceretur: Quod pro vobis immolatur; neque enim aliter frangitur aut datur nisi pro quanto in cruce frangitur et datur (hoc est immolatur) pro vobis; Facere autem corpus meum quod pro vobis immolatur ut sic, perinde est ac Facere corpus meum quatenus pro vobis immolatur. . . Consequens est quod, mandante Domino Jesu Hoc facite in meam commemorationem, mandatur Hoc facite immolatio modo in meam commemorationem. Facere enim corpus Christi quod immolatur, est facere illud immolando, seu per modum immolationis."¹

2. *Cone. Tridentinum*, sess. 22, exclusa ab essentia missae ratione nuda commemorationis (can. 3), docet Christum ideo in coena corpus et sanguinem suum sub speciebus panis obtulisse et offerre praecepisse ut relinqueret Ecclesiae aliquod *sacrificium quo sacrificium crucis re-*

⁵De missae sacrificio, c. 3, Opuscula omnia, t. 3, Augustae Taurinorum. 1582, p. 427.

praesentaretur (cap. 1). Ubi non alia essentialis nota affertur ad definiendum sacrificium missae quam ratio repraesentationis sacrificii crucis.

Subinde, ad ostendendam unitatem utriusque sacrificii, Concilium ait eandem esse hostiam seu victimam, ex quo sequitur eandem prorsus esse immolationem, secus non proprie eadem victima haberetur, additque solam rationem offerendi esse diversam, quod sic intelligi potest ut oblatio quidem sit eadem sed modus oblationis sit diversus.

Mens igitur Concilii logice et convenienter interpretari potest dicendo quod sacrificium missae consistit in eadem oblatione et immolatione crucis peracta secundum esse repraesentativum.

Catechismus Cone. Trid. (cit. in art. 45, p. 918), mentem Concilii aperiens, explicite docet *unum et idem sacrificium* peragi et offerri in cruce et in missa; hostiam cruentam et hostiam incruentam esse *unant tantum hostiam*; in Eucharistia quotidie *instaurari sacrificium crucis*, idque quia Eucharistia celebratur in Christi commemorationem. Quae omnia convenienter intelligi non possunt nisi dicatur missam esse ipsum sacrificium crucis secundum esse repraesentativum.

Leo XIII, Epist. ad episcopos Scotiae (cit. *ibid.*, p. 918), docet in missa sacrificium crucis *perpetuari* eo quod *in ea offertur* non solum similitudo et memoria illius sacrificii sed *“ipsa veritas, quamquam specie dissimili”*. Ergo ipsa veritas, seu ratio sacrificii crucis, constituit sacrificium missae, nec differentia quoad speciem, seu modum, aliter intelligi potest quam ex parte esse repraesentativi.

3. Ex testimoniis citatis in art. 45 (p. 919–922 sqq.) patet *doctrinam totius Traditionis* ad hanc summam reduci:

In missae sacrificio *ipsa passio Christi offertur* et celebratur (cf. Cyprianum, Ambrosium, Maximum Taur., Dominicam 9 post Pent., Festum SS. Redemptoris); quod concinne exprimit *Cyprianus* scribens: “Passio est. . . Domini sacrificium quod offerimus” et *Gregorius M.* inquit Christum “in suo mysterio pro nobis iterum pati”.

Inde missae sacrificium est *idem ac sacrificium crucis*; *Chrysostomus*: “Non aliud sacrificium . . . sed idem semper facimus”; *Faustus Retensis*: “Colitur . . . jure per mysterium, quod semel offerebatur in pretium”; *Gregorius M.*: “Ei hostiam suae passionis offerimus”.

Celebratio ipsius passionis et identitas sacrificii est in esse repraesentativo; *Ambrosius*: “Christus offertur . . . quasi recipiens passionem”; *Gregorius M.*: “[Christus] in suo mysterio pro nobis iterum patitur”, “Hoc sacrificium . . . passionem . . . semper imitari”; *Chrysostomus* aptissime: “Offerimus quidem, sed eius mortem revocamus in memoriam. . . Quamobrem unum est sacrificium. . . Non aliud sacrificium

... sed idem semper facimus; potius autem commemorationem facimus sacrificii.”

Ex quibus patet quam leviter plures theologi a vi istorum textuum festinanter sese expediunt dicentes cum *Lugo*: “[Vasquez conatur suam sententiam] probare ex sanctis Patribus, sed frustra: nam ii omnes *solum dicunt hoc sacrificium esse commemorativum sacrificii crucis*, quod nemo negat; non autem dicunt, ideo convenire illi essentiam sacrificii; quia praecise est commemorativum alterius sacrificii”.⁵

Patres enim non solum dicunt hoc sacrificium esse quomodolibet commemorativum sacrificii crucis, sed etiam esse idem cum illo et in utroque eandem passionem offerri et celebrari; quae omnia, in unam doctrinam coalescentia, continent aequivalenter sententiam quam defendimus.

Antiquiores theologi (citati ibidem, p. 922-926) tam signanter in hac ratione repraesentationis crucis insistunt ut in ea videantur reponere essentiam sacrificii eucharistici (cf. v.g. Rupertum, Algerum et Albertum M.), imo plures, ut *Guitmundus*, *Petrus Pictaviensis* et *S. Thomas*, explicite asserunt ideo missam dici sacrificium quia in ea sacrificium crucis repraesentatur, et *Thomas Waldensis* (t 1430) docet sacrificium missae esse “*formaliter et tantummodo*” ipsum *sacramentum seu signum* “unici sacrificii” oblatis in cruce.

S. THOMAS (cit. ibid., p. 926 sq.), in praesenti *a. 1, q. 83*, directe aggressus quaestionem de sacrificio missae, ait quod *ca* “*ratione celebratio hujus sacramenti dicitur immolatio . . . quia . . . imago quaedam est repraesentativa passionis Christi, quae est vera ejus immolatio*”.

Inaniter autem plures theologi, ut *Billot?* post *Lugo*,¹ respondent vocem immolationis hic a *S. Thoma* non accipi pro sacrificio sed tantum ac stricte pro immolatione seu mactatione, ita ut *S. Doctor* adducat rationem repraesentationis ad explicandum non quomodo missa sit sacrificium sed quomodo sit mactatio (i.e. non physice sed representative tantum).

Nam, omisso quod in tota *q. 83* agatur de celebratione *sacrificii*. *S. Doctor* alibi, pluries et insistenter, docet Eucharistiam *vocari sacrificium et habere rationem sacrificii quia et in quantum est repraesentativa passionis Christi quae fuit verum sacrificium* (*q. 73, a. 4, corp, et ad 3; q. 79, a. 7; cit. ibid., p. 926*). Ceterum non infrequens est apud alios doctores *medii aevi* acceptio vocis “*immolatio*” pro voce “*sacrifi-*

¹ *ce* Euch., disp. 19, sect. 4, n. 54, Parisiis, 1892, p. 240.

² De Euch., thes. 54, § 2, ubi de sententia Vasqucsii.

³ L. c., n. 56.

cium”; *Petrus Lombardus* (cit. in p. 924) eandem quaestionem hoc modo proponit: “Quaeritur si quod gerit sacerdos proprie dicatur *sacrificium vel immolatio*”; similiter ipse S. Thomae praeceptor *Albertus M.* (cit. in p. 925): “Quaeritur: Quare dicatur immolatio vel sacrificium”.

Praeterea in q. 22, a. 3, ad 2, ait: “Sacrificium . . . quod quotidie in Ecclesia offertur, non est aliud a sacrificio quod ipse Christus obtulit, sed ejus commemoratio. Unde Augustinus dicit [De civ. Dei, 10, 20]: ‘Sacerdos ipse Christus offerens, ipse et oblatio; cujus rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiae sacrificium.’ ”

Ex hoc textu collato cum a. 1, q. 83, patet mentem S. Thomae esse: sacrificium eucharisticum consistere formaliter in ipsa oblatione et immolatione crucis, ut repraesentative reiterata in celebratione missae.

Confirmatur ex eo quod nisi S. Doctor putaret sacrificium missae consistere in ipsa oblatione et immolatione crucis, non intelligeretur quare in praesenti a. 1, q. 83, nullatenus inquirat de modo quo in missa verificetur oblatio et immolatio, quam ipse in 2-2 (q. 85, a. 3, ad 3 et q. 86, a. 1, cit. in p. 797 sq.) tam signanter docuerat requiri ad rationem omnis sacrificii.

Ex quo etiam ostenditur inaniter quosdam theologos mirari quare S. Thomas, postquam late ac profunde explicaverit essentiam Eucharistiae, ut sacramenti, nihil fere de ratione sacrificii tradiderit. Quid, quaeso, addere debuit postquam docuerit hanc reponendam esse in ipsa repraesentatione sacrificii crucis, seu in ipsa oblatione et immolatione crucis, prout repraesentata? Numquid iterum explicare debuit in quo consistit ipsum crucis sacrificium?

Obicies ad mentem Lugo (1. c.). Si verba S. Thomae in a. 1, q. 83, accipiuntur sicut sonant, videntur probare in Eucharistia non dari vere et proprie sacrificium, sed solum analogice; ait enim ibidem Eucharistiam vocari sacrificium sicut imagines rerum solent appellari earum rerum nominibus quarum imagines sunt et eodem modo etiam sacrificia A.T. posse vocari Christi immolationes.

Resp. S. Doctor hic tantummodo delineat generaliter principium ex quo provenit quod missa sit verum sacrificium, i.e. rationem repraesentationis, et ex quo aliqua generalis et impropria ratio sacrificii Christi dici potest (“poterat dici”) derivasse in ipsa sacrificia A.T. Supponit tamen, ex jam disputata quaestione de reali praesentia Christi, missam non derivare suam rationem sacrificalem ex quacunque ratione repraesentationis sed ex tali specifica repraesentatione quae exercetur in ipsa reali praesentia Christi passi.

Id enim sufficienter explicaverat in *q. 75, a. 1*, inquiens: “Sacrificia . . . veteris legis illud verum sacrificium passionis Christi continebant solum in figura, secundum illud Hebr. x, vers. 1: ‘Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem’. Et ideo oportuit ut aliquid plus haberet sacrificium novae legis a Christo institutum, ut scilicet contineret ipsum Christum passum, non solum in significatione vel figura, sed etiam in rei veritate.”

Ad hunc textum apte notat *Diekamp*: “In qua comparatione cum sacrificio Veteris legis praecellentia missae maxime in eo apud S. Thomam consistit, quod in missa sacrificium passionis Christi vere ac realiter praesens est; unde patet etiam, quod apud S. Thomam dictio ‘praesentia Christi passi’, quae saepius ab eo adhibetur, idem prorsus significat ac praesentia sacrificii passionis Christi. Christus igitur in altari existens non solum materialiter est eadem hostia, quae erat in cruce, sed etiam *jormalitcr ut in cruce se ofierens sanguinem suum pro nobis effundendo*. In Sent. 4, d. 8, q. 2, sol. 1 ad 3: Sanguis ejus est in Eucharistia, ‘inquantum est per passionem effusus’. Ib. sol. 2 ad 2: ‘Calix sanguinem ejus continet, prout est per passionem fusus’.

“Quod autem S. Doctor semper tempus praeteritum inducit (‘Christus passus’ etc.), hoc ideo facit, ne quis opinetur Christum in sacrificio eucharistico revera denuo pati. Intendit enim asserere praeteritam passionem ejus in cruce peractam reddi praesentem et in signo et in rei veritate, eo videlicet modo, qui respondet praesentiae sacramentali sacerdotis principalis, qui insimul est ipsa hostia. Quae sacramentalis praesentia excludit utique novam in altari praesentem passionem Christi, non autem sacramentalem praesentiam sacrificii peracti.”⁸

Cajetanus, fidelem S. Thomae interpretem seipsum demonstrat, cum scribit:

“Consequens est non posse affirmari, proprie loquendo, duo sacrificia, aut duas hostias, aut duas oblationes, immolationes, et quovis nomine appelles, esse in Novo Testamento, ex hoc quod est in eo hostia cruenta Christus in cruce et hostia incruenta Christus in altari, sed *esse unicum semel oblatam in cruce, perseverantem modo immolatio*, quotidiana repetitione ex Christi institutione, in Eucharistia. . .

“In Novo Testamento non repetitur sacrificium seu oblatio, sed perseverat immolatio modo unicum sacrificium semel oblatum, et in modo perseverandi intervenit repetitio, non in ipsa re oblata, *nec etiam ipse qui repetitur modus concurrat ad sacrificium propter se, sed propter oblationem in cruce commemorandam incruente.*”⁹

⁸Theol. Dogm. (versio Hoffmann.), v. 4, §36, Parisiis-Romae, 1934, p. 235.

⁹De missae sacrificio, c. 6, Opuscula omnia, t. 3, Augustae Taurinorum, 1582, p. 428.

Ipsi theologi posttridentini, quamvis ex una parte a linea traditional! recesserint, fallacem aliquam oblationem vel immolationem, sacrificio crucis extraneam, inaniter quaerentes, ex alia parte quaedam traditionalia principia communiter docent, ex quibus sententia quam defendimus logice deducitur.

Ut enim taceamus de theoria sacrificii relativi a *Vasquez* aliisque defensa, quae facile per hanc sententiam expurgari vel compleri potest,¹⁰ omnes theologi in haec tria conveniunt: quod nempe in sacrificio missae et crucis eadem habetur victima; quod missa et crux sunt unum et idem sacrificium; quod missa est sacrificium essentialiter relativum (cf. art. 45, p. 922-928). Jamvero haec, in sensu proprio et obvio accepta, indicant in missa et in cruce eandem prorsus inveniri oblationem et immolationem, quamvis sub diversa ratione esse entitativi et esse repraesentativi.

Victima enim dicitur ab immolatione et oblatione; unde in missa et cruce nequaquam eadem victima haberetur nisi esset eadem immolatio et oblatio. Quaecumque igitur immolatio vel oblatio, alia ab immolatione et oblatione crucis, multiplicat victimam.

Similiter *sacrificium* dicitur ab immolatione et oblatione; unde unitas et identitas sacrificii importat unitatem et identitatem oblationis immolativae. Quomodo autem adversarii ab hac ratione sese extricare conentur, dicetur infra in Nota 1.

Expressio "*sacrificium essentialiter relativum*" vana esset et contradictionem implicaret, nisi significaret sacrificium eucharisticum constitui in sua essentia, seu in ipsa ratione sacrificali, per suam relationem ad sacrificium crucis, seu potius per aliquid quod in ipsa relatione involvitur (nam ex se constat relationem directe et formaliter qua talem non posse constituere essentiam physicam sacrificii, quae est in genere actionis seu oblationis). Hoc autem est ipsa oblatio et immolatio crucis secundum esse repraesentativum.

In variis autem adversariorum opinionibus relatio ad sacrificium

¹⁰ Idem fortasse dici potest de doctrina *Paquet, Lépicier et MacDonald*, quos citavimus inter patronos theoriae oblationis, et praecipue de sententia *Casci, Rohner, Diekantp, Voilier, Réris* et *Masure*, quos retulimus inter defensores theoriae mysticae immolationis. Ceterum ipsi *Salmeron et Pasqualigo*, fundatores theoriae immolationis mysticae, huic etiam sententiae suum suffragium afferunt.

Salmeron enim ait: "Sed ut maxime demus non esse sacrificium sine mactatione, in sacrificio missae asserimus illam praecedere: eadem enim est hostia, et oblatio est, atque illa quae in cruce; cumque illa mactatio infiniti fuerit valoris, non eget nova mactatione ut repetatur, quia satis est illam semel factam repraesentari" (l. c. in p. 993).

Pasqualigo vero scribit: "Licet sufficeret . . . repraesentatio destructionis factae in cruce, intervenit etiam realis destructio, in qua fundatur repraesentativa: nempe destructio secundum modum essendi sub speciebus" et "Ut . . . sit verum sacrificium sufficeret quod in ipso vere offerretur Christus cum repraesentatione destructionis factae in cruce" (l. c. in p. 993 sq.).

crucis est *quid adjacens et extrinsecum*, adeoque accidentale ipsi rationi sacrificii, quamvis dicatur esse aliquid necessario adjacens, seu aliunde necessario consequens ex eodem fundamento in quo invenitur ratio sacrificii.

Id vel ex eo apparet quod si non existeret sacrificium crucis, seu si Christus mortuus non esset, et nihilominus Eucharistia instituta esset, in ea invenirentur omnia elementa sacrificii ab adversariis invocata quin tamen adesset relatio ad sacrificium crucis. Nec refert si dicas quod in ea hypothesisi Eucharistia non fuisset sacrificium eo quod Deus vult ut non habeatur sacrificium eucharisticum nisi commemorativum sacrificii crucis; quoniam ex hoc ipso ostenditur hanc relationem non esse quid intrinsecum sacrificio, sed tantum extrinseca conditio existentiae a Deo apposita.

Unde inaniter *Billot* haec difficultatem praevenire conatur, scribens:

“Quam plurimis documentis aperte edocemur, missam habere ex eodem, quod sit verum sacrificium de praesenti, et simul viva imago unici illius sacrificii cuius memoria erat conservanda in populo redempto”.¹¹ “Nota sensum assertionis non esse quod ratio constituens missam in esse sacrificii sit ipsa relatio ad crucis oblationem, ut opinatur Vasquez. Considerandum enim quod *esse repraesentativum* est quoddam relativum *secundum dici*, importans rem absolutam quam consequitur quaedam habitudo. Cum ergo dicimus missam ex eodem habere ut sit absolute sacrificium, a quo habet ut sit passionis repraesentativa, sensus est, eam in esse sacrificii constitui per illud ipsum quod fundat relationem ad immolationem crucis tamquam ad rem repraesentatam. Et hoc quidem observatum velim ne in sequentibus confusio suboriatur.”¹²

Attamen ista confusio nequaquam averti potest, cum sit inhaerens ipsi positioni adversariorum, qui ex una parte asserunt sacrificium missae esse essentialiter relativum ad sacrificium crucis et ex alia parte negant hanc relationem pertinere ad eius essentiam seu rationem.

Insigne talis confusionis exemplum praebent sequentia verba *Pesch*: “Immo potest sacrificium ita institui, ut per ipsam relationem ad aliud sacrificium sit sacrificium absolutum. Nam absolutum sacrificium esse nihil aliud est nisi habere in se elementa essentialia sacrificii et non esse puram imaginem seu repraesentationem alicuius sacrificii praeteriti. Et sic, ut ex dicendis patebit, dicimus missam esse sacrificium absolutum, i.e. verum sacrificium per relationem, quam habet ad sacrificium crucis. Thesis duo enuntiat: a) missam ex institutione Christi

¹¹De Eccl. Sacram., t. 1, thes. 54, § 1, Romae, 1914, p. 619.

¹²Ibidem, in nota.

esse sacrificium relativum ad repraesentandum sacrificium crucis; b) hanc relationem missae ita essentialem esse, ut sine illa sacrificium esse desinat, *cum haec relatio constituat intrinsecus sacrificium missae in ratione sacrificii absoluti.*"¹³

4. *Commoda quae ex hac sententia sequuntur*, eam non leviter commendant.

Primo enim, in ea convenienter *solvitur nodus difficultatis*, quae constanter mentes theologorum agitavit: quomodo nempe missa sit verum sacrificium et tamen sit unum et idem cum sacrificio crucis.

Sola distinctio ejusdem rei secundum esse entitativum et esse repraesentativum tale enigma solvere potest. Qui enim reponit essentiam sacrificii missae in aliquo absoluto (formaliter nempe abstrahendo a repraesentatione crucis) necessario illud seiungit, secundum rationem formalem sacrificii, ab ipso sacrificio crucis (sententia immolationis, etiam mysticae) vel illud, saltem partialiter confundit cum sacrificio crucis (sententia oblationis, etiam coniunctae cum immolatione crucis).

Secundo, efficaciter et radicitus *rejellitur praecipua Protestantium calumnia*, qua obiciunt nos aliud sacrificium addere sacrificio crucis. Opponitur enim ipsis directa responsio, dicendo missam formaliter in ratione sacrificii nihil differre a sacrificio crucis eiusque differentiam esse materialem et extraneam ipsi rationi sacrificii qua talis (cf. verba *Fossani* et *Perrone* supra citata, p. 927 et 975). Non aliter olim doctores catholici *calumniam Iconoclastarum* repulerunt, ostendentes cultum imaginum essentialiter non differre a cultu sanctorum.

Tertio, integra servatur traditionalis theologorum *doctrina de natura sacrificii in genere*, consistente in copulata ratione oblationis et physicae destructionis, de qua egimus in art. 43. Variarum adversariorum theoriae de sacrificio missae coguntur uno vel alio modo traditionalem definitionem sacrificii in genere reformare ad hoc ut quadret cum sua doctrina de sacrificio missae.

Quarto, finis imponitur incessantibus nec foecundis *inquisitionibus modernorum* de essentia sacrificii missae, ac praecipue de modo quo in ea salvari possit ratio immolationis ab immolatione crucis distinctae, quam *antiqui* theologi, profunde scrutati naturam mysterii eucharistici, nec inquisierunt nec inquirendum ullatenus suspicarunt.

NOTA 1. DE HABITUDINE INTER SACRIFICIUM MISSAE ET SACRIFICIUM CRUCIS.

Iuxta mentem *Concilii Tridentini* (sess. 22, cap. 1 et 2), haec duo sacrificia ita *conveniunt* ut in eis habeatur idem *offerens*, i.e. Christus,

¹³ Prad Dogm., v. 6, n. 886, Friburgi Br., 1914, p. 428.

qua homo, eadem *victima*, i.e. corpus et sanguis Christi, eadem, saltem generice, ratio, i.e. *oblatio et immolatio* Christi. *Differunt* tamen aliqua ratione tum quoad *offerentem*, nam in cruce Christus fuit unicus offerens, in missa vero Christus offert per ministerium sacerdotum Ecclesiae, tum quoad *victimam et oblationem immolativam*, nam in cruce Christus oblatus est cruenta, in missa incruente.

Aliae numerari possunt minores differentiae, quae ceterum in praedictas refunduntur. In missa enim *offerens* secundarius est visibilis minister ac merum instrumentum invisibilis humanitatis Christi, principaliter offerentis, necnon visibilis Ecclesiae officialis delegatus; *victima* est corpus Christi impassibile et gloriosum, et quidem invisibiliter contentum sub aliena specie; *oblatio immolativa*, aliter ac in cruce, numerice iteratur usque ad finem mundi et exercetur sub aliena specie quae ipsi confert rationem signi sensibilis.

Ex modo autem disputatis sequitur quod omnes praedictae differentiae accidentaliter et materialiter se habeant ad ipsam rationem sacrificii qua talis, quae est ipsa eadem oblatio et immolatio crucis in missa renovata secundum esse repraesentativum.

Exinde etiam intelligitur quid sit dicendum ad *quaestionem*: utrum sacrificium crucis et sacrificium missae sint *unum an duplex sacrificium*.

Sacrificium enim missae potest dupliciter considerari: *primo, materialiter*, seu pro mystica mactatione, in qua involvitur repraesentatio sacrificii crucis, et ita est plusquam specificè distinctum a sacrificio crucis, quia hoc modo non est sacrificium sed quaedam actio mystice niactativa; *secundo, jormaliter* ut sacrificium, et tunc iterum duo in ea considerari possunt, nempe ejus *essentia* et ejus *modus essendi*. Attenta autem essentia, nullo modo differt a sacrificio crucis sed consistit in ipsa, specificè et numerice eadem, oblatione et immolatione crucis; attento vero modo essendi, totaliter differt a sacrificio crucis, ea nempe ratione qua modus essendi physicus differt a modo essendi repraesentativo vel qua eadem res secundum esse suum physicum differt a semetipsa secundum esse repraesentativum. Simili modo, ut supra dictum est, differunt et identificantur inter se species intentionalis et objectum intellectum, necnon cultus relativus et cultus absolutus.

Quia autem differentiae rerum praecipue attenduntur penes rationes formales et essentielles, simpliciter dicendum est sacrificium missae nec specificè nec numerice differre a sacrificio crucis, non aliter quam imago ab exemplari, sed consistere in ipsa semel posita oblatione et immolatione crucis quae iteratur secundum modum essendi objectivum et repraesentativum, in sacramentali mactatione fundatum et involutum.

Ex mira autem varietate et fluctuanti indeterminatione, qua adver-

sarii huic quaestioni satisfacere conantur, iterum apparet fallacitas positionis eorum.

De la Taille enim (p. 195) ait sacrificium crucis et sacrificium missae differre etiam *generice*, atque convenire tantum in eodem ordine analogico, tanquam principale et subordinatum.

Alii, ut *Suarez* (Disp. 76, sect. 1), *Billot* (ed. sexta, § 4), *Pesch* (n. 916), *Lecrcher* (n. 405), dicunt ea differre *specifice*, ratione diversarum oblationum (*Pesch*) et mactationis (*Billot*); habere aliunde unitatem materiae seu victimae et unitatem ordinis seu relationis qua missa essentialiter refertur ad crucem.

Alii, ut *Gonet* (Disp. 11, a. 2, n. 67) et *Hugon* (n. xiv), dicunt ea differre *quodammodo specificice*, ob diversam rationem offerendi, non tamen stricte *specifice*, cum habeant idem motivum formale seu virtutem religionis. Ad eundem dicendi modum reduci possunt *Franzelin* et *Hervé*. Primus enim (thes. 16, Cor. 3) ait “utrumque simpliciter esse idem (specie) sacrificium [ratione nempe victimae et offerentis]; diversum vero [intellige: *specifice*] . . . *secundum quid* [ratione immolationis].” Alter vero (n. 109) dicit ea differre *specifice quantum ad rationem offerendi*, an autem praeterea dici debeat ipsa sacrificia crucis et missae inter se differre *specifice*, controversi posse.

Alii plures dicunt ea differre tantum *numerice* (vel *accidentaliter*, vel *modaliter*), substantialiter vero esse idem sacrificium. Quod nec uno modo exprimunt. Nam *Billuart* (Disp. 8, n. 2, Petes 3) ait ea esse idem essentialiter, ratione identitatis victimae et offerentis et ratione essentialis relationis, ac differre *accidentaliter* secundum modum offerendi. *Paquet* (p. 401 et 406) et *Lépicier* (p. 112, supra cit.) dicunt ea esse substantialiter et formaliter idem, modaliter vero diversa ex parte modi offerendi, quatenus, juxta *Lépicier*, missa addit tantum conditionem necessariam ad hoc ut idem habeatur sacrificium. *Lépin* ait ea esse essentialiter et fundamentaliter idem, modaliter vero diversa, quatenus unica oblatio a Christo semel posita assumit diversum modum expressionis. *D’Alès* (thes. 4) docet crucem et missam esse “sacrificium, actu unum, . . . virtute multiplex”.

Alii, ut *MacDonald* (p. 44, supra cit.), docent ea *nec numerice* differre, sed esse *specifice* et *numerice* idem.

Alii tandem hanc quaestionem declarant insolubilem. Ita *Michel*, qui, citatis pluribus aliorum solutionibus, scribit: “Par ces citations que Ton pourrait multiplier . . . et qui toutes en des sens différents se montrent hésitantes sur la réponse précise à donner, on saisit quelle difficulté les théologiens éprouvent à résoudre le problème. C’est qu’en

11 Cf. *Did. Thiol. Cath.*, art. Messe, col. 1227 sq.

posant la question de l'unité ou de la dualité spécifique du sacrifice de la croix et du sacrifice eucharistique, on pose un problème en des termes qui le rendent insoluble. Tous les théologiens sentent bien d'où vient la difficulté de la solution: c'est que la messe, sans la croix, ne serait pas un sacrifice: c'est que la messe est essentiellement relative à la croix; c'est qu'il est par conséquent impossible de comparer, quant à l'espèce, deux sacrifices dont l'un est essentiellement dépendant de l'autre, et qui tire toute sa valeur et sa signification de celui dont il dépend."¹⁵

NOTA 2. *DE SACRIFICIO ULTIMAE COENAE EJUSQUE HABITUDINE AD SACRIFICIUM CRUCIS ET AD SACRIFICIUM MISSAE.*

Quoad veritatem sacrificii ultimae coenae errarunt *primo, per dejectum*, tum *Protestantes* qui negarunt coenam fuisse verum sacrificium ut inde efficacius impugnarent veritatem ipsius sacrificii missae, tum *quidam theologi* qui, ut dictum est supra (art. 44. p. 848 sq.), notabilem dissensum in discussionibus Cone. Tridentini suscitavit, obicientes non potuisse sacrificium, maxime propitiatorium, offerri ante ipsam passionem; *secundo, per dejectum simul et per excessum De la Taille* qui docuit coenam efficere unum sacrificium cum cruce, ita ut sit tantum una pars, praecipua tamen et formalis (oblatio), unius sacrificii Christi completi in cruce (per immolationem) (cf. supra, p. 1005).

Janivero ultimam coenam fuisse verum sacrificium constat *primo*, ex ipsa veritate sacrificii missae, in qua iteratur quod Christus gessit in coena; *secundo*, ex ipsis verbis institutionis, ut ostensum est contra Protestantes in art. 44 (p. 873 sqq.); *tertio*, ex doctrina Cone. Trid., quod quamvis, ob praedictum theologorum dissensum, abstinuerit a voce sacrificii, explicite tamen docuit Christum in ultima coena *obtulisse corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini et sub iisdem symbolis ut offerrent* Apostolis eorumque successoribus praecipisse (cap. 1).

Coenam vero fuisse *totale sacrificium*, non vero partem, nec praecipuam sacrificii crucis, constat tum ex ejusdem identitate cum sacrificio missae, tum praecipue ex distinctione et oppositione quae in verbis Cone. Trid. inducitur inter oblationem coenae et oblationem crucis, ut contra De la Taille notatum est supra (p. 1015).

Exinde patet *habitus* hujus sacrificii ad sacrificium crucis et ad sacrificium missae.

Relate enim ad *sacrificium crucis* coena essentialiter se habet sicut missa, quatenus nempe est ipsum sacrificium crucis in esse repraesentans.

¹⁵ *Diet. Thiol. Calh.*, art. Messe, col. 1289.

tativo. Nec refert quod, aliter ac missa, ipsa praecesserit sacrificium crucis, nam esse repraesentativum abstrahit a praecedentia vel consequentia temporis, dummodo res repraesentata habeat determinatum et certum esse physicum in quadam differentia temporis; unde potuit Christus oblationem et immolationem, a se certo in esse physico ponendam, representative exercere ante tempus passionis.

Relate vero ad *sacrificium missae* coena se habet ut sacrificium specificum idem et numerice distinctum, sicut una missa distinguitur ab alia, cum hac tamen differentia quod ipsa fuerit prima missa institutionis, subordinans nempe alias sibi tanquam exemplata exemplari, et quod praecesserit passionem, adeoque retulerit repraesentationem sacrificii crucis tanquam futuri et exhibuerit victimam crucis adhuc existentem in sua vita passibili et mortali.

NOTA 3. *DE HABITUDINE MISSAE AD SIC DICTUM SACRIFICIUM COELESTE.*

Patroni theoriae solius oblationis, signanter *Lepin*, docent existentiam proprie dicti sacrificii coelestis, cum quo tam arcte coniungunt sacrificium eucharisticum ut, juxta *Lepin*, hoc sit ipsum sacrificium coeleste quod aptatur terrestribus circumstantiis loci et temporis ac fit praesens in altari. Imo, ait *Lepin*, existentia sacrificii coelestis praebet efficacissimum argumentum contra Protestantes pro veritate sacrificii eucharistici;” inde enim ostenditur existentia et efficacia alterius sacrificii non repugnare dignitati et virtuti sacrificii crucis.

Existentiam proprie dicti sacrificii coelestis impugnabimus, Deo favente, in tractatu *De Verbo Incarnato*, ubi tamen concedemus aeternum Christi sacerdotium exercere in coelis alias functiones sacerdotales, citra proprie dictam actionem sacrificalem, imo sublimiori quadam sed impropria ratione exercere actum ipsum sacrificalem secundum sui consummationem, seu secundum influxum qui subsequitur formam ipsam sacrificii et applicat aeternaliter eius effectum. Quae omnia vocari possunt *improprie dictum sacrificium coeleste*.

Manifeste autem patet habitudo inter tale sacrificium et sacrificium eucharisticum. Hoc enim procedit a coelesti et aeterno sacerdotio Christi, applicante in tempore influxum sacrificii crucis illudque reiterante sub forma sacrificii repraesentativi. Sic proprie dictum sacrificium crucis et improprie dictum sacrificium coeleste coeunt in sacrificium eucharisticum tanquam in mirabilem synthesim in qua totum mysterium Christi mystice recapitulatur.

* L'idée du sacrifice de la Messe, Paris, 1926, p. 749.

NOTA 4. *DE HOSTIA SEU VICTIMA SACRIFICII EUCHARISTICI.*

Hac quaestione completur tractatio de causis intrinsicis sacrificii eucharistici, nam hostia seu victima est *materia sacrificii*, seu id quod informatur per oblationem immutativam.

Cum corpus Christi, quod in hoc sacrificio offertur, habeat statum impassibilitatis, intimam unionem cum Ecclesia eius corpore mystico et statum sacramentalem, sex a theologis in considerationem victimae huius sacrificii revocantur, i.e. ipsum corpus Christi, eius status gloriosus, eius corpus mysticum, eius status sacramentalis, substantia panis et vini conversa, species sacramentales.

Porro ex doctrina defensa in Conclusionem circa essentiam sacrificii eucharistici sequitur quod solum corpus Christi, sub ipsa oblatione et immolatione crucis, est *formaliter* loquendo hostia et victima huius sacrificii, cetera vero se habent vel *concomitanter* (status gloriosus et corpus mysticum) vel *materialiter* seu ex parte mactationis mysticae in qua fundatur repraesentatio ipsius oblationis et immolationis crucis (status sacramentalis, substantia panis et vini, species sacramentales).

Sit verbum de unoquoque ex praedictis *sex elementis*.

Ipsam *corpore Christi physicum esse primo et principaliter* materiam seu victimam huius sacrificii est de fide, passim contenta in documentis Ecclesiae et Traditionis, nec ullo modo controverti potest.

Status gloriosus corporis Christi videtur formaliter ingredi rationem victimae sacrificii in sententia sacrificii-oblationis De la Taille et Lepin. qui docent in missa coeleste sacrificium (vel victimam coelestem) fieri praesens. In sententia vero sacrificii-immolationis et in nostra sententia est tantum quid *concomitans*.

Corpus mysticum Christi, seu Ecclesia, se habet etiam ut quid *concomitans* in ratione rei oblatae. De facto enim offertur corpus Christi, jam copulatum Ecclesiae per nuptias consummatas in ipso sacrificio crucis; unde suo corpori physico Christus adiungit corpus mysticum Ecclesiae in ratione oblatae, quemadmodum illud sibi adiungit etiam in ratione offerentis, ut dicetur in proximo articulo.

Ad rem *Billot*: "In missa, secus ac in cruce, mysticum corpus Ecclesiae, sin minus physice, at certe affectu et significatione pertinet *ad id quod offeritur*. Quisquis enim in sacrificio offert victimam, offert eam ut vicariam sui, intendens exprimere interiorem submissionem atque absolutam devotionem qua vult ipsemet spiritualiter in Dei honorem consumi. Si ergo, ut dictum est, Ecclesia in missa se habet ut offerens, pari-

ter se habet ut oblata, utique in unione cum Capite suo. 'Cuius rei, inquit Augustinus l. 10 de civit., c. 20, sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiae sacrificium, quae cum ipsius capitis corpus sit, *seipsum per ipsum discit offerre*'. Imo intendit Ecclesia ut per oblationem corporis et sanguinis Christi, suimetipsius oblatio semper magis magisque perfecta efficiatur: 'Propitius, Domine, quaesumus', inquit,¹⁷ 'haec dona sanctifica, et hostiae spiritualis oblatione suscepta, nosmetipsos tibi perfice munus aeternum'. Haec itaque ratio est cur Christus in sacramento sub iis symbolis immoletur quibus figuratur mysticum corpus quod acquisivit sanguine suo; nam . . . panis et vini species figura sunt societatis fidelium."¹⁸

Status sacramentalis juxta sententiam sacrificii-immolationis pertinet formaliter ad rationem victimae; juxta sententiam vero sacrificii-oblationis et juxta nostram doctrinam se habet tantum *materialiter*, quatenus ratio sacrificialis seu victimalis involvitur vel fundatur in mystica mactatione.

Substantia panis et vini, seu potius ejus destructio per transsubstantiationem, pertinet formaliter, quamvis partialiter et secundarie, ad rationem victimae in sola sententia sacrificii-immolationis a Suarez aliisque defensa (cf. in p. 977). Re tamen vera ea destructio se habet tantum *materialiter et quidem remote*, quatenus est terminus a quo illius actionis qua inducitur status sacramentalis seu mystica mactatio. Inde intelligitur quo sensu Ecclesia in Offertorio missae offerat panem et vinum, non in sacrificium nempe, sed tanquam materiam remotam in qua perficietur transsubstantiatio et offeretur sacrificium.

Species sacramntales pertinere ad rem sacrificatam diversimode explicatur a theologis.

Quidam dicunt eas ad rem sacrificatam pertinere tantum extrinsece, quatenus corpus Christi refertur ad species; alii volunt eas pertinere intrinsece, et quidem aut directe, tanquam id quod destruitur (vel in sola communionem, juxta sententiam *Lugo*TM vel etiam in consecratione, quatenus destruitur seu solvitur compositum substantiae et specierum panis, juxta mentem *Suaresii*), aut indirecte, tanquam id sub quo corpus Christi mystice destruitur (ita ad mentem plurium patronum sacrificii-immolationis) et ex quo haec destructio habet sensibile elementum requisitum ad sacrificium.

Juxta nostram sententiam dicendum est species se habere *materialiter* ad rationem sacrificii, quatenus sunt sensibile elementum in quo continetur ipsum corpus Christi et in quo involvitur ipsa mystica ejus

¹⁷ Secreta Feriae II Pentecostes.

¹⁸ De Eccl. Sacram., t. 1, q. 82-83, § 3, Romae, 1914, p. 599.

* Cf. De Euch., disp. 19, sect. 7, n. 98.

mactatio, in qua iterum involvitur, secundum esse objectivum, ipsa sensibilis oblatio et immolatio in cruce peracta.

ART. 48. Utrum Christus Sit Principalis Et Formalis Offerens Sacrificii Eucharistici, Sacerdos Vero Ut Repraesentans Ecclesiam Sit Secundarius Et Instrumentalis Offerens, Ecclesia Autem Et Fideles Sint Offerentes Mediati Per Sacerdotem (q. 82, a. 1; q. 83, a. 1, ad 3).

STATUS QUAESTIONIS

In praecedentibus articulis egimus de causis intrinsecis hujus sacrificii (i.e. materia: corpore Christi sub speciebus, juxta dicta hic superius ad calcem art. praec., et forma: oblatione et immolatione crucis in esse repraesentativo per consecrationem); quibus responsum est primae ex supradictis quaestionibus *Augustini* (cf. in p. 785), i.e. “quid offeratur”.

Superest igitur sermo de *CAUSIS EXTRINSECIS*, quarum prima. *EFFICIENS* scilicet, consideratur in praesenti articulo, ut inde satisfiat alteri quaestioni augustinianae “*a quo offeratur*”. Frustra autem institueretur quaestio de causa efficienti ipsius institutionis, tum quia, ut dictum est in art. 43 (p. 821), in religione positiva non nisi a Deo sacrificium institui potest, tum quia institutio hujus sacrificii per Christum in ultima coena diserte proponitur a Scriptura et ad eam referuntur quae dicta sunt tum in art. 44 de existentia hujus sacrificii tum in Cap. I de institutione ipsius sacramenti.

Quod autem attinet ad *causam conjectionis, seu offerentem, TRIA QUAERUNTUR*, quorum secundum essentialiter jam resolutum est in art. 40 ubi de causa confectionis ipsius sacramenti:

Utrum Christus sit principalis offerens, et quidem immediate et formaliter.

Utrum omnis et solus sacerdos, ut repraesentans Ecclesiam, sit secundarius et instrumentalis offerens, subordinatus nempe oblationi ipsius Christi.

Utrum etiam Ecclesia et fideles sint aliqua vera ratione offerentes, mediate nempe per sacerdotem.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM.

Christum esse quomodolibet principalem offerentem est saltem theologice certum, nec a quopiam negatur qui cum Ecclesia confitetur existentiam hujus sacrificii.

Co-nc. Later. IV: “Idem ipse sacerdos est sacrificium Iesus Christus, cuius corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur” (Denz. 430).

Cone. Trid., sess. 22, cap. 1: “Corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit ac . . . Apostolis . . . eorumque in sacerdotio successoribus, *ut offerrent*, praecepit” (Denz. 938).

Ibid., cap. 2: “Una . . . eademque est hostia, *idem nunc offerens sacerdotum ministerio*, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa” (Denz. 940).

Pius XI, Enc. “Quas primas” (De Christo Rege) 11 dec. 1925: “Cum autem Christus et Ecclesiam Redemptor sanguine suo acquisiverit et Sacerdos se ipse pro peccatis hostiam *obtulerit perpetuoque offerat . . .*” (Denz. 2195).

In *Traditione* solemne est illud (non solum de crucis sacrificio sed etiam de eucharistico dictum) “*Christus sacerdos et hostia, offerens et oblatio*”. Quae expressio frequentissime recurrit in *Liturgiis* et apud *Patres* (cf. Gregorium Nyss., Chrysostomum, Ambrosium, Gaudenium, Augustinum, supra citatos in p. 905-908).

Liturgia S. Basilii: “Tu es offerens et oblatio [ὁ προσφερων και προσφορά/ιςνος]”.²⁰

An Christus sit principalis offerens etiam immediate et jormaliter, disputatur.

Affirmant communius theologi, praesertim moderniores, inter quos *Suarez* (Disp. 77, sect. 1, n. 6), *Coninck*, *Tanner*, *Nugnus*, *Salmanliconses*, *Gihl*, *Lcpicier*, *Billot*, *Vacant*, *Lepin*,²¹ *A. Michelf-Diekamp*, *Van Hove*, *Hervé*, *Ferland*.

Horum sententia apte exprimitur in his verbis *Salmanticensium* quae frequenter a modernis citantur: “Est autem difficultas, utrum Christus in singulis, quae offerimus, sacrificiis sit immediatus offerens peculiari actu elicitio. . . Longe veriore, sicut et communiorem, censemus opinionem . . . docentem, quod sicut Christus secundum humanitatem concurrat instrumentaliter ad omnes, et singulas conversiones, sive transsubstantiationes, quae in Ecclesia fiunt; ita etiam cogitat de omnibus, et singulis sacrificiis, et ea vult, et Deo offert: atque ideo est immediatus offerens in ratione praecipue sacerdotis, oblatione formali, actuali, et elicitio.”²³

Negant vero *Scotus*, *Biel*; *Scotistae* uti *Hiquaeus* et *A. Ruteus*,

²⁰ *Brightman*, *Liturgies western and eastern*, v. 1 *Eastern liturgies*, 1896, p. 318.

²¹ Efficaciter hanc sententiam defendit contra *De la Taille* in opere *L'idée du sacrifice de la Messe*, Paris, 1926, p. 713-720.

²² In *Diet. Théoi. Cath.*, art. *Messe*, col. 1249-1252.

²³ *De Euch.*, disp. 13, dub. 3, § 1, n. 49 sq., *Parisiis*, 1882, p. 797.

Vasquez, II. Henriquez, Azorius, Becanus, Anticus, Gaspar Hurtado, Fagundcz, quibus consentiunt rari moderni, ut *Kramp, D'Al'es, Merkelbach* et praecipue *De la Taille*, qui hanc negationem fuse et mordicus defendit, tanquam unum ex praecipuis elementis quibus fulcitur nova ejus theoria de essentia sacrificii missae (cf. p. 1006 sq.).

Hi theologi docent Christum esse principalem offerentem, vere quidem sed *tantum mediate et virtualiter*, quatenus nempe instituit hoc sacrificium, contulit sacerdotibus potestatem illud offerendi, statuit ut nomine suo illud offerant et ei praebet valorem ex opere operato.

Quidam praeterea addunt Christum ea etiam ratione esse principalem offerentem, quatenus in ultima coena praevidit omnia sacrificia futura eaque tunc elicitae Patri obtulit nec unquam talem voluntatem retractavit, quae proinde adhuc moraliter perseverat.

Rationes non paucae pro hac sententia a suis patronis afferuntur.

Praecipua ratio, quae a Scoto, Scotistis et *De la Taille* proponitur, est quia si missa offerretur immediate ab ipso Christo, haberet eundem valorem et dignitatem ac sacrificium crucis, ex quo negatur subordinata ratio sacrificii missae et praecipue pessum datur sufficientia sacrificii crucis contra id quod docet Apostolus in epistola ad Hebraeos.

Aliae rationes sic apte resumuntur a Salmanticensibus:

“*Primo*, quia absurdum esset imaginari, quod Christus dicat Patri eam orationem, ‘Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube haec perferri per sanctum Angelum tuum’, vel alias orationes, quae in Missa recitantur: ergo Christus non offert istud sacrificium immediate, et actu expresso; sed tantum ratione primae institutionis.

“*Secundo*, quia Christus in caelo existens non orat Patrem actu formali, et expresso, sed solum virtualiter, aut interpretative, manifestando sua vulnera, et repraesentando merita suae passionis, ut ex professo ostendit *Vasquez* in hac 3 p. disp. 82, cap. 2; ergo similiter non offert hoc sacrificium, nec rogat, ut acceptum Patri sit.

“*Tertio*, quia si Christus quotidie offerret hoc sacrificium per actum specialem; nihil huic actui deficeret ad rationem meriti: atque ideo Christus in caelo regnans adhuc nobis merita acquireret, et applicaret: quod est absurdum; cum sit extra viam, et in termino meriti.

“*Quarto*, quia actio exterior consecrandi solum elicitur a sacerdote Christi nomine agente: ergo idem de oblatione dicendum est.

“*Quinto*, nam quod Christus offerat modo in numero praecedenti descripto [i.e. virtualiter], sufficit, ut absolute dicatur offerre: ergo absque necessitate, et subinde sine fundamento introducitur alia oblatio formalis, et elicita, qua Christus offerre dicatur.”²¹

De Euch., disp. 13, dub. 3, § 1, n. 49, Parisiis, 1882, p. 797.

Scotus: “Christus etsi hic offeratur ut contentus in sacrificio, non tamen hic immediate offert sacrificium, juxta illud Hebr. 9: ‘Neque ut saepe offerat semetipsum’. Et ibid.: ‘Christus semel oblatus est’, supple: ‘a seipso offerente’.” Rationem immediate subiungit: “Alioquin videretur quod unius missae celebratio aequivaleret passioni Christi, si idem esset offerens immediate et oblatus. Certum est autem quod missa non aequivalet passioni Christi.”²⁵

Vasqucz: “Existimo Christum in alia vita nihil nobis mereri, quia peracto jam negotio nostrae redemptionis in vita sua mortali, jam amplius in coelo neque orat pro nobis, neque quidquam pro nobis offert Deo. . . Ex hac doctrina infero graviter lapsos esse recentiores aliquos theologiae professores, qui dicunt Christum nunc actu mereri . . . in sacrificio missae, eo quod considerant ipsum sacrificium missae tanquam actionem ipsius, siquidem ipse dicitur seipsum offerre. . . Quod vero dicitur Christus in eucharistia seipsum offerre, non est ita accipiendum, quasi oblatio corporis Christi, quae fit quotidie Deo per ministros ipsius Christi, sit actio etiam ejus ab eo elicita, ut meritoria esse possit; sed quia illa dicitur fieri in nomine Christi, ideo Christus dicitur in ea seipsum offerre”.²⁰

D’Alès: “Ingenuè fateamur nobis non satis apparere causam affirmandi [oblationem Christi elicita], cum habeat a Christo Ecclesia semel pro semper sibi concreditam potestatem dispensandi Sacrificii quod Ipse instituit. . .

“Auctoritates Patrum non distincte evincunt rem [i.e. existentiam elicita oblationis Christi], sed tantummodo significant Christum esse caput et auctorem sacerdotii secundum Melchisedech. Etiam auctoritas S. Thomae, 3a q. 83 a. 1 ad 3m, quae affertur, quomodo pertineat ad rem, non videmus. Argumenta autem theologorum eos potissimum movebunt qui in consecratione eucharistica fieri putant aliquam operationem immediatam circa corpus Christi, sive adductivam sive reproductivam; nobis autem, qui nullam huiusmodi operationem agnoscimus, sed tantummodo circa elementa panis et vini operari transsubstantiationem eaque convertere in corpus et sanguinem Christi praeexistentia, sine ulla in Christo immutatione . . ., non ita efficacia videntur illa argumenta.”²⁷

Mcrkclbach: “Quomodo Christus sit minister principalis. . . Requiritur: 1. ut immolatio victimae aliquo modo dependeat a voluntate

* Quodlibetum 20.

Disp. 76, cap. 1, n. 6.

,f De S. Eucharistia, thés. S, Parisiis, 1929, p. 110 et 114.

sacerdotis; 2. ut dirigatur per ipsum in honorem Dei. Quae duo in missa verificantur de Christo:

“1. Christus non tantum instituit sacrificium, quod non sufficeret ut esset sacerdos in ipso, sed humana voluntate voluit illud perpetuo offerri nomine suo per sacerdotes tamquam per suos legatos, quibus hanc potestatem concessit, ita ut sacerdotes non exequantur nisi voluntatem Christi, et actio sacerdotum sit moraliter actio Christi et potius huic tribuatur quam sacerdotibus, sicut actio legati magis tribuitur regi quam ipsi.

“2. In ultima coena Christus praevidens omnia et singula sacrificia futura, iam tunc omnia et singula voluit fieri in honorem Dei eaque ipsi obtulit, quae voluntas habitualiter perseverat non retractata.

“Hoc modo Christus est verus sacerdos. Cum multis theologis addi *potest*: cum Christus ipse sit praesens in sacrificio cum sua voluntate, impossibile est quod illud non tantum habitualiter sed etiam actuali voluntate dirigat in Dei honorem.”²⁸

De la Taille hanc sententiam sic eleganter exponit:

Si in sacrificio missae haberetur nova quaedam immolatio Christi, evidens est quod requireretur novus actus oblationis ipsius Christi, secus oblatio et sacrificium nostrum non fundaretur in oblatione et sacrificio Christi; inde est quod plerique recentiores, admissa nova immolatione, consequenter defendunt novam oblationem. Jamvero neganda est nova Christi immolatio, ergo pariter et novus actus oblationis ab ipso Christo peractus.

Immediate igitur et formaliter oblatio missae nequit esse nisi a nobis sacerdotibus Ecclesiae, qui “eatenus offerimus sacrificium novum, quatenus respectu aeternae hostiae invenimur novi oblatores, adsciti in partem sacerdotalis oblationis a Christo olim peractae”.²⁹

“In tantum erit dicendus Christus hic et nunc offerre, in quantum oblatio mea *virtualiter* ab eo procedit”,³⁰ seu in quantum Christus communicavit suo corpori mystico seu Ecclesiae *vim seu potestatem offerendi* Deo tanquam nostram hostiam idem corpus quod ipse in coena obtulit ad immolationem crucis. Sic oblatio nostra dependet ab oblatione Christi sicut causa particularis et subordinata a causa principali et universali. “Adeoque Christus offert per nos offerentes, quin de novo offerat ipse in sua persona. Novitas tota est ex parte Ecclesiae, quamquam virtus tota est ex parte Christi.”³¹

“Si quis autem hanc inter otiosas computandam duxerit quaestiones,

: ‘Thcol. Moralis, v. 3, De Euch., n. 328 (a. 1939), p. 277.

* *Mysterium Fidei*, elue. 23, Parisiis, 1931, p. 295.

M *Ibidem*.

** *Ibidem*, p. 296.

is non abs re erit ut consideret, quantaependeant inde conclusiones. Semel enim supposito Christum nova ipsum personaliter oblatione sacrificali missis nostris intercedere, perit jam id omne quod in tuto collocare maxime studuimus circa singularitatem sacrificiationis dominicae (Elucid. V etc.). Accedunt quippe litationi primae nostri Redemptoris atque accrescunt litationes ipsius plurimae, contra *Epistolam ad Hebraeos*; litationes immo pristinae illi aequales et dignitate et valore: unde pessum datur sufficientia crucis. . . Perit proinde etiam unitas sacrificii missae cum sacrificio coenae et passionis: quae non salvatur, nisi subordinata intellegatur oblatio recens praeteritae illi oblationi Domini, tanquam capitali et principali ministerialis et participata. Non autem Christus sibi ipse subest, aut potest aliqua propria ejus oblatio posterior ad priorem se habere participative et ministerialiter: sed nequit dominicae oblationi uni altera non coordinari atque connumerari ut perfecte aequalis.

“Novitas igitur sacrificii missae respectu sacrificii crucis desumenda est tantum ex parte Ecclesiae, nunc suam facientis illam oblationem, quam peregit olim Christus, et pro tanto eam innovantis, pro quanto a capite ad corpus transit et virtus et actus sacrificandi.”²

Eandem substantialiter sententiam docet *Lugo*, qui sic inaniter hanc quaestionem ad rem de verbis reducere conatur:

“In hac controversia vix potest esse quaestio de re: nam utraque pars concedit, non requiri quod Christus concurrat physice ad actionem oblationis [?], item non requiri quod actu habeat Christus aliquam voluntatem actualem physice existentem, qua nunc offerat [?]: nam licet Christus nunc non attenderet nec sciret, imo licet per possibile, vel impossibile dormiret, quando offertur hoc sacrificium, adhuc diceretur offerri a Christo, sicut dicitur rex praestare obedientiam Pontifici, quando eam praestat legatus, licet tunc rex dormiat vel non cogitet de hoc. Item utraque pars admittit, non sufficere ad hoc meram institutionem, sed talem qua voluerit offerri suo nomine: et multo minus sufficere applicationem meritorum suorum; potuit enim haec applicatio fieri ad sacrificium, quod nullo modo offerretur nomine Christi.

“Vere ergo nunc offert Christus, quia sacerdos ex Christi institutione offert nomine Christi: quod sufficit, ut haec actio, moraliter loquendo, dicatur actio Christi, sicut reverentia quam legatus regius exhibet Pontifici, est moraliter reverentia regis erga Pontificem. Sic etiam Christus per sacerdotem, quem sibi ut legatum et ministrum substituit, exercet hunc actum reverentiae et cultus erga Deum; qui consistit in

² Ibidem, p. 298 sq.

oblacione sacrificii; et ideo haec oblatio censetur moraliter actio Christi colentis Deum per suum ministrum.”³³

QUOAD SECUNDAM QUAESTIONEM.

Tum quoad Partem *Negativam* tum quoad *Affirmativam* valent dicta in art. 40 de ministro consecrationis; nam sive de consecratione, sive de celebratione sacrificii, ad modum unius docetur in *Traditione* et definitur a *Conciliis*, contra haereticos tam antiquos (ut Pepuzianos et Collyridianos) quam recentiores (Waldenses et Protestantés), ministros esse solos sacerdotes.

QUOAD TERTIAM QUAESTIONEM.

Theologice certum habetur a doctoribus Ecclesiam omnesque fideles aliqua vera ratione, quamvis non immediate, esse offerentes in hoc sacrificio. In ea autem ratione ulterius determinanda et exponenda quaedam accidentalís varietas observatur inter doctores, ut ostendetur in Conci. 3.

Assertum *aequivalenter* continetur in expressionibus “Ecclesia immolat seu offert per sacerdotes”, “Sacerdotes offerunt non pro se tantum sed pro omnibus fidelibus”, missa offertur “a publico Ecclesiae ministro” (*Cone. Trid.*, cap. 1 et 6, Denz. 938 cit. in p. 845 sq.); *explicite* continetur in *expressionibus liturgicis missae* “Offerimus”, “Offerunt”, “Quod ore sumpsimus”, “Sacrificium nostrum”, “Meum ac vestrum sacrificium” (cit. in p. 747); docetur a *Pio XI* in Enc. “Miserentissimus” 8 maii 1928: “Quapropter . . . etiam Christianorum gens universa, ab Apostolorum principe ‘genus electum, regale sacerdotium’ [1 Petr. 2, 9] jure appellata, debet cum pro se, tum pro toto genere humano offerre pro peccatis” (A.A.S., 1928, p. 171).

Ad rem *Irenaeus*, Adv. haer. 4, 18, 3 sq.: “Non sacrificia sanctificant hominem . . . sed conscientia ejus qui offert, sanctificat sacrificium, pura existens, et praestat acceptare Deum quasi ab amico. ‘Peccator autem,’ inquit, ‘qui occidit mihi vitulum, quasi occidat canem.’ Quoniam igitur cum simplicitate Ecclesia offert, juste munus ejus purum sacrificium apud Deum deputatum est” (M.G. 7, 1026).

Augustinus (cit. infra, p. 1041) ait quod Ecclesia, sicut Christus, est offerens et oblatum, nam, cum sit corpus mysticum Christi, “*scipsam per ipsum discit offerre*”.

Florus diaconus, De expositione missae, 52: “ ‘Qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis’, etc. In quibus verbis considerandum est quod tota

³³ Disp. Schol., De Euch., disp. 19, sect. 7, Parisiis, 1892, t. 4, p. 254.

Ecclesia offerat Deo illud sacrificium laudis. . . Quod enim adimpletur proprie ministerio sacerdotum, hoc generaliter agitur fide et devotione cunctorum. . . Offerunt ergo sacerdotes Ecclesiae, offert per ipsos et in ipsis tota Ecclesia Deo sacrificium laudis, quod a cultoribus suis sibi offerri ipse praecepit” (M.L. 119, 47).

Stephanus de Balgiaco, Tract, de sacram, altaris, c. 13: ‘Offerimus, et ipsi offerunt. . . Offerimus re: ipsi offerunt fide et devotione. Offerimus, sacramenta conficiendo: ipsi offerunt, vota solvendo; immolant sacrificium laudis et reddunt Altissimo vota sua” (M.L. 172, 1288); c. 17: “Omnes offerunt, qui fide et opere in unitate Ecclesiae consistunt” (ibid., 1297).

Petrus Damianus, Liber qui appellatur Dominus Vobiscum, c. 8: “Hinc est enim quod in ipsa celebratione missarum, cui dicitur: ‘Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum’, paulo post subditur: ‘Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis’. In quibus verbis patenter ostenditur quod a cunctis fidelibus, non solum viris, sed et mulieribus, sacrificium illud laudis offertur, licet ab uno specialiter offerri sacerdote videatur; quia quod ille Deo offerendo manibus tractat, hoc multitudo fidelium intenta mentium devotione commendat. Quod illic quoque declaratur, ubi dicitur: ‘Hanc igitur oblationem servitutis nostrae sed et cunctae familiae tuae, quaesumus ut placatus accipias’. Quibus verbis luce clarius constat quia sacrificium, quod a sacerdote sacris altaribus imponitur, a cuncta Dei familia generaliter offeratur” (M.L. 145, 237 sq.).

S. Thomas, q. 80, a. 12, ad 3: “Sacerdos in persona omnium sanguinem offert et sumit”.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Christus est principalis et immediatus offerens sacrificii missae.

Probatum prima pars: **CHRISTUS EST PRINCIPALIS OFFERENS.**

Id sequitur tum ex eo quod, juxta Traditionem, potestas offerendi in sacerdote est quaedam *participatio ejusdem potestatis Christi*, quod verum non esset in sensu pleno nisi etiam ipsum actuale exercitium illius potestatis penderet a potestate Christi, tum ex eo quod sacerdos offert *nomine Christi et in persona Christi*, actiones enim agentis nomine alterius, uti legati agentis nomine regis, tribuuntur principaliter, quamvis moraliter, ei in cuius nomine aguntur.

Confirmatur ex eo quod juxta Hebr. 7 Christus est sacerdos secun-

dum ordinem Melchisedech in aeternum et ita ut ei nemo succedat; si autem Christus principaliter non offerret sacrificium missae, quod est juxta ordinem Melchisedech, dici posset alios sacerdotes in hoc ordine ei successisse, quippe qui soli offerrent.

Probatur secunda pars: *CHRISTUS EST IMMEDIATUS ET FORMALIS OFFERENS.*

1. *Ex doctrina Ecclesiae et Traditionis.*

Verba *Cone. Trid.*, cap. 2 (cit. supra, p. 846), “*Idem mine offerens . . . qui seipsum tunc in cruce obtulit*” tum secundum se, tum consideratis simul contextis declarationibus “*Eadem est hostia*” et “*Sola offerendi ratione diversa*”, videntur hunc obvium habere sensum: Christum esse offerentem non tantum remote et virtualiter sed proxime et formaliter, sicut est secundum seipsum etiam victima sacrificii, quamvis intersit diversa ratio offerendi tum ex parte victimae quae offertur incruente, tum ex parte ministri qui non solus sed cum subordinatis sacerdotibus offert.

Patres influxum oblativum ipsius Christi in sacrificio missae talibus affirmant expressionibus quae vix convenienter intelligi possunt in sensu alicuius influxus tantummodo remoti et virtualis.

Chrysostomus: “Non sunt humanae virtutis haec opera. Is qui tunc in illa coena haec confecit, et *nunc etiam operatur*. Nos ministrorum habemus ordinem: qui vero illa sanctificat et transmutat, ipse est” (In Matth., hom. 85, 5, M.G. 58, 744).

Idem: “Oblatio eadem est . . . quam Christus dedit discipulis et quam nunc sacerdotes faciunt . . . quia non homines hanc sanctificant, sed *is ipse* qui illam sanctificavit” (In 2 Tim., hom. 2, n. 4, cit. in p. 744).

Idem: “*Adest Christus*, et nunc is, qui mensam illam apparavit. *hic ipse hanc nunc exornat*. Non enim homo est qui facit ut proposita efficiantur corpus et sanguis Christi, sed ipse Christus. . . Figuram [Christi] implens stat sacerdos verba illa proferens” (De prod. Judae, hom. 1, 6, cit. in p. 141).

Ambrosius: “Etsi nunc Christus *non videtur offerre . . . ipse offerre manifestatur in nobis*, cujus sermo sanctificat sacrificium quod offertur” (In Psal. 38, n. 25, cit. in p. 744).

Augustinus: “[Christus in cruce] ipse offerens, ipse et oblatio. Cujus rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiae sacrificium: quae cum ipsius capitis corpus sit, *se ipsam per ipsum discit offerre*” (De civ. Dei, 10, 20, cit. in p. 907). “Quam [mensam] *sacerdos ipse* Medi-

ator Testamenti novi exhibet secundum ordinem Melchisedech de corpore et sanguine suo” (ibid. 17, 20, cit. ibid.).

Chrysostomus et Ambrosius etiam *rationem assignant* quare Christus sit offerens, quia nempe ipse est consecrator.

Antiquiores theologi explicitius id affirmant.

Pseudo-Alcuinus, Confessio fidei, pars 4, η. 1: “Ideo, quamvis corporeis oculis ibi ad altare Domini videam sacerdotem, panem et vinum offerentem, tamen intuitu fidei, et puro lumine cordis inspicio illum summum sacerdotem, verumque pontificem, Dominum Jesum Christum, offerentem seipsum, de cuius carne et sanguine et pascimur et potamur, atque abluti et satiati et sanctificati, unius summaeque divinitatis participes efficimur. Ipse est certe sacerdos, ipse sacrificium” (M.L. 101, 1087).

Remigius Altissiodorcensis, In Epist. ad Hebr., 8: “Offert etiam sacrificium Deo Patri acceptum per Ecclesiam suam. Dum enim nos offerimus sacramenta Corporis ejus, ipse offert” (M.L. 117, 874).

Isaac de Stella, Epist. de officio missae: “Sacerdos, non jam vetus Melchisedech, neque natus caro de carne . . . sed novus, Jesus, natus de Spiritu Spiritus, de donis ac datis divinis, de coelo coelestem hostiam carnis et sanguinis offert” (M.L. 194, 1894).

Guilelmus Parisiensis, De sacramento Eucharistiae, c. 5: “Potest autem habere dubitationem, cur summus ille sacerdos et hostia Christus Dominus descendat in altare et inter manus sacerdotis, cum totum illud sacerdotale officium in ipso sublimi habitaculo coelesti coram Deo Patre laudabiliter et sufficienter explere posset” (Opera, t. 1, p. 447).

S. *Thomas*, q. 83, a. 1, ad 3: “Sacerdos gerit imaginem Christi, in cuius persona et virtute verba pronuntiat ad consecrandum. . . Et ita quodammodo idem est sacerdos et hostia.” Ut patet ex obiectione cui S. Doctor respondet, vox “quodammodo” ponitur ad significandum quod dum victima est solus Christus, sacerdos est duplex, i.e. Christus et minister humanus.

2. *Ex rationibus theologicis.*

Primo, unitas inter sacrificia crucis, coenae et missae, quae frequenter affirmatur in Traditione, perfecte et proprie non salvatur si Christus alio modo in missa et alio modo in cruce et coena sit offerens (seu si non Christus sed Ecclesia sit immediatus et formalis offerens sacrificii missae), praecipue cum eam unitatem tota Traditio repetat simpliciter et absque distinctione ex unitate tum victimae tum offerentis,

Ad rem *Suarez*: “Sic igitur in praesenti, ad exactam perfectionem hujus sacrificii, et ut omnino aequale sit ex parte offerentis sacrificio crucis et coenae, oportet ut Christus per se ipsum aliquo modo offerat, et non tantum per legatum repraesentantem, et hoc modo melius salvatur quod nunc exercet munus sacerdotis summi et aeterni”.³⁴

Secundo, Christus concurrit immediate et formaliter ad *ipsam consecrationem*, in eius enim persona sacerdos verba consecrationis profert et ex eius immediato influxu haec vim effectivam consequuntur; ergo eodem modo Christus concurrit ad oblationem sacrificii quae in consecratione essentialiter consistit.

Huic rationi *respondet De la Taille*³⁵ primo, negando quod Christus actualiter et formaliter influat in actionem consecrativam; *secundo*, quod etiam si taliter influeret, inde non sequeretur ipsum influere in oblationem qua talem (quamvis haec inveniatur in ipsa consecratione), “quia, ut observat ipse *Suarez*,TM alia est habitudo efficientis, alia offerentis”, ut patet ex eo quod SS. Trinitas est causa consecrationis nec tamen dici potest offerre sacrificium.

Attamen, primum ostenditur falsum ex his quae docentur a theologis in tractatu De Verbo Incarnato de causalitate instrumentali humanitatis Christi (cf. q. 62, a. 3; q. 78, a. 4).

Ad *secundum* vero dicendum quod Christus non quomodolibet influit in consecrationem sed ita ut verba consecrativa dicantur a sacerdote *in persona Christi*; unde quidquid consecrativi aut oblativi in his verbis actualiter involvitur, totum dicitur ex ore Christi et totum ad Christum refertur. Ad rem S. *Thomas*, q. 78, a. 1: “Formae aliorum sacramentorum proferuntur ex persona ministri. . . Sed forma hujus sacramenti profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis, ut detur intelligi quod minister in perfectione hujus sacramenti nihil agit, nisi quod profert verba Christi”. Ipse *Catechismus Cone. Trid.*, p. 2, c. 4. q. 77 (cit. in p. 943 sq.) non aliunde deducit unitatem sacerdotis in cruce et in missa quam ex eo quod ipse Christus est qui consecrationem agit per ministerium sacerdotum.

Dices. Christus qua homo concurrit ad consecrationem tantummodo instrumentaliter. Ergo nequit esse principalis offerens, nisi in sensu remoto et virtuali.

Resp. Consecratio potest dupliciter considerari: uno modo ut actio conversiva, et sic Christus homo se habet ad eam ut instrumentum Divinitatis, alio modo ut actio oblativa, et sic Christus est causa princi-

Disp. 77, sect. 1, n. 6, Opera omnia, t. 21, Parisiis, 1861, p. 692.

“Mysterium Fidei, elue. 23, Parisiis, 1931, p. 299-301.

“Loc. cit.

palis ejusdem, seu principalis offerens, homo vero est causa instrumentalis seu secundarius offerens.

Tertio, admissa doctrina formalis oblationis ipsius Christi, *congruentius intelligitur quare sacerdos praecisus ab Ecclesia per haeresim, schisma vel excommunicationem, valide offerat sacrificium ipsius Ecclesiae*; est enim sacerdos instrumentum oblationis ipsius Christi, ex quo provenit ut etiam sit ac maneat repraesentans subordinatam oblationem ipsius Ecclesiae, quantumvis haec renuat exercitio talis ministerii.

Propterea *Scotus* (cit. in p. 931) hujus rationis valorem advertens, imo exaggerans, inepte docuit missam sacerdotis ab Ecclesia praecisi esse quidem validam consecrationem sed non sacrificium.

Diximus "*congruentius intelligitur*" ne cum *Lopin* et ipso adversario *Scoto* nimium valorem huic rationi tribuamus. Nam etiam si, iuxta sententiam adversariorum, non Christus sed Ecclesia esset formalis et immediatus offerens, adhuc videretur salvari validitas talis sacrificii, eo quod sacerdos ex ipsa voluntate Christi et per characterem sacerdotalem habet ut sit offerens sacrificii ac proinde ex eadem causa haberet ut esset offerens una cum Ecclesia formaliter offerente, etiam si Ecclesia exercitio talis oblationis renueret.

Ad rem bene *De la Taille*: "Sacerdos, quantumvis ab Ecclesia praecisus, tamen servat connexionem illam ministerialem, qua constitutus semel a Deo procurator Ecclesiae respectu sacrificii offerendi, manet Ecclesiae procurator in perpetuum: per eum agente Ecclesia quidquid ipse secundum divinitus sibi demandatae procurationis potestatem attentaverit, etiam contra fas, agere. Organum est corporis, et organum manet; et etiamsi corpus interdixerit organo, aut organum valedixerit corpori, organum tamen manet: et quidquid, ut organum, agere voluerit, agit ex parte Ecclesiae."³⁷

Supradictis rationibus adversariorum respondetur:

Praecipua ratio, invocata a *Scoto* et *De la Taille*, plenius dissolvetur infra (art. 52, p. 1072 sq., *Dices*); sufficet nunc adnotasse sacrificium crucis et sacrificium missae esse substantialiter idem, influens quidem, alia et alia ratione, i.e. ut pretium acquisitum et ut pretium applicatum.

Ceterae quoque adversariorum rationes facile dissolvuntur:

1. Ad hoc ut Christus sit formalis offerens non est necesse ut ex ore ejus dicantur omnes orationes missae quae oblationem sonant, nam oblatio sacrificialis fit essentialiter in ipsa consecratione seu per verba

³⁷ "Mysterium Fidei, elue. 33, Parisiis, 1931, p. 427.

consecrativa quae dicuntur ex ore Christi quaeque intentionem oblativam ipsius Christi in se continent. Ad rem S. *Thomas*: “Sacerdos in missa, in orationibus quidem loquitur in persona Ecclesiae, in cujus unitate consistit; sed in consecratione sacramenti loquitur in persona Christi, cujus vicem in hoc gerit per ordinis potestatem” (q. 82, a. 7, ad 3).

Praeterea in objectis verbis (“Supplices te rogamus”) potest intelligi Ecclesiam exprimere coniunctionem suae oblationis cum oblatione Christi, si nempe juxta quosdam interpretes “per angelum intelligitur ipse Christus, qui est magni consilii angelus, qui corpus suum mysticum Deo Patri conjungit et Ecclesiae triumphanti” (q. 83, a. 4, ad 9).

2. In tractatu De Verbo Incarnato dicemus cum pluribus theologis contra Vasquez Christum in coelo orare proprie et formaliter. Ex quo potius instaurari potest ratio pro veritate ipsius oblationis formalis; non enim haec magis dedecet Christo quam actus orationis formalis.

3. Ex eo quod Christus eliciat in coelo actum formalis oblationis non sequitur hunc habere rationem meriti, secus meritorii essent omnes actus voluntarii quos Christus elicit in coelo. Status comprehensoris claudit statum viae et meriti.

4. Actio consecrativa, prout talis, simpliciter et secundum se tota procedit non tantum a sacerdote sed etiam et primario ab ipsa humanitate Christi tanquam instrumento coniuncto Divinitati.

5. Virtualis oblatio Christi sufficeret ad hoc ut ipse sit quomodolibet principalis offerens, sed non sufficit ad hoc ut sit offerens eo modo quo Traditio intelligit et eo modo quo fuit offerens in cruce et in coena.

Conclusio 2. Soli et omnes sacerdotes sunt simpliciter et immediate offerentes in sacrificio eucharistico.

Probatur.

Hic valent omnes fere rationes adductae quoad ministrum consecrationis in art. 40 (Conci. 1, p. 740-748). Adde duas sequentes:

1. Offerre sacrificium est proprium et specificum munus sacerdotis, ita ut sacrificium et sacerdotium sint correlativa, ut constat ex historia religionum et docetur ab Apostolo ad Hebr. 5, 1: “Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia”.

2. Sacrificium eucharisticum consistit essentialiter in consecratione, quamvis alia sit ratio consecrandi et alia ratio offerendi. Jamvero soli et omnes sacerdotes sunt consecratores. Ergo soli et omnes sacerdotes sunt offerentes.

Conclusio 3. Ipsa Ecclesia, omnesque fideles qui actu sunt ejus membra, sunt vere sed mediate offerentes.

Probatur.

Sacerdotes immediate quidem offerunt sed nomine Ecclesiae et ut ejus ministri. Ergo *Ecclesia* vere, quamvis mediate, offert, cum actio legati vere tribuatur mittenti. Imo, si res moraliter consideretur, haec oblatio magis tribuitur Ecclesiae quam sacerdoti, quemadmodum actio legati magis pertinet ad mittentem.

Singuli etiam fideles, utpote membra Ecclesiae, participant mediate per Ecclesiam eandem rationem offerendi, ita ut vere offerant quamvis duplicata mediatione.

Huic accedit quaedam *indirecta, extrinseca et impropria ratio offerendi*, consistens in aliquo concursu ad ipsam actionem sacrificalem, tum directe et formaliter per assistentiam, sive activam (ministrando) sive etiam passivam (audiendo), tum indirecte procurando celebrationem sacrificii per oblationem stipendii, materiae consecrandae et vasorum sacrorum.

De la Taille, qui plura affert Traditionis documenta de utroque hoc modo concurrenti ad oblationem sacrificii, iudicat *concursum stipem dantis esse proximiorum et intimiorum concursu assistentis*. Scribit enim (Mysterium Fidei, Parisiis, 1931):

“Praeter sacerdotem, ut talem, id est publicum in litando Ecclesiae ministrum, intercedunt etiam tanquam offerentes, ii ex quorum parte specialius per sacerdotem offertur sacrificium, utpote qui istud ipsum Ecclesiae procuraverint sternendum” (p. 339).

“Oblatores . . . munerum, seu *erogatores stipum*, sunt cum procurato a se sacrificio prae ceteris non procurantibus specialius atque propius intimiusque connexi; proindeque etiam magis afficitur sacrificium illorum oblatione, magisque interest eorum fervor et devotio in efficacia sacrificii cumulanda.

“Patet enim, *quo quis magis connectatur cum dono jaciendo* (est enim donum omne sacrificium), eo magis erga eum devincire illum qui dono muneretur. Puta enim donum nomine totius Galliae alicui viro insigni oblatum, at cura et liberalitate quorundam privatorum potissimum comparatum: pro ejusmodi dono gratitudinem habebit quidem ad omnes, sed potissimum ad istos, et tanto majorem, quanto melius affectos. Sic igitur, prae ceteris non comparantibus sacrificium specialiore partem habent illi, qui dant eleemosynam, in sacrificio offerendo et valore ejus regulando.

“Neque hoc etiam est praetermittendum, quod sacerdos, eorum munera deferens, *tenetur, ut legatus, intentionem suam illorum intentioni conformare*; et quandoquidem ex commissione totius Ecclesiae offert, totius etiam nomine Ecclesiae atque affectu munera eorum commendat atque vota transmittit” (p. 342).

“*Stipem dantibus proximi veniunt adstantes*, qui, prae ceteris non adstantibus, eo magis exserunt suam vim oblativam (ecclesiastici corporis membris nativam), quo magis junguntur rei sacrae affectu actuali externe significato. Qua significatione testificantur se ratam habere, quantum in ipsis est, oblationem, suo nomine factam, proindeque eam speciali titulo faciunt suam et offerunt” (p. 343).

“Quod si igitur adstantium sacrificium est quod agitur, non dubitandum est quin, aucta ipsorum devotione, augeatur, respectu effectus ab ipsis intenti, valor ascendentis ad Deum oblationis sacrificialis” (P. 347).

Aliqua varietas, ni dicatur confusio, observatur apud plures theologos in distinguendis variis modis quibus fideles offerunt mediate.

Quidam, ut Salmanticenses, distinguunt triplicem modum, i.e. generalem et communem omnibus fidelibus, specialem qui convenit fidelibus (etiam absentibus) qui sacerdotem ad offerendum movent per oblationem stipendii vel aliter, et specialiore qui convenit praesentibus ac praecipue ministrantibus ad altare.

Alii, ut Billuart, retento eodem modo dividendi, invertunt sensus secundi et tertii membri, ita ut assistentes dicantur offerre specialiter, stipendii vero oblatores specialius.

Alii distinguunt inter fideles subjective coniunctos celebranti (omnes sive praesentes sive absentes) et fideles etiam objective illi coniunctos (offerentes nempe stipendium, materiam et vasa sacrificii).

Alii, ut Billot et Hervé, distinguunt inter habitualiter offerentes (qui nempe non alia ratione offerunt nisi quatenus sunt membra Ecclesiae) et actualiter offerentes (qui nempe assistunt aut ministrant, et a fortiori qui per stipendium vel aliter curant ut sacrificium offeratur).

Alii, ut Suarez et Cappello, distinguunt inter offerentes generales (omnes fideles ut membra Ecclesiae) et speciales seu secundarios et accessorios (eos nempe qui cooperantur sacrificio per quemdam externum concursum, i.e. qui dant stipem, materiam, vasa sacrificii, et qui assistunt vel inserviunt).

Alii, ut Mckclbach, distinguunt inter eos qui uniuntur sacerdoti per intentionem honorandi Deum (voluntate implicita et habituali, ut omnes fideles, vel voluntate explicita et actuali, ut qui uniunt intentionem intentioni sacerdotis, melius qui hanc intentionem externe

manifestant missae assistendo, optime qui simul assistunt et communicant) et eos qui externe *concurrunt* ad sacrificium (offerendo stipendium, materiam, vasa, et inserviando altari, maxime tanquam diaconi).

Quaestiones de concelebratione et obligatione celebrandi resolvimus supra in art. 41 et 42.

Praeterea sequentes *MINORES QUAESTIONES* circa offerentem hujus sacrificii moventur a quibusdam theologis:

1. An Apostoli potuissent sacrificium offerre *durante passione et in triduo mortis*.

Negat *De la Taille*, praecipue quod attinet ad tempus ante ipsam mortem Christi: "Dicenda est, ait, defuisse apostolis potestas consecrandi eucharistiam durante passione, id est inter coenam Christi et mortem; siquidem ex institutione maxime illis incumberebat commemorare mortem Christi: quam commemorare non poterant nisi factam. Praeterea qualem tunc hostiam offerrent? Non immolatam, siquidem nondum mortuus supponeretur Christus; nec offerrent Christum ad immolationem: siquidem hoc ad solum Christum summum sacerdotem et redemptorem pertinebat, qui solus se obtulit immolandum."³⁸

2. *An etiam animae Purgatorii offerant* hoc sacrificium, sicut alii fideles, mediate per sacerdotem.

Negant quidam theologii, quia sacrificium hoc proprie offertur a corpore Ecclesiae seu ab Ecclesia visibili et quia si animae illae essent offerentes, idem dici posset etiam de beatis; addi potest quod inde sequeretur etiam animas eorum qui nunquam fuerunt membra Ecclesiae esse offerentes hujus sacrificii.

Affirmant, saltem ut probabilius, alii, inter quos *Salmanticenses*TM eo quod ex una parte illae animae non sunt omnibus modis extra statum viae, et hoc sensu nec simpliciter extra Ecclesiam militantem, cum retineant fidem et spem (cf. 2-2, q. 18, a. 3), et ex alia parte possunt movere sacerdotem ad celebrandum tum per influxum stipendiorum ab ipsis relictorum (cf. In 4 Sent., dist. 45, q. 2, a. 1, q. 3; Suppi., q. 71, a. 6, ad 4; a. 8, ad 4), tum, permittente Deo, per apparitionem in qua petant a sacerdote ut pro eis offerat.

Hanc sententiam urget inter modernos *De la Taille*, saltem quoad animas eorum qui adhuc vivi stipendia obtulerunt pro missis sibi post mortem applicandis. "Si . . . ipsi, inquit, cum in vivis essent, disposuerunt de missis pro se post mortem dicendis, puta per legatum assignata stipe, tunc prosunt illis tales missae priore modo, tanquam fructus

³⁸Mysterium Fidei, elue. 17, Parisiis, 1931, p. 205.

* De Euch., disp. 13, dub. 3, § 2, n. 63.

scilicet propriae oblationis. Obtulerunt enim, ut stipem dantes, quantum erat ex ipsis, cum stipendia ad missae celebrationem ordinaverunt; dirigitur autem, secundum eorum intentionem, sacrificium ad propriam suam utilitatem; proindeque fructum percipiunt sacrificii ut sui.”⁴⁰

3. *An offerens solo affectu* seu per internum actum dicatur specialiter offerre.

Negant quidam, ut *Suarez* (Disp. 77, sect. 2 et 3) et *Cappello* (n. 564); *affirmant* alii, ut *Vasquez* (Disp. 226, cap. 2), *Sporer* (n. 328) (*ANoldin* (n. 168).

Salmanticenses sic litem dirimunt:

“Quaestio haec videtur ad solas voces, et earum usurpationem pertinere. Quod autem ad rem attinet, sentimus cum priori sententia eum, qui, praecise affectu interiori offert hoc sacrificium, non posse dici illud offerre illa specialitate, qua offerunt, qui vel precibus, vel stipendio movent sacerdotem ad celebrandum, vel qui illi in ipsa celebratione ministrat, et assistit. Nam hic multo majori specialitate offert, cooperando ad actum sacrificandi, qui externus est. . . Sed in favorem secundae sentimus offerentem solo affectu interiori esse specialiter offerentem per comparisonem ad omnes fideles, qui quamvis nihil de hoc sacrificio cogitent, dicuntur generaliter offerre, quia sacerdos omnium nomine agit, et orat. Quippe manifestum est vel solo affectu interiori offerentem aliquid addere supra generaliter offerentes: atque ideo posse in hoc sensu dici, quod specialiter offerat. . . In quo sensu nullum est inconveniens dicere quod *B. Virgo* obtulerit aliqua specialitate sacrificium cruentum crucis; et quod simili affectu dicatur offerre omnia sacrificia.”⁴⁰

ART. 49. Utrum Sacrificium Eucharisticum Habeat Quadruplicem Finem, Latreuticum Nempe, Eucharisticum, Impetratorium et Propitiatorium.

STATUS QUAESTIONIS

Incipit quaestio de secunda causa extrinseca huius sacrificii, seu *DE FINE*, qui est ipse *effectus* in ordine executionis, ut sic satisfiat tertiae quaestioni *Augustini* (cf. supra, p. 785) “*pro quibus offeratur*”.

Finis sacrificii potest dupliciter considerari, scilicet ex parte obiecti seu ut finis qui aut cuius (i.e. qui intenditur vel cuius gratia aliquid fit) et ex parte subiecti seu ut finis cui (i.e. ex parte personae in

⁴⁰ Op. dt., duc. 29, p. 361.

⁴¹ De Euch., disp. 13, dub. 3, § 2, n. 54, Parisiis, 1882, p. 801.

cuius utilitatem aliquid intenditur); rursus, finis cuius potest considerari tum in ordine intentionis et indeterminate, tum determinate et in ordine executionis in quo finis coincidit cum effectu; item, in ordine executionis potest attendi tum ipse effectus, tum efficacia ad effectum directa, quae iterum potest considerari quoad suam causam, quoad suum modum influendi et quoad suam vim seu valorem.

Hinc ordo septem articulorum qui ad finem sacrificii referuntur, juxta divisionem allatam in Introductione capitis (p. 786).

In praesenti articulo agitur *DE FINE CUIUS*, considerato potius in ordine intentionis et indeterminate, seu de existentia *quadruplicis finis*, latreutici nempe, eucharistici, impetratorii et propitiatorii. Nam, ut dictum est in art. 43 (p. 820. 822), fini latreutico, qui est *essentialis* omni sacrificio, accedere possunt, tamquam *consequentes* et extrinseci, alii tres fines. Quorum duo priores, *latreuticus* nempe et *eucharisticus*, accipiuntur potius *ex parte Dei*, posteriores vero, seu *impetratorius* et *propitiatorius*, referuntur *ad hominem*.

tyioad modum distinguendi et ordinandi fines sacrificii duplex discrimen observatur inter theologos.

Primum discrimen respicit distinctionem inter tertium et quartum membrum praefatae divisionis.

Nam, *alii*, et quidem communius, distinguunt inter finem impetratorium et finem propitiatorium, ac retinent *quadrifariam* divisionem.

Alii vero, ut *Billot* et *Merkelbach*, eam distinctionem negant ac videntur sacrificium ex parte finis dividere in *tria membra*: latreuticum, eucharisticum et impetratorium, subdiviso hoc ultimo in impetratorium tantum (quod *haberetur* si non esset peccatum) et impetratorium-placativum, seu propitiatorium (quod de facto *habetur* in statu naturae lapsae); ex quo sequitur de facto tres haberi fines in hoc sacrificio, latreuticum nempe, eucharisticum et propitiatorium.

Ad rem *Billot*: “Apud quosdam theologos occurrit distinctio inter sacrificium prout *propitiatorium*, et prout *impetratorium est*. . . Certe, quoad rem nulla esse potest discordia, sed quoad modum loquendi non placet oppositio propitiationem inter et impetrationem. — Primo quia Tridentinum, Sess. 22, cap. 2 et can. 3, etsi apertissime loquatur de sacrificio in quantum placat Deum offensum, et ab eo impetrat bona, semper uno *propitiatorii* sacrificii vocabulo utitur. — Secundo quia vocabulum istud ex natura sua utrumque respectum includit. Reddere enim propitium, non est tantum placare negative, quasi aufereudo indignationis obicem, sed est etiam inclinare offensum ad positivum favorem. — Hinc tertio, propitiatio includit impetrationem et addit placationem offensi; quo fit ut secluso peccato, non esset locus

propitiationi, sed simplici impetrationi; supposito autem peccato, impetratio debet esse placativa, et ideo induit rationem propitiationis.”⁴²

Secundum discrimen respicit ultimum membrum divisionis, i.e. finem propitiatorium (prout distinguitur ab impetratorio).

Nam *quidam* illum *identiflant* cum fine expiatorio; unde videntur quinque fines distinguere, scilicet latreuticum, eucharisticum, impetratorium, expiatorium seu propitiatorium, satisfactorium. *Alii*, ut *Hugon*, illum *subdividunt in tria membra*, i.e. propitiatorium stricte sumptum, expiatorium et satisfactorium. *Alii* melius illum *subdividunt in duo membra*, i.e. expiatorium et satisfactorium.

Duplex praedictum discrimen respicit potius terminologiam ac provenit ex *variis sensibus qui tribuuntur voci “propitiatorium”*.

Re quidem vera fines et effectus sacrificii sequenti modo distinguuntur ac ordinantur: Sacrificium *primo*, dat honorem Deo (latreuticum), *secundo*, gratias Deo agit (eucharisticum), *tertio* ac consequenter, reddit Deum propitium seu benevolum (propitiatorium) ac eo ipso placatum (placativum) sive in se et in actu primo (propitiatorium), sive ac consequenter, in actu secundo et efficienter (impetratorium), tum quoad extinctionem debiti (propitiatorium) tam peccati (expiatorium) quam poenae (satisfactorium), tum quoad largitionem bonorum naturalium et supernaturalium (impetratorium).

Quae omnia in sequenti *conspectu* ordinari possunt:

Finis latreuticus

Finis eucharisticus

Finis propitiarius (primo sensu)

in actu primo: propitiarius (secundo sensu)

simpliciter propitiarius

placativus

in actu secundo: impetrarius (primo sensu) seu propitiarius (tertio sensu)

quoad extinctionem debiti: expiatorius (primo sensu) seu propitiarius (quarto sensu)

quoad remissionem peccati: expiatorius (secundo sensu) seu propitiarius (quinto sensu)

quoad remissionem poenae: satisfactorius

quoad largitionem bonorum naturalium et supernaturalium: impetrarius (secundo sensu)

Hinc tres tantum videntur esse sacrificii fines, primo et adaequate distincti, i.e. *latreuticus*, *eucharisticus* et *propitiarius*, ac pro tanto recta est sententia Billot et apprime concordans terminologiae Ecclesiae (Cone. Trid.) et Patrum (cf. infra in Conci. 4). Attamen, cum in ipsa divisione finis propitiarii maxime consideretur ex una parte effectus largitionis bonorum et ex alia parte effectus extinctionis debiti, in qua praecipue ostenditur ratio propitiationis, ideo, omisso genere

⁴² De Eccl. Sacram., t. 1, De Euch., thes. 55, Romae, 1914, p. 634, in nota

propitiatorii, consultius retinetur communis quadrifaria distinctio in latreuticum, eucharisticum, impetratorium et propitiatorium (subdiviso hoc ultimo in expiatorium et satisfactorium).

PARS NEGATIVA

Protestantes, quamvis negent missam esse proprie dictum sacrificium, tamen suo modo admittunt in actione liturgica, quam celebrant circa *sacramentum* Eucharistiae, aliquem finem latreuticum et eucharisticum, et hoc sensu quidam concedunt missam dici posse "sacrificium . . . laudis et gratiarum actionis" {*Cone. Trid.*, can. 3; cf. *Melanchthonium* supra, p. 835 sq.), sed praecipue et directe *negant missam habere finem impetratorium et propitiatorium*, tum quia in hoc, ut ipsi advertunt, maxime et distincte manifestatur vera indoles sacrificialis missae, tum quia hoc maxime offendit duos fundamentales canones suae doctrinae, absolutam nempe sufficientiam sacrificii crucis et justificationem per solani fidem in crucem Christi (cf. supra, p. 831 sqq.).

Propterea *Cone. Trid.* in can. 3 valde distincte ac directe negat missam esse tantum sacrificium laudis et gratiarum actionis ac docet ipsam esse etiam sacrificium propitiatorium.

PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica. Res est *de fide definita* quoad quadruplicem partem.

Documenta Ecclesiae.

Cone. Trid., sess. 22 (cit. in p. 844-847), in can. 3 definit explicitè sed indirectè duos priores fines, i.e. latreuticum et eucharisticum, explicitè et directè duos posteriores, i.e. propitiatorium (propitiatorium, ut ait, pro peccatis, poenis et satisfactionibus) et impetratorium (propitiatorium, ut ait, pro aliis necessitatibus). Vox "*propitiatorium*" in hac definitione et in subsequentibus documentis, quae ab ea dependent, sumitur generice et complexive pro utroque membro quod a theologis sat communiter distingui solet, i.e. propitiatorio et impetratorio.

In cap. 2 (cit. in p. 846) fusius explicat hunc duplicem finem, quem vocat *vere propitiatorium*.

In cap. 1 generali expressione omnes fines complectitur, inquiens: "Haec . . . illa est [oblatio], quae per varias sacrificiorum, naturae et Legis tempore, similitudines figurabatur, utpote quae *bona omnia* per illa significata veluti illorum omnium consummatio et perfectio *complectitur*" (Denz. 939, cit. in p. 846).

Catechismus Cone. Trid., p. 2, c. 4, q. 78 sq., doctrinam definitam sic expandit:

“Sine ulla dubitatione docendum est, id quod etiam sancta Synodus explicavit, sacrosanctum Missae sacrificium esse non solum *laudis* et *gratiarum actionis*, aut nudam commemorationem sacrificii, quod in cruce factum est; sed vere etiam propitiatorium sacrificium, quo Deus nobis *placatur* et *propitius redditur*. Quare si puro corde, accensa fide et intimo scelerum nostrorum dolore affecti hanc sanctissimam Hostiam immolemus et offeramus, dubitandum non est, quin misericordiam a Domino consequuturi simus, et gratiam in auxilio opportuno. Hujus etiam victimae odore ita delectatur Dominus, ut gratiae et poenitentiae donum nobis impertiens, peccata condonet. Quamobrem et solemnis est illa Ecclesiae precatio: ‘Quoties hujus Hostiae commemoratio celebratur, toties opus nostrae redemptionis exercetur’ [Secreta Dom. 9 post Pent.]; nimirum uberrimi illi cruentae Hostiae fructus per hoc incruentum sacrificium ad nos manant. . .

“Deinde vero hujus sacrificii eam vim esse Parochi docebunt, ut non solum immolanti et sumenti prosit, sed omnibus etiam fidelibus, sive illi nobiscum in terris vivant, sive jam in Domino mortui, nondum plane expiati sint. Neque enim minus ex Apostolorum certissima traditione pro his utiliter offertur, quam pro vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus, ac *quibusvis calamitatibus et angustiis*.”

Ibidem, q. 3, explicans sensum vocis “Eucharistia”, ait: “Nec . . . minus apte gratiarum actionem interpretamur: siquidem quum hanc purissimam hostiam immolamus, immensas quotidie gratias pro universis in nos beneficiis Deo agimus, atque in primis pro ejus gratiae tam excellenti bono, quam nobis hoc sacramento tribuit.”

Pius IV, Professio fidei Tridentina: “Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et *propitiatorium* sacrificium pro vivis et defunctis” (Denz. 997).

Benedictus XIV, Professio fidei Orientalibus (Maronitis) praescripta: “Pariter veneror et suscipio Tridentinam Synodum, et profiteor, quae in ea definita et declarata sunt, et praesertim offerri Deo in Missa verum, proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis” (Denz. 1469).

Leo XIII, Epist. ad episcopos Scotiae (cit. in p. 918), distinguit inter efficientiam impetratoriam et expiatoriam.

Pius XI, Enc. “Quas primas” (cit. in art. praec., p. 1034), finem propitiatorium exprimit, inquit “Christum . . . se ipsum pro peccatis hostiam obtulisse perpetuoque offerre”.

Omnes Liturgiae quadruplicem finem exprimunt in suis orationibus.
Canon Missae Romanae:

“*Quae tibi offerimus* pro Ecclesia tua sancta catholica: quam pacificare, custodire, adunare, et regere digneris toto orbe terrarum”.

“*Memento*, Domine, famulorum, famularumque tuarum . . . et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, et nota devotio, pro quibus tibi offerimus: vel qui tibi offerunt hoc sacrificium *laudis*, pro se, suisque omnibus: pro *redemptione* animarum suarum, pro spe salutis, et *incolumitatis* suae: tibi que reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.”

“*Hanc igitur* oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus, Domine, ut *placatus* accipias: diesque nostros in tua *pace* disponas, atque ab *aeterna damnatione* nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari.”

“*Memento* etiam, Domine, famulorum, famularumque tuarum . . . qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas, deprecamur.”

“*Libera* nos, quaesumus, Domine, ab *omnibus malis*, praeteritis, praesentibus, et futuris . . ., da *propitius pacem* in diebus nostris, ut ope misericordiae tuae adjuti, et a *peccato* simus semper liberi, et ab *omni perturbatione* securi.”

Ecclesia schismatica orientalis ejusque theologi plene nobiscum consentiunt.

“Nec aliquid vere notabile, inquit *Jugie*, tum apud theologos byzantinos, tum apud modernos auctores circa hujusmodi fines [sacrificii] occurrit. Tenent enim traditam de hoc capite doctrinam, eamque saeculis xvi et xvii tum in privatis scriptis, tum in publicis synodum decretis contra Protestantes, haud semel professi sunt. Ita Jefemias II, in *Responsis ad Tubingenses*, multa de sacrificio missae ab *Expositione liturgiae* Nicolai Cabasilae mutuatur. *Orthodoxa Conjessio* Petri Moghilae Eucharistiam esse sacrificium impetratorium et propitiatorium pro vivis ac defunctis expresse docet; quod et repetit *Dosithei Conjessio*, c. xvii.”⁴³

CONCLUSIO

Conclusio 1. Sacrificium eucharisticum habet finem latreuticum, seu honoris et laudis.

⁴³Thcol. Orientalium, t. 3, Parisiis, 1930, p. 329 sq.

Probatur.

1. Ex ipsa ratione *veri sacrificii*. Nam, ut dictum est in art. 43 (p. 820. 822), cultus latriae seu agnitio divini dominii est finis essentialis et inseparabilis omnis sacrificii.

2. Ex indole latreutica *sacrificii crucis*, cuius Eucharistia est repraesentatio et renovatio.

3. Ex *sacrificiis A.T.*, quorum omnium consummatio colligitur in missa, tanquam figurarum in veritate, juxta doctrinam *Cone. Trid.* (cap. 1, nuper cit.) et juxta illud *Leonis M.*: ‘Omnes differentias hostiarum, una corporis et sanguinis [Christi] . . . implet oblatio’ (Serm. 59, 7, M.L. 54, 341; cf. *Augustinum*, De civ. Dei, 17, 20, 2, cit. in p. 907).

4. Ex prophetia *Malachiae* (1, 10 sq.), in qua bis ac distincte finis laudis indicatur: “Ab ortu enim solis usque ad occasum, *magnum est nomen meum in gentibus*; et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia *magnum est nomen meum in gentibus*”.

5. Ex Traditione. Tum in *Liturgiis* tum apud *Patres* frequenter, ut par est, finis latrenticus indicatur. Vox Traditionis in his *Augustini* verbis resumitur potest: “*Deo victima laudis immolatur*” (Serm. 3, 1, cit. in p. 907 sq.).

Conclusio 2. Sacrificium missae habet finem eucharisticum, seu gratiarum actionis.

Probatur.

1. Ex ipsa ratione *veri sacrificii*. Nam, quamvis finis gratiarum actionis non sit primarius et essentialis sacrificio, de facto tamen necessario accedit, eo quod bonum omne quod possidemus, tum in ordine naturali tum in supernaturali, sit donum et beneficium Dei, in quo “vivimus, et movemur, et sumus” (Act. 17, 28).

2. Ex indole eucharistica ipsius *sacrificii crucis*, cuius sacrificium missae est repraesentatio et renovatio.

3. Ex *sacrificiis A.T.*, ut supra. Sub ratione eucharistica missa est consummatio *hostiae pacificae A.T.*

4. Ex *Scriptura N.T.*, seu ex modo institutionis. Nam, quasi ad ostendendam indolem eminenter eucharisticam sacrificialis actionis quam mox erat exeeuturus ac instituturus, Christus, narrantibus tribus Synopticis et Paulo (cit. in p. 50 sq.), solemniter *gratias egit* (“gratias egit”, “gratias agens”).

5. Ex Traditione, seu ex ipsa voce *Eucharistiae*, quae in praedictis

locis Scripturae fundata, inde a primis saeculis tanquam nomen proprium tributa est huic sacrificio (cf. supra, p. 6 sq.) ad significandum ipsum esse gratiarum actionem per excellentiam. Ad rem faciunt verba *Catechismi Cone. Trid.* (nuper cit., p. 1053) et *Chrysostomi* scribentis: “Ideoque tremenda illa mysteria tam salutaria, quae in singulis conventibus celebramus, *eucharistia appellantur*, quia beneficiorum multorum commemoratio sunt, caputque ipsum divinae providentiae ostendunt, nosque per omnia apparant ad gratias agendas” (In Matth., hom. 25, 3, M.G. 57, 331).

Conclusio 3. Sacrificium eucharisticum habet finem impetratorium.

Probatur.

1. Ex ipsa ratione *veri sacrificii*. Nam finis impetratorius est de facto necessarius, quamvis secundarius, sacrificio, intenta ex una parte hominis indigentia, eiusque totali dependentia ab universali gubernatione et causalitate divina, et ex alia parte benevola dispositione divinae voluntatis reddentis bonum pro bono.

2. Ex ipso *fine propitiatorio*, de quo in seq. Conci. Nam, ut ait *Bellarminus*, “si oblatio Eucharistiae, pro peccatis dimittendis valet, certe etiam pro aliis necessitatibus, quae ex peccato ortae sunt, valere debet. Et, si Deus hoc sacrificio placatus in gratiam cum inimicis suis redit, quanto facilius ob idem sacrificium adducetur, ut amicis et reconciliatis bona temporalia tribuat, si id eis utile fuerit” (De Missa, l. 2, c. 3 ad finem).

3. Ex indole impetratoria *sacrificii crucis*, cuius Eucharistia est repraesentatio et renovatio.

4. Ex *sacrificiis A.T.*, ut supra. Sub hac ratione Eucharistia iterum est consummatio *hostiae pacificae A.T.*

5. Ex ipsa *voce Eucharistiae*, quatenus, ut volunt plures theologi post *Isidorum Hisp.* (Etym. 6, 19, cit. in p. 787), sit tributa huic sacrificio etiam in sensu etymologico *bonae gratiae*, seu insignis doni (cf. supra, p. 7). Ad rem *Catechismus Cone. Trid.*, p. 2, c. 4, q. 3: “Recte quidem [hoc sacramentum et sacrificium] bona gratia dicendum est . . . quia Christum dominum, qui vera gratia atque omnium charismatum fons est, in se continet.”

6. *Ex Traditione*.

Cyprianus, Ep. 64, 4 et Ep. 76, 8 (cit. in p. 904), loquitur de effectu impetratorio huius sacrificii. *Cyrillus Hier.*, Catech. 23, 8 (cit. in p. 905), ait “victima offerri” pro variis hominum necessitatibus, quas

distincte enumerat. *Gaudentius*, Serm. 2 in Exod. (cit. in p. 906), ait “animas . . . sanctificari” per hoc sacrificium.

Constitutiones Apostolorum (circa 400), 8, 12, 40-44: “*Adhuc oramus* te, Domine, pro sancta Ecclesia tua, quae a finibus ad fines extenditur. .. *Adhuc rogamus* te pro me nullius pretii homine, *qui tibi offero*, et pro omni presbyterio, pro diaconis ac universo clero, ut omnes sapientiam docens Spiritu Sancto impleas. *Adhuc ‘rogamus’* te, Domine, ‘pro rege et iis, qui in sublimitate sunt’. . . *Adhuc offerimus* tibi pro omnibus sanctis, qui a saeculo placuerunt tibi, patriarchis, prophetis, iustis, apostolis, martyribus, confessoribus, episcopis, presbyteris, diaconis, subdiaconis, lectoribus, cantoribus, virginibus, viduis, laicis et omnibus, quorum tu nosti nomina. *Adhuc offerimus* tibi pro populo hoc, ut eum in laudem Christi tui exhibeas ‘regale sacerdotium, gentem sanctam’; pro iis, qui in virginitate et castitate vivunt; pro viduis Ecclesiae; pro iis, qui in nuptiis honestis ac in progeneratione liberorum degunt; pro infantibus plebis tuae, ut neminem nostrum reiciendum habeas” (Kirch, *Enchir. hist, eccles.*, 685).

Conclusio 4. Sacrificium eucharisticum habet finem propitiatorium.

Probatur.

1. Ex ipsa ratione *veri sacrificii*, supposita misera conditione naturae lapsae. Non enim fieri potest ut in actione, qua summus honor Deo defertur, desit vis ipsum placandi ac propitium reddendi in remissionem commissorum. Ad rem *S. Thomas*, q. 49, a. 4: “Est . . . hoc *proprie* sacrificii effectus ut per ipsum placetur Deus; sicut etiam homo offensam in se commissam remittit propter aliquod obsequium acceptum, quod ei exhibetur.”

Imo, cum conditio peccatoris, seu status inimicitiae cum Deo, opponatur honori divino, coinquinat gratiarum actionem et minuat vim impetrationis, finis propitiarius maximum momentum et cogentem necessitatem sibi vindicat in sacrificio naturae lapsae, tanquam id ex quo ceteri sacrificii fines quodammodo vivificantur.

2. Ex ipso *fine impetratorio*. Nam, juxta dicta in Statu Quaestionis, propitiatio cadit sub genere impetrationis, tanquam objectum impetrabile, imo tanquam praecipuum objectum quod sit veluti conditio impetrationis ceterorum.

3. Ex indole maxime propitiatoria *sacrificii crucis*, cujus Eucharistia est repraesentatio et renovatio.

4. Ex *sacrificiis A.T.*, ut supra. Sub hac ratione Eucharistia est consummatio *hostiae pro peccato A.T.*

5. *Ex Scriptura*, seu ex ipsis expressionibus sacrificialibus *verborum institutionis*: “Corpus . . . quod pro vobis datur”, “Sanguis . . . qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum”, “Calix novum testamentum” (cf. supra, p. 873-880).

Prima expressio est generalis et indicat corpus Christi dari in beneficium, et praecipue in redemptionem, hominum. Secunda expressio sonat directe propitiationem. Tertia expressio fortiter eandem propitiationem inculcat, quae erat unus ex praecipuis finibus antiqui foederis in sanguine agni sanciti.

Ad vim propitiatoriam sacrificii eucharistici referri videntur verba ad *Hebr. 12, 24*: “Et testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem *melius loquentem* quam Abel.” Ad rem *Secreta festi Pretiosissimi Sanguinis*: “Per haec divina mysteria ad novi, quaesumus, testamenti mediatorem Iesum accedamus; et super altaria tua, Domine virtutum, aspersionem sanguinis *melius loquentem* quam Abel innovemus.”

Praeterea S. Paulus ad *Hebr. 5, 1* generaliter docet: “Omnis . . . pontifex . . . pro hominibus constituitur . . . ut offerat . . . sacrificia pro peccatis”.

6. *EX TRADITIONE.*

Justinus, Dial. 41 (cit. in p. 897), comparat sacrificium eucharisticum oblationi similiae, praescriptae iis qui a lepra purgabantur et ait Christum hoc sacrificium “ad purificandas hominum animas ab omni iniquitate fieri praecepisse”.

Irenaeus (cit. in p. 899 sq.) plura habet de hoc fine propitiatorio.

Origenes, In Lev. 9, 10 (cit. in p. 901 sq.), loquitur de “*ritu propitiationis*” et de “*repropitiationis effectu*”.

Cyprianus, De lapsis, 16 (cit. in p. 207), dicit “purgari conscientiam sacrificio”.

Cyrillus Hier., Catech. 23, 8 (cit. in p. 905), vocat hoc sacrificium “*propitiationis hostiam*”.

Chrysostomus, In Phil., hom. 3, 4: “Eo tempore, quo universus populus stat manibus expansis ac coetus sacerdotalis et adest illud tremendum sacrificium, quomodo Deum non placabimus, pro istis orantes? Atque id quidem de iis, qui in fide decesserunt” (M.G. 62, 203).

Augustinus, Quaest. in Heptateuch. 3, 57: “Illis sacrificiis [A.T.] unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum” (M.L. 34, 704).

Faustus Reiensis, Hom. de c. et s. Dom. (cit. in p. 909), illud vocat “*perpetua redemptionis oblatio*”.

Gregorius M., Dial. 4, 58 (cit. in p. 909 sq.), ait: “*Pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur. . . Hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti Filii semper imitatur*”. In Hom. 37 in Ev. (cit. ibid.) Eucharistiam vocat “*hostias placationis*”.

Beda, Hom. 14 (cit. ibid.), ait quod Christus non solum in cruce lavavit nos a peccatis “*verum etiam quotidie tollit peccata mundi . . . cum ejusdem beatae passionis ad altare memoria replicatur*”.

Constit. Apost., 8, 12 (cit. in p. 911), invocatur Deus ut super oblata “*placate respiciat*”; 12, 45: “*Rogamus te . . . ut . . . condones . . . nobis delicta nostra*” (Kirch, Enchir. hist, eccles., 686).

Anaphora Serapionis, 3 sq. (cit. in p. 911sq.): “*Per sacrificium reconciliare nobis omnibus et propitiare*”.

Quoad finem propitiatorium seu satisfactorium *pro dejectis*:

Tertullianus, De exhort, castit. (cit. in p. 900 sq.), loquitur de sacrificio oblato etiam pro defuncto (“*offerretur pro duabus*”). De monogamia, 10: “*Et offert annuis diebus dormitionis ejus*” (M.L. 2, 992). De corona militis, 3: “*Oblationes pro dejectis . . . facimus*” (M.L. 2, 100).

Cyprianus, Epist. 66, 2 (cit. in p. 904), loquitur de sacrificio oblato “*pro dormitione*”.

Chrysostomus, In Phil., hom. 3, 4, nuper cit.

Cyrillus Hier., Catech. 23, 9 sq., post verba supra citata (p. 905), valde distincte proponit et explicat effectum suffragii sacrificialis pro defunctis:

“Postea recordamur eorum quoque qui obdormierunt: primum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat; deinde et *pro dejectis* sanctis patribus et episcopis et omnibus generatim qui inter nos vita functi sunt, *maximum hoc credentes adiumentum illis anintabus jore*, pro quibus oratio defertur, dum sancta et tremenda hic iacet victima.

“Huius rei fidem vobis ab exemplo facere volo; novi enim multos ita dicere: *Quid iuvat animam ex hoc mundo in peccatis seu sine peccatis decedentem, quod eius in oratione mentio fiat?* An vero si rex quispiam viros a quibus offensus fuerit relegarit in exilium, posteaque illorum propinqui, coronam plectentes, eam regi pro suis poena ab ipso afflictis obtulerint, nonne ipsis suppliciorum relaxationem gratificaturus sit? Ad eundem modum et nos pro defunctis, etiamsi peccatores sint, preces Deo offerentes, non coronam plectimus, sed *Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus*, clementem Deum cum pro illis tum pro nobis propitiare satagentes” (M.G. 33, 1116).

Augustinus, Enchiridion, 110: “Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynae in Ecclesia fiunt. Sed eis haec prosunt, qui cum viverent, ut haec sibi postea possint prodesse, meruerunt. . . . Cum ergo sacrificia sive altaris sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro non valde malis propitiationes sunt; pro valde malis etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum; qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio” (M.L. 40, 283 sq.).

Confess. 9, 11, 27: “Et mox ambobus: ‘Ponite’, inquit [mater mea], ‘hoc corpus ubicumque; nihil vos ejus cura conturbet; tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare meminertis mei ubi fueritis’ ” (M.L. 32, 775).

Ibid. 9, 12, 32: “Neque in eis precibus quas tibi fudimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulcrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi” (ibid., 777).

Semi. 172, 2, 2: “Pompae funeris, agmina exsequiarum, sumptuosa diligentia sepulturae, monumentorum opulenta constructio, vivorum sunt qualiacumque solatia, non adjutoria mortuorum. Orationibus vero sanctae Ecclesiae, et *sacrificio salutari*, et eleemosynis, quae pro eorum spiritibus erogantur, *non est dubitandum mortuos adjuvari*; ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. *Hoc enim a patribus traditum, universa observat Ecclesia*, ut pro eis qui in corporis et sanguinis Christi communionem defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, *ac pro illis quoque id offerri commemoretur*.

“Cum vero eorum commendandorum causa opera misericordiae celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est, ista prodesse defunctis; sed *talibus qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis haec utilia esse post mortem*. Nam qui sine fide quae per dilectionem operatur (Gal. v, 6), ejusque Sacramentis, de corporibus exierunt, frustra illis a suis hujusmodi pietatis impenduntur officia, cujus, dum hic essent, pigrore caruerunt, vel non suscipientes, vel in vacuum suscipientes Dei gratiam, et sibi non misericordiam thesaurizantes, sed iram. Non ergo mortuis nova merita comparantur, cum pro eis boni aliquid operantur sui, sed eorum praecedentibus consequentia ista redduntur. Non enim actum est. nisi cum hic viverent, ut eos haec aliquid adjuvarent, cum

hic vivere destitissent. Et ideo istam finiens quisque vitam, nisi quod meruit in ipsa, non poterit habere post ipsam” (M.L. 38, 936 sq.).

Gregorius M., ut dictum est supra (p. 890), in suis Dialogis et Epistolis, peculiariter insistit in hac doctrina de efficacitate sacrificii pro defunctis.

ART. 50. Utrum Propria Et Intrinseca Efficacitas Sacrificii Missae Proveniat Unice Ex Parte Christi, Seu Ex Valore Victimae Oblatae, Ex Dignitate Principalis Offerentis Et Ex Dispositione Interioris Affectus Quo Ipse Movetur.

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de fine missae in ordine executionis, et primo secundum ejus *efficacitatem*, consideratam quidem quoad ejus *causam* moralem.

Quaestio est de causa propriae et intrinsecae efficacitatis missae, considerata nempe missa *jormalitcr ut sacrificio*, nam si consideretur prout aliunde est opus quoddam impetratorium (oratio), meritorium et satisfactorium tum ex parte Ecclesiae, tum ex parte celebrantis et assistentium. manifestum est eius efficacitatem pendere et mensurari ex istorum dignitate et dispositionibus.

PARS NEGATIVA ct PARS AFFIRMATIVA

Generatim theologi dicunt efficacitatem missae pendere, praeterquam ex valore victimae, ex dignitate triplicis offerentis, i.e. Christi, Ecclesiae et sacerdotis cum assistentibus. Attamen ex modo quo id explicant apparet eos generatim docere quod efficacitas missae, formaliter in ratione sacrificii, dependet ex dignitate solius offerentis principalis, i.e. Christi. Nam efficaciam ex parte Christi vocant ex opere operato, essentialem et primariam, efficaciam vero ex parte Ecclesiae et sacerdotis atque assistentium vocant ex opere operantis, accidentalem et secundariam, eamque assimilant efficacitati cuiuslibet operis impetrativi. meritorii et satisfactorii.

Nonnisi *quidam theologi*, inter illos praecipue qui dicunt non Christum sed Ecclesiam esse proprie dictum et actuale offerentem hujus sacrificii, repetunt ejus *intrinsecam efficacitatem ex dignitate Ecclesiae ofierentis*. Ita *Scotus, Biol, Fagundez, De la Taille et D'Alès*.

Scotus, post verba citata in art. 48 (p. 1036), habet: “Sic ergo patet, quod Eucharistia oblata acceptatur non ratione voluntatis

Christi ut immediate offerentis; ratione ergo voluntatis Ecclesiae generalis: illa autem habet rationem meriti finitam”.

Biel: “Quamvis . . . sacerdos malus sit, neque in se habeat ut sacrificium possit Deo placere, ab eoque in ordine ad spiritualia bona conferenda acceptari; quia tamen nuncius et procurator est Ecclesiae Deo dilectae in hac oblatione, quae ex officio sibi incumbit, respicit Deus ad Ecclesiam principaliter offerentem et petentem, non obstante malitia nuncii offerentis. Et si per impossibile in Ecclesia tota militante nullus esset Deo acceptus, obsecratio hujus sacrificii nihil a Deo impetraret in ratione oblationis: quia sic nullus esset in Ecclesia offerens et petens sibi gratus, unde oblatio illa posset esse sibi grata, placita et accepta, in quantum oblatio sacrificii efficaciam habet ex merito Ecclesiae offerentis” (Sacri canonis missae tum mystica tum literalis expositio, lect. 27).

Fagundez: “Fructus missae ex opere operato respondens toti Ecclesiae offerenti, accrescit vel decrescit accidentaliter juxta majorem vel minorem numerum justorum offerentium in Ecclesia militante pro varietate temporis existentium, et juxta majorem vel minorem sanctitatem illorum; crescit enim valor ille accidentaliter ex meliori dispositione totius Ecclesiae offerentis” (Tractatus in quinque Ecclesiae praecepta, praecept. 1,1. 3, c. 6, n. 20, Lugduni, 1632, p. 149).

De la Taille: “Manet semper respectu omnis sacrificii intra Ecclesiam oblatis, deficiente quavis alia particulari, communis tamen devotio Ecclesiae, qua commendatur semper sacrificii oblatio, et acceptabilitas in tuto collocatur. Immo, sicut universalior, ita principalior est influxus ille totius Ecclesiae, cujus ceteri quicumque offerunt (ut ministri vel administrati) organa vel membra censentur. Et inde est, quod perditissimi etiam sacerdotis sacrificium acceptabile est apud Deum. . .

“Oblata ex parte Ecclesiae, missa omnis actu est propitiatoria ex opere operato secundum proportionem quamdam ad praesentis Ecclesiae catholicae habitualement devotioem. Habitualement autem Ecclesiae devotio non est augmenti aut decrementi impatiens. Nunquam sane evanescet, cum Ecclesia, Spiritum quem accepit, sanctitatis nunquam sit amissura: sed tamen potest aliis temporibus esse minor, aliis major. Quo autem erit major, eo erit Ecclesiae oblatio acceptabilior; et fructus ex opere operato sacrificii crescet pro crescente Ecclesiae sanctitate” (Mysterium Fidei, elue. 26, Parisiis, 1931, p. 330 sq.).

D’Alès: “Omne Sacrificium eucharisticum offertur nomine Ecclesiae catholicae, cui administratio illius Sacrificii mandata est. Ergo omnis Sacrificii eucharistici fructus, et quidem primarius, respondet devotioem Ecclesiae catholicae” (De S. Euch., Parisiis, 1929, p. 135).

CONCLUSIO *affirmativa*

Probatur.

Propria et intrinseca efficacitas omnis oblationis ex tribus dependet, scilicet:

Primo, ex valore rei oblatae. Nam, supposito eodem offerente eodemque ipsius affectu, acceptabilior et efficacior est oblatio pretiosioris rei, puta aureae quam argenteae.

Secundo ac magis, ex dignitate offerentis. Nam eo acceptabilior est oblatio eiusdem rei quo a digniori offerente procedit; imo acceptabilius est donum acceptum a digniori persona quam res pretiosior oblata ab inferiori, saltem ubi non parva intercedit inter offerentes distantia dignitatis, uti inter regem et communem ministrum.

Tertio et praecipue, ex dispositione interioris affectus quo donum offertur. Exterior enim oblatio fit quasi in signum interioris donationis animi. Unde, sive consideretur idem offerens et eadem res oblata, sive comparentur diversi offerentes et res oblatae, eo acceptabilior est oblatio quo ex intensiori affectu procedit (cf. Gen. 4, 4; Mare. 12, 42-44; Luc. 21, 1-4; S. *Thomam*, In Psal. 19; 3 p., q. 79, a. 5).

Jamvero in missa, prout est sacrificium, solus Christus est proprie et directe tum res oblata seu victima (cf. art. 47, p. 1031), tum offerens seu principalis minister (cf. art. 48, p. 1040), eiusque interior affectus (seu internum sacrificium quo supremum Patris dominium in suam humanitatem agnoscit et adorat) est id quod vivificat et dignificat externum hoc sacrificium.

Confirmatur ex eo quod *Cone. Trid.* in cap. 2 (cit. in p. 846) non in alia ratione fundet vim propitiatoriam missae quam in eo quod in hoc sacrificio Christus immolatur, et *Leo XIII* (cit. in p. 918) signanter dicat: "Hujus sacrificii efficientia, sive ad impetrandum sive ad expiandum, ex morte Christi tota fuit".

Nec valet opponere etiam Ecclesiam esse tum rem oblatam (ut corpus mysticum) tum offerentem huius sacrificii.

Nam Ecclesia in ratione rei oblatae se habet tantum indirecte et concomitanter (cf. art. 47, p. 1031), in ratione vero offerentis se habet quidem directe, sed instrumentaliter et ministerialiter. X'alor autem moralis rei oblatae tota pendet a dignitate principalis offerentis, cum conditio instrumenti directe et per se non influat in actionem principalis agentis, a quo provenit quidquid virtutis tam physicae quam moralis in instrumento reperitur; sic donum regis, sive fiat directe a rege, sive mediante legato, est eiusdem valoris et acceptabilitatis.

Inde tamen nequaquam negatur quod essentiali et proprie dictae effi-

cacitati missae in ratione sacrificii *accedat concomitanter efficacia*, eaque validissima, secundum rationem operis impetratorii (orationis), meritorii et satisfactorii, ex parte Ecclesiae, sacerdotis et fidelium praecipue assistentium sacrificio.

Offert enim Ecclesia, una cum corpore Christi ac concomitanti oblatione, dirigitque ad eosdem fines ad quos hostia sancta dirigitur, seipsam totam, seu omnes orationes, merita et satisfactiones fidelium, ut sic occasione sacrificii maxime exerceatur communio sanctorum, seu communicatio spiritualium bonorum inter membra corporis mystici.

Sacerdos etiam et fideles (praecipue assistentes) personale opus impetratorium, meritorium et satisfactorium agunt in missae celebratione vel auditione, ex quo extrinseca efficacia missae non parum augetur.

Illud tamen intercedit discrimen inter Ecclesiam et sacerdotem offerentes, quod Ecclesia, non vero sacerdos, necessario addit sacrificio Christi opus suum operantis impetratorium, meritorium et satisfactorium, cum ipsa sit indefectibiliter sancta sponsa Christi.

Ad rem faciunt haec verba S. *Thomae*, q. 82, a. 6:

“In missa duo est considerare, scilicet *ipsum sacramentum [i.e. sacrificium]*, quod est principale, et *orationes* quae in missa fiunt pro vivis et mortuis. Quantum ergo ad sacramentum, non minus valet missa sacerdotis mali quam boni, quia utrobique idem conficitur sacramentum.

“*Oratio* etiam quae fit in missa potest considerari dupliciter: uno modo in quantum habet efficaciam *ex devotione sacerdotis orantis*, et sic non est dubium quod missa melioris sacerdotis magis est fructuosa, alio modo in quantum oratio in missa profertur a sacerdote *in persona totius Ecclesiae*, cujus sacerdos est minister; quod quidem ministerium etiam in peccatoribus manet, sicut supra dictum est (art. praec.) de ministerio Christi.

“Unde etiam quantum ad hoc est fructuosa non solum oratio sacerdotis peccatoris in missa, sed etiam omnes ejus orationes quas facit in ecclesiasticis officiis, in quibus gerit personam Ecclesiae; licet orationes ejus privatae non sint fructuosae, secundum illud Prov. xxviii, vers. 9: ‘Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis’.”

ART. 51. Utrum Sacrificium Missae Habeat Efficaciam Ex Opere Operato Et Infallibiliter.

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de efficacia missae *quoad eius modum*.

Haec efficacia consideratur tantum ex parte victimae et principalis offerentis, seu Christi, non vero *ex parte Ecclesiae*, sacerdotis et fidelium, tum quia, ut dictum est in art. praec., efficacia ex parte Ecclesiae est concomitans et extrinseca sacrificio qua tali, tum quia ipsa est manifeste *ex opere operantis* (ipsius Ecclesiae, vel sacerdotis, vel privati fidelis); nec inde juvat cum quibusdam auctoribus (ut *Franzelin, Diekamp, Michel*) efficacitatem ex parte solius Ecclesiae relate ad efficacitatem ex parte sacerdotis et fidelium vocare quasi ex opere operato vel eam assimilare efficacitati sacramentalium.

Quaestio de efficacia sacrificii proprius ac strictius ponitur quoad effectus qui respiciunt hominem, i.e. fructum *impetratorium et propitiatorium*, nam effectus latreuticus sequitur necessario et immediate ex ipsa natura sacrificii, cum sit ejus primarius finis, et effectus eucharisticus fere immediate consequitur.

Propria efficacia missae *in ratione sacrificii* differt ab efficacia *sacramenti* ex eo quod haec est immediata et per modum efficientiae, cum sacramentum sit directe institutum ad causandum spiritualem effectum, illa vero est *mediata et per modum impetrationis*, cum sacrificium directe ordinetur non ad causandum spiritualem effectum, sed ad significandam interiorem agnitionem divini domini indeque ad honorem Deo praebendum.⁴⁴

Exinde sequitur quod efficacia sacrificii in genere est primario et directe efficacia *ex opere operantis*, quatenus oblatio tantum valet movere Deum ad elargiendos spirituales effectus quanta est acceptabilitas ipsius offerentis eiusque dispositionum. Attamen consequenter et indirecte sacrificium unius potest habere efficaciam *ex opere operato* relate ad alios homines si tantae sit acceptabilitatis coram Deo, ut unice intuitu illius acceptabilitatis et abstrahendo ab acceptabilitate aliorum hominum Deus moveatur ad effectus spirituales (vel cum spiritualibus connexos) istis elargiendos.

Sensus ergo quaestionis, in textu articuli propositae, est utrum sacrificium missae, ratione valoris victimae oblatae et dignitatis Christi offerentis, tantae sit acceptabilitatis coram Deo, ut, intuitu illius et abstrahendo a dignitate et dispositionibus Ecclesiae, sacerdotis ac fidelium offerentium, efficaciam habeat ipso facto, seu ex opere operato et infallibiliter.

PARS NEGATIVA ct PARS AFFIRMATIVA

In hac duplici quaestione de efficacia, tum ex opere operato tum in-

⁴⁴Cf. supra, p. 827; *De la Taille*, *Mysterium Fidei*, Parisiis, 1931, p. 320 sq.

fallibili, aliquis observatur dissensus inter theologos, partim de vocibus, partim de re.

Primo enim, *aliqui* (et quidem communius) distinguunt efficacitatem ex opere operato ab efficacia infallibili et, admissa priori, negant alteram, saltem partialiter, *alii* vero utramque efficacitatem tanquam unam considerant (ita *Suarez, Franzelin, Hugori*), adeoque utramque admittunt vel reiciunt, saltem partialiter.

Secundo, quoad efficacitatem *ex opere operato*, *aliqui* (et quidem communius) eam admittunt; *alii* vero eam negant saltem quoad aliquem effectum, maxime quoad impetratorium (ita *Suarez* eam admittit quoad effectum satisfactorium, negat vero quoad ceteros effectus); *alii* tandem dicunt hanc esse quaestionem de verbis.

Ceterum omnes admittunt hanc efficaciam ex opere operato nullo modo esse physicam sed tantum ordinis moralis. Ad rem *Salmanticensis*: “Pro sententia deferente huic sacrificio causalitatem physicam unum tantum vidimus Nugnum in praes, dub. 2, *de effectibus hujus sacrificii*. Cujus opinio potest probari primo: quia. . . Sed praedictae sententiae, licet probabilitatem aliquam habeat, non subscribimus: quia nullum solidum fundamentum nobis occurrit, ut asseramus rem ex sola Dei voluntate pendentem, quae circa hujusmodi causalitatem physicam minime revelatur. Contraria etiam sententia est communis non solum apud eos, qui talem causalitatem sacramentis negant, sed etiam apud patronos illius”.⁴³

Tertio, quoad *efficacitatem infallibilem*, *quidam* videntur eam admittere quoad omnes effectus qui causantur ex opere operato; *alii* eam admittunt quoad aliquem effectum (satisfactorium, praecipue pro defunctis), negant vero quoad alios effectus (propitiatorium pro peccatis et impetratorium); *alii* vario modo distinguere conantur. In qua re saepe est mera quaestio de modo dicendi vel considerandi.

Specimen harum differentiarum invenies praecipue apud auctores modernos, uti *Franzelin, Billot, Hugon, Michel, Hervé*.

CONCLUSIO

Sacrificium missae habet efficaciam ex opere operato et infallibiliter.

Probatum prima pars: **MISSA HABET EFFICACIAM EX OPERE OPERATO.**

1. Id continetur aequivalenter in cap. 2 *Cone. Tridentini* (cit. in p. 846), totam vim hujus sacrificii refundentis in rem oblatam et in

⁴³ De Euch., disp. 13, dub. 5, § 5, n. 92, Parisiis, 1882, p. 828 sq.

principalem offerentem, nulla quidem facta mentione influxus cuiuslibet ex parte dispositionis Ecclesiae vel sacerdotis. Imo in cap. 1 Concilium hunc influxum indirecte excludit, inquiens: “Haec quidem illa ‘munda oblatio’ est, quae *nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest*, quam Dominus per *Malachiam* . . . ‘in omni loco mundam offerendam’ praedixit”.

2. Id patet ex ipso *Malachia*, 1, 11, a Tridentino citato et explicato.

3. Id sequitur ex statutis in art. praec. Si enim efficacia missae relate ad nos provenit ex sola dignitate victimae et principalis offerentis, seu ex aliqua causa nobis extrinseca, nihil obstat quominus haec efficacia dicatur esse ex opere operato. Ipsa enim res oblata, seu corpus Christi, habet secundum se valorem acceptabilitatis coram Deo, ipsa etiam dignitas personae Christi, eiusque dispositiones, quamvis reducantur ad opus operantis ex parte ipsius Christi, tamen relate ad nos qui effectus percipimus sunt aliquid extrinsecum et objectivum, adeoque influens ex opere operato.

4. Id firmatur auctoritate S. *Thomae* scribentis in Suppi., q. 71. a. 6, ad 4:

“Suffragia ex duobus valent, scilicet ex opere *operante*, et ex opere *operato*: et dico *opus operatum* non solum Ecclesiae sacramentum, sed effectum accidentem ex operatione; sicut ex collatione eleemosynarum consequitur pauperum relevatio, et eorum oratio pro defuncto ad Deum. Similiter opus operans potest accipi vel ex parte principalis agentis, vel ex parte exequentis. Dico ergo quod quam cito moriens disponit aliqua suffragia sibi fieri, praemium suffragiorum plene consequitur, ante etiam quam fiant, quantum ad efficaciam suffragii, quae erat ex opere operante principalis agentis; sed quantum ad efficaciam suffragiorum, quae est ex opere operato, vel ex opere operante exequentis, non consequitur fructum, antequam suffragia fiant”.

Probatur secunda pars: ***MISSA HABET EFFICACIAM INFALLIBILITER.***

1. *Cone. Trid.*, cap. 2 et can. 3, absque ulla distinctione vel conditional! appositione pronuntiat sacrificium missae esse propitiatorium et impetratorium.

2. *Causa infallibilis* appellat effectum infallibiliter. Valor autem victimae et dignitas principalis offerentis, quae est causa efficacitatis missae, sunt quid infallibile, seu indefectibilem acceptabilitatem habent coram Deo.

3. De ratione efficacitatis *ex opere operato* est ut importet, quantum

est de se et nisi sit extrinsecum impedimentum, infallibilem nexum inter causam et effectum, ut patet et generali doctrina de efficacia sacramentorum ex opere operato. Unde inconsequenter agunt quidam theologi qui, admissa efficacia missae ex opere operato, negant nihilominus ejus infallibilitatem.

Ad rem apte *Suarez*: “[Effectus] dicetur conferri *ex opere operato*, si ex vi sacrificii, ultra meritum et satisfactionem operantis, *infallibiliter* conferatur non ponentibus obicem” (Disp. 79, sect. 1, n. 3).

Hugon: “Conveniunt [theologi] Missae efficaciam . . . esse *ex opere operato*. . . Efficacia quae provenit a Missa, quatenus est sacrificium, est penitus *infallibilis*.”

“Sic Missa semper et infallibiliter remittit aliquam poenam in hoc mundo justis qui non ponunt obicem, et semper etiam aliquam poenam in purgatorio, licet non semper respectu animae pro qua offertur. . . Isti quippe effectus sunt immediati semperque vi sacrificii intrinseca producuntur.

“In effectibus autem qui liberam nostram cooperationem requirunt, ut conversio, perseverantia finalis, etc., aliquid semper obtinetur, licet ultimum intentum possit deficere. Sic Missa impetrat infallibiliter auxilia supernaturalia, illuminationes et inspirationes, seu gratias actuales quibus homo potest ad justificationem pervenire et in adepta sanctitate perseverare; et, si ultimus effectus desit, id provenit ex defectibilitate liberi arbitrii, cujus cooperatio non fuit adhibita, at non ex defectu virtutis in sacrificio, quod est semper Deo gratum semperque propitiatorium et impetratorium ac fons gratiarum inexhaustus.”⁴⁰

Franzelin: “Quaeritur, utrum impetratio haec dici debeat *ex opere operato*, circa quod videtur diversitas sententiarum esse potius in modo loquendi, quam in re ipsa. Sacrificium, quatenus a Christo sacerdote principe per sacerdotes ministros offertur, habet vim impetrandi ex sese et ultra meritum hominum, qui offerunt et pro quibus offertur. Sequitur tamen communem rationem impetrationis, quae, ut sit *infallibilis*, requirit certas condiciones ex parte postulantis, ex parte eius pro quo postulatur, ex parte obiecti quod postulatur, atque inter has maxime ex parte obiecti debitam congruentiam cum divina providentia ac gubernatione. Quoniam in praesenti spectamus sacrificium, quatenus est a Christo interpellante pro nobis, condiciones debitaе solum possunt deesse ex parte eorum pro quibus postulatur, et consequenter etiam ex parte obiecti.

“Quamvis ergo non sit infallibilis impetratio eius obiecti, quod est in voluntate hominum, *est tamen infallibilis impetratio eius boni, quod*

⁴⁰“Tract. Dogm., v. 3, De Euch., q. 9, a. 3, n. 8 sq., Parisiis, 1931, p. 475 et 477.

est in voluntate Christi interpellantis, nisi ponatur obex ab homine; et est impetratio vi dignitatis ipsius sacrificii, non autem ab hominis merito tamquam a causa. Nulla ergo est sufficiens ratio, cur non dicatur impetratio ex opere operato.”¹

ART. 52. Utrum Efficacitas Sacrificii Missae Secundum Se Et In Actu Primo Habeat Valorem Simpliciter Infinitum, Tum Intensive Tum Extensive (q. 79, a. 5, corp, et ad 3; a. 7).

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de efficacitate missae *quoad ejus proprietatem, seu quantitatem vel valorem*. Adhuc autem consideratur efficacitas secundum se ac veluti in actu primo; nam efficacitas secundum applicationem et in actu secundo coincidit cum effectu ejusque quantitate, de quibus erit sermo in proximo articulo.

Queritur de *infinitate* hujus valoris eaque simpliciter dicta.

Ad cujus rei intelligentiam notandum est aliquid posse dici *infinitum dupliciter*, i.e. *physice*, et sic solus Deus est infinitus, vel *moraliter*.

Item moraliter infinitum esse potest dupliciter: primo, secundum quod moralitas dicit *habitudinem ad regulam morum*, et hoc modo iterum sola actio ipsius Dei est moraliter infinita (nam bonitas moralis actionis creatae est finita sicut ipsa physica actio in qua recipitur); secundo, inquantum moralitas dicit *habitudinem ad commune ac prudens indicium et aestimationem*, et sic aliquid creatum potest esse infinitum, quatenus nempe in omni aut saltem in uno respectu vel linea nullum habeat limitem aestimabilitatis.

Item moraliter infinitum secundum prudentem aestimationem duplex esse potest: primo, *secundum quid* seu tantum secundum rationem aliquam extrinsecam, et sic est infinita tum dignitas maternitatis B. Virginis tum excellentia visionis beatificae, eo quod non possint terminari ad nobilius objectum, quamvis aliunde intrinsece possint augmentum suscipere, puta per additionem gratiae vel per gradus visionis; secundo, *simpliciter*.

Tandem simpliciter infinitum duplex esse potest: primo, quatenus vox “simpliciter” accipiatur pro “*omni modo et sub omni respectu*”, et sic solus Deus est simpliciter infinitus; secundo, quatenus vox “simpliciter” accipiatur pro “*absolute*” quamvis sub uno respectu, et sic humanitas Christi, eius operationes et sacrificium crucis sunt simpliciter infinita, quia quamvis sint finita sub uno respectu, seu in sua

¹ De SS. Eucharistia, thes. 32, n. 2, Romae, 1932, p. 418 sq.

entitate et proximo principio, tamen sub alio respectu, quatenus coniunguntur cum supposito Verbi, sunt absolute infinitae aestimabilitatis.⁴⁸

Conspectus dictorum:

Infinitum

physice: Deus et divina

moraliter

secundum habitudinem ad regulam morum: Actiones ipsius Dei

secundum habitudinem ad prudentem aestimationem

infinitum secundum quid, seu secundum rationem extrinsecam:

Dignitas Matemitatis B.V.; excellentia visionis beatificae, gratiae et virtutum theologicarum

infinitum simpliciter

omni modo et sub omni respectu: Deus et divina

absolute, quamvis sub uno respectu: Humanitas Christi, operationes Christi, sacrificium crucis.

Cum valor sacrificii missae nequeat esse infinitum physice, nec moraliter secundum habitudinem ad regulam morum, nec simpliciter seu omni modo, *quaeritur an sit infinitum simpliciter seu absolute, quamvis sub uno respectu, non vero tantum secundum quid.*

Quod autem additur in titulo articuli de infinitate *intensiva et extensiva* peculiarem explanationem non indiget, nisi quod notanda est aliqua diversitas in manualibus (cf. Billot, Franzelin, Hugon, Hervé, Merkelbach) in explicando sensu horum verborum. Verbum igitur "*intensive*" referimus ad gradus effectus, verbum vero, "*extensive*" ad numerum tum effectuum tum subjectorum participantium effectus sacrificii.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Plures inter antiquiores theologos *negant* valorem missae esse simpliciter infinitum ac docent ipsum esse infinitum tantum secundum quid et extrinsece, ratione nempe rei oblatae. Ita *Scotus*, *Biel*, *Soto*, *Bellarminus* (De Missa, l. 2, c. 4), *Salmeron*, *Henriquez*.

His inter modernos accedit *De la Taille* qui videtur docere valorem sacrificii missae esse infinitum ex parte solius victimae, finitum vero ex parte proprie dicti offerentis qui est non Christus sed ipsa Ecclesia.

"Plus confert, inquit, ad repropitiandum Deum sacrificium missae quam fert ex natura sua et conditione noster actus oblativus. . . Non quippe ex opere operantium duntaxat valet ad istum finem oblatio sacrificii, sed omnino *ratione rei oblatae*, qui est Christus, passionis hostia. Ideoque dicitur fructus gigni ex opere operato. Quamvis enim aliqualis, ut infra monstrabitur, requiratur actus operantis, tamen

^o Cf. *Salmanticenses*, De Euch., disp. 13, dub. 6, § 1, n. 104 sq.

non illi demum coaequatur fructus, sed mirifice praestat: valorem inferente proprium re oblata, ex cuius parte nullus assignari potest propitiandi finis aut limes. Tanti nimirum est illa hostia pretii, ut omnia compenset delicta, nec ullis sit Dei beneficiis impar: siquidem oblata a Christo semel, Deo est rata atque accepta in aeternum pro dignitate ejus, qui datus est, et a quo datus: Christi dico Redemptoris. Quare omnino dicendus est infinitus valor nostri sacrificii ratione rei oblatae. *Quod si igitur finiludo accedat, non accedet ex parte rei oblatae, sed aliunde. . .*

'Omnino assentiendum videtur S. Thomae, docenti (teste ipso Suarezio . . .) valorem actualem sacrificii non quidem coaequari, sed tamen proportionari ad fervorem offerentium [cf. 3 p., q. 79, a. 5; In 4 Sent., dist. 12, q. 2, a. 2, q. 3]. . .

"Patet ergo, missam ex re contenta et oblata valere longe quidem supra nostrae actionis oblativae bonitatem et dignitatem propriam, attamen secundum quamdam proportionem ad ipsam, sicut sacramenta ex opere operato sanctificant cum proportione ad dispositiones. Adest quasi fons inexhaustus hostia passionis, scaturiens propitiatione quam quisque sibi pro suo captu admoveat exhibendam Deo tanquam suam.

"Jam ergo venit quaerendum, quorumnam offerentium devotio finire censendus sit temperarive missae valor: aliis verbis, quinam, quove gradu, veniant, quantum ad istum effectum, sub nomine offerentium. Aliter enim alii computantur inter offerentes. Offert siquidem universa Ecclesia, ut saepe dictum est, et mox constabit. Offert sacerdos. . . Offerunt fideles. . . Porro horum omnium devotio et fervor concurrat ad valorem definiendum, sed non eodem modo."*9

Sententiam *affirmativam* tenent communius theologi tam antiquiores quam moderni, inter quos *Cajetanus* (In 3 p., q. 79, a. 5), *JZ. Cano*, *Suarez* (Disp. 79, sect. 11), *Vasques* (Disp. 230), *Baiez*, *Petrus de Ledesma*, *Joannes a S. Thoma* (Disp. 32, a. 3), *Gonct*, *Salmanticenses* (Disp. 13, dub. 6), *Billuart*, *Billot*, *Hugon*, *Diekamp*, *Hervé*.

Plures tamen theologi, praecipue moderni, hanc quaestionem supradictis explicitis terminis non ponunt, sed eam aequivalenter in sensu affirmativo resolvunt, quatenus docent valorem missae esse infinitum ratione tum rei oblatae tum principalis offerentis.

Eadem sententia aequivalenter continetur in his verbis S. *Thomae*, q. 79, a. 5 corp, et ad 3: "Quamvis . . . haec oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni poena, tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suae

*Mysterium Fidei, elue. 25, Parisiis, 1931, p. 322-324.

devotionis”. “Hoc quod tollitur pars poenae, et non tota poena per hoc sacramentum, non contingit ex defectu virtutis Christi, sed ex defectu devotionis humanae.”

CONCLUSIO *affirmativa*

Probatur 1. *EX IDENTITATE SACRIFICI CRUCIS ET SACRIFICII MISSAE.*

Juxta doctrinam Traditionis, sacrificium missae est quoad substantiam unum et idem cum sacrificio crucis. Atqui sacrificium crucis habet valorem simpliciter infinitum, quod nullus theologus negabit. Ergo etiam sacrificium missae habet valorem simpliciter infinitum.

Dices. Hoc argumentum nimis probat. Ex conclusa enim paritate utriusque sacrificii sub ratione infiniti valoris sequeretur *primo*, quod sacrificium missae non deberet iterari, nam ratio quare sacrificium crucis non iteratur est quia habet infinitum valorem; *secundo*, quod sacrificium crucis non sit majoris valoris quam sacrificium missae, quia unum infinitum nequit esse majus alio infinito.

Respondetur.

1. *Negatur prima sequela.* Nam efficacia sacrificii missae convenit quidem cum efficacia sacrificii crucis quantum ad valorem infinitum, sed differt quantum ad finem et ad modum quo comparatur ad effectum salutis; ex qua differentia sequitur quod sacrificium missae iterari possit, non vero sacrificium crucis.

“Etenim sacrificium crucis habuit modum pretii universalis, ex quo licet semper hauriatur, quatenus ejus intuitu remittantur plures et plures poenae, atque conferantur majora, et majora dona; semper tamen manet idem universale pretium inexhaustum: et propterea nec opus fuit, nec oportuit, quod praedictum sacrificium repeteretur. Sacrificium autem Missae licet sit infiniti valoris, ut explicuimus, nihilominus non comparatur per modum pretii universalis, sed per modum causae magis particularis nempe applicantis valorem pretii sacrificii crucis ad causandum ejus effectum in his, pro quibus offertur. Porro de facto, et in actu secundo nunquam applicat totum illum valorem adaequate, nec causât totum fructum, quem de se inducere valet: sed praecise inducit effectum limitatum propter non majorem dispositionem subjecti, et illum semel inducit, nempe cum applicatur. Unde conveniens est praedictum sacrificium repeti, ut multoties frequenta-

tum, multoties causet fructum, et sic augeatur ejusdem sacrificii effectus.”⁵⁰

2. *Conceditur secunda sequela et negatur supposition.* Missa enim dicenda est omnino ejusdem valoris ac sacrificium crucis, cum sit idem quoad victimam, offerentem et oblationem, nec differentia quoad secundarium offerentem et modum oblationis est plus quam accidentalis (ita *Salmanticenses*'), imo est materialis et extrinseca ipsi rationi sacrificii, juxta sententiam de essentia hujus sacrificii, statutam in art. 47, Conci. 2, p. 1016 sqq.

Ceterum falsa est ratio addita “Unum infinitum nequit esse majus alio infinito”; unde etiam si concederetur sacrificium missae esse inferius sacrificio crucis, non inde sequeretur missam non habere infinitum valorem.

Ad rem *Salmanticenses*: “Licet ex duobus infinitis simpliciter nequeat unum esse majus alio quantitative, sive quantum ad carentiam terminorum; nihilominus potest unum excedere aliud qualitative, sive ratione materiae, in qua utriusque infinitas invenitur. Sicut si daretur infinitum aurum, et infinitum ferrum: non esset majus unum, quam aliud in quantitate, sive in habendo terminum; et nihilominus infinitum aurum esset majus, hoc est, melius, aut dignius, quam infinitum ferrum. Quo etiam modo valor satisfactionis Christi est major, quam gravitas offensae peccati mortalis; licet convenient in habendo infinitatem simpliciter. . . Unde quamvis in praedicto sensu concederetur valor sacrificii Missae, non inde colligeretur hunc non esse absolute infinitum sed argueretur tale infinitum esse inferioris qualitatis.”⁵¹

Probatur 2. *EX RATIONE OBLATIONIS CHRISTI* (qua etiam ostenditur fundamentum praecedentis argumenti).

In missa non solum offertur corpus Christi sed offertur ab ipso Christo, ita ut *victima* sit Christus, *offerens principalis* sit Christus. *actus oblationis* tam externus quam internus sit actio Christi. Jamvero corpus Christi est infiniti valoris, persona Christi offerentis est infinitae dignitatis, actio oblationis utpote procedens a supposito Verbi, tanquam a principio remoto, est infinitae aestimabilitatis.

Ergo valor missae est undequaque *infinitus*, et quidem non tantum secundum quid seu ex parte rei oblatae, sed etiam *simpliciter*, seu ex intrinseca ratione actionis procedentis a supposito divino, quamvis non sit infinitus simpliciter et sub omni respectu, eo quod talis actio non procedat ab ipsa essentia divina.

⁵⁰ *M Salmanticenses*, De Euch., disp. 13, dub. 6, §3, n. 117, Parisiis, 1882, p. 848 sq. ⁵¹ L. c., p. 849.

Dices 1. B. Virgo obtulit puerum Jesum in templo, nec tamen ejus oblatio fuit infiniti valoris nisi secundum quid seu ex parte rei oblatae.

Rcsp. Dignitas Christi offerentis ejusque actio oblativa sunt dignitatis simpliciter infinitae in esse moris, quod nequit dici de dignitate personae et actionis B. Virginis.

Dices 2. In sacrificio eucharistico proprie dictus et actualis offerens (ita *De la Taille*) vel saltem immediatus offerens (ita *alii*) est sacerdos humanus; ergo missa nequit habere infinitum valorem.

Rcsp. Christus est etiam, imo principaliter, actualis offerens missae, ut ostensum est in art. 48 contra *De la Taille*; ex hoc autem quod sacerdos humanus sit immediatus offerens sequeretur tantum quod valor missae non sit simpliciter infinitus ex omni capite, non vero quod non sit infinitus simpliciter et absolute ex uno ac principali capite, scilicet ex parte Christi offerentis. Ceterum, ut dictum est in art. 50, efficacia proveniens huic sacrificio ex sacerdote humano est tantum extrinseca et concomitans, cum sacerdos sit merus minister et instrumentum.

Instes. Christus concurrat tantum remote et extrinsece ad oblationem, quae fit immediate a sacerdote humano. Unde ex Christo offerente missa nequit habere ad summum nisi valorem infinitum secundum quid, proveniente nempe ab aliquo extrinseco connotato.

Rcsp. Juxta *Cone. Trid.* (cap. 2: "Idem nunc offerens sacerdotum ministerio") Christus est principalis offerens oblationis eucharisticae; ergo non se habet tantum ut aliquid extrinsece connotatum relate ad hanc oblationem, sed est essentialis ejus causa, quomodolibet tandem id explicetur, etiam nempe in sententia *De la Taille* et aliorum (impugnata in art. 48) qui dicunt Christum esse offerentem eo sensu quod hoc sacrificium instituerit et sacerdotibus offerendi potestatem contulerit.

Ceterum Christus est etiam actualis et formalis offerens hujus sacrificii (ut probatum est ibidem); ex quo directius patet ipsum nequaquam se habere extrinsece et connotative in hac oblatione et hanc ab ipso accipere valorem simpliciter infinitum.

Probatur 3. *EX RATIONE A POSTERIORI, SEU EX IPSA INFINITATE EFFECTUS MISSAE.*

Efficacia sacrificii missae in actu secundo seu ex parte effectus est simpliciter infinita; nam, quamvis de facto non producat infinitos effectus quia effectus creati nec extensive nec intensive infiniti esse possunt, tamen potest plures et majores sine limite producere effectus,

ita ut nunquam sit assignabilis numeri vel intensitatis limes ultra quem efficacia missae extendi non possit.

Ergo etiam ejus efficacia in actu primo, seu valor, est simpliciter infinitus, cum nequeat efficacia in actu secundo major esse efficacia in actu primo, sicut nequit effectus major esse sua causa.

Confirmatur haec ratio ex paritate cum infinitate divinae potentiae.

“Licet [enim] impossibile sit dari aliquid creatum, quod sit actu simpliciter infinitum; cum haec infinitas creaturae repugnet ex parte facti: nihilominus quia virtus Dei absque ulla sui additione, vel mutatione potest producere plures, et plures creaturas perfectiores sine termino; optime concluditur talem Dei virtutem esse omnipotentem, sive simpliciter infinitam. Ergo cum tantus sit valor sacrificii Missae, ut absque sui additione possit plures, et plures effectus tam intensive, quam extensive inducere ut supra ostendimus: legitime infertur talem valorem esse absolute infinitum moraliter in ordine ad prudentem aestimationem.”⁵²

Dices 1. Si hoc argumentum valeret, posset similiter applicari sacramentis ac inferre etiam sacramenta habere valorem morale simpliciter infinitum, eo quod possint plures ac majores absque limite producere effectus.

Respondent quidam, ut *Nugnus*, concedendo rationem et negando suppositum, quod nempe sacramenta non habeant infinitum valorem. Imo *Billot* ex infinita virtute sacramenti arguit tanquam a pari infinitam efficaciam missae, inquit: “Et confirmatur quia sacramenta omnia ut applicatoria redemptionis Christi, sunt singula in genere suo et in ordine ad finem propter quem fuerunt instituta, illimitatae virtutis secundum se. Ergo et idem sentiendum de missa quia perperam sane diceretur sacrificium N.L., inferioris esse ordinis et deterioris conditionis.”⁵³

Attamen dicendum est cum *Salmanticensibus* quod “ea doctrina est falsa: quia nullum intrinsecum praedicatum reperitur in sacramentis, quod sit actu infinitum moraliter, vel similem valorem, aut infinitatem fundet in ordine ad prudentem aestimationem. E contra vero se habet sacrificium Missae, quod intrinsece, et essentialiter includit oblationem, quae prout a Christo est infiniti valoris, fundatque, et meretur acceptabilitatem simpliciter infinitam”.⁵⁴

Unde respondetur negando paritatem inter sacramentum et sacrificium. Nam sacramentum est causa tantummodo instrumentalis (an

⁵² *Salnianticenses*, De Euch., disp. 13, dub. 6, § 2, n. 113, Parisiis, 1882, p. 846.

⁵³ De Eccl. Sacram., t. 1, thes. 56, Romae, 1914, p. 649.

⁵⁴ M Loco citato.

physica vel moralis non refert), causa autem instrumentalis agit supra virtutem et dignitatem suam; unde ex hoc quod sacramentum possit infinitos effectus producere non recte arguitur infinita virtus in ipso sacramento sed in causa principali quae est ipse Deus. Sacrificium vero est causa principalis moralis suorum effectuum, unde ex eo quod possit infinitos producere effectus recte arguitur infinita virtus seu valor in ipso sacrificio.

Dices 2. Quod assumitur in antecedente argumenti, scilicet efficaciam missae esse infinitam in actu secundo, non est omnino verum; nam missa applicata pro pluribus non tantum prodest singulis quantum si pro uno applicaretur. Ex quo etiam potest confici argumentum contra ipsam conclusionem, i.e. contra infinitum valorem missae; nam si valor missae esset infinitus in actu primo, esset talis etiam in actu secundo, et consequenter missa applicata pro pluribus aequè prodesset singulis ac si applicaretur pro uno.

Resp. In art. seq. discutietur quaestio: an missa pro pluribus applicata minus singulis prosit quam si applicetur pro uno. Ceterum etiam theologi qui affirmative respondent, nullatenus negant efficaciam missae esse infinitam in actu secundo, sed varias conantur assignare rationes praedictae limitationis fructus missae applicatae pro pluribus. Ex quo patet inepte inde confici argumentum contra infinitam efficaciam missae in actu secundo.

ART. 53. Utrum Efficacitas Sacrificii Missae, In Actu Secundo Et Secundum Eius Applicationem, Sit Tum Intensive Tum Extensive Finita, Idque Ex Sola Ratione Dispositionis Subiecti (q. 79, a. 5; a. 7, ad 2).

STATUS QUAESTIONIS

Post quaestionem de efficacitate logice sequitur quaestio *de operibus*, qui sunt ipsa efficacitas in actu secundo et secundum eius applicationem, quique in hoc articulo attenduntur in communi quoad eorum *limitatam rationem*, in sequenti vero articulo singillatim considerabuntur.

Ut observatum est in art. 51 (Stat. Quaest.), quaestio de efficacitate et effectu proprius ponitur de effectu impetratorio et propitiatorio, qui specialiter vocari solet *fructus* sacrificii. Ceterum nemo dubitat efficacitatem laeuiticam et eucharisticam missae esse etiam in actu secundo infinitam, seu per hoc sacrificium Deum obtinere infinitam laudem et gratiarum actionem, propter infinitam dignitatem victimae oblatae et principalis offerentis.

TRIPLEX ERUCTUS (impetratorius et propitiatorius) distingui solet a theologis (praecipue modernis), attento subiecto cui fructus applicatur et pro quo sacrificium offertur, fructus nempe generalis, specialis et specialissimus.

Fructus GENERALIS est effectus qui ex sacrificio provenit toti Ecclesiae et singulis fidelibus (etiam in Purgatorio degentibus) prout sunt membra Ecclesiae offerentis.

Existencia huiusmodi fructus colligitur tum ex eo quod Christus in hoc sacrificio se offert ut caput totius Ecclesiae, sui corporis mystici, adeoque in eius beneficium, tum ex eo quod Ecclesia concurrit ad hanc oblationem ut instrumentalis offerens atque naturae rerum congruum est ut offerens sit primus beneficiarius sui sacrificii. Ex quo colligitur applicationem huius fructus non requirere specialem actum intentionis ex parte ministri, sed fieri per obiectivam *intentionem* inclusam ex natura rei in ipsa celebratione sacrificii (cf. Hebr. 5, 3; 7, 27).

Fructus SPECIALISSIMUS (vel personalis) est effectus qui provenit particularibus personis qui actualiter concurrunt ad oblationem sacrificii, sive ut immediate et proprie dicti offerentes (i.e. celebrans vel concelebrantes), sive ut improprie dicti offerentes (i.e. ministrantes, assistentes, stipem dantes, materiam et vasa procurantes, ut dictum est in art. 48, p. 1046 sq., et, juxta quosdam auctores, cantores chori, oblationum collectores, ostiarii atque assistentium ordinem regulantes [anglice, Ushers]).

Quoad *existentiam* huius fructus et *intentionem* ad eius applicationem requisitam, valent proportionaliter rationes assignatae quoad fructum generalem.

Fructus SPECIALIS (vel *ministerialis*, vel *medius*) est distinctus effectus qui provenit dependenter a *directa intentione celebrantis*, cuius proinde applicatio in favorem determinatorum hominum vel finium unice pendet ab arbitrio sacerdotis, quamvis agentis ut ministri Christi et legati Ecclesiae.

Existencia huiusmodi fructus constat ex ratione impletionis *sacrificiorum A.T.*, quae offerebantur in favorem particularium personarum vel finium, ex *antiquo usu Ecclesiae* (cf. *Patres* citatos in art. 49, Conci., p. 1058-1061), ex *communi sensu fidelium*, ex *documentis Ecclesiae*; nam *Cone. Trid.* (sess. 23 De Reform., cap. 1, cit. in p. 770), *Benedictus XIV* (Constit. "Cum semper oblatas", § 2) et *Codex J.C.* (can. 306. 315. 339. 348. 466. 475. 476) imponunt pastoribus obligationem specialiter applicandi missam pro populo sibi commisso; *Codex J.C.* (can. 809) loquitur de applicatione missae pro quibusve tam vivis

quam defunctis et (can. 2262, § 2, n. 2) de applicatione pro excommunicato eiusque conversione; *Cone. Const.*, damnat sequentem propositionem Wicleffi: “Speciales orationes, applicatae uni personae per praelatos vel religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales, ceteris paribus” (Denz. 599); praecipue *Pius VI* contra Synodum Pistoriensem doctrinaliter decernit:

“Doctrina synodi, qua, dum profitetur ‘credere, sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen, ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis’, dein continuo subicit: ‘non tamen, quod credamus, in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult, immo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem iura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii cui vult, et secundum mensuram, quae ipsi placet’: unde et consequenter traducit velut ‘falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione, quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant’; sic intellecta, ut, praeter peculiarem commemorationem et orationem, specialis ipsa oblatio seu applicatio sacrificii, quae fit a sacerdote, non magis prosit ceteris paribus illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; *quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione*, quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus faciendam commendat ac praecipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus, quod velut ex divino praecepto descendens a sacra *Tridentina Synodo* diserte est expressum (sess. 23, c. 1 de reform.; *Bened. XIV* Constit. “Cum semper oblatas”, § 2): — falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo” (Denz. 1530).

In praesenti articulo *QUATUOR QUAESTIONES* colliguntur:

1. An efficacitas seu effectus impetratorius et propitiatorius hujus sacrificii sit intensive et extensive finitus, seu *absolute limitatus*.
2. An eadem efficacitas sit etiam mensurata, seu *relative limitata*, ita ut de facto non tantus fructus alicui subjecto conferatur quantum ipsum absolute suscipere posset.
3. An ratio hujus mensurationis sit *sola dispositio subjecti*.
4. An haec ratio simpliciter valeat etiam *cum sacrificium pro pluribus applicatur*, ita ut etiam fructus specialis aequè conferatur singulis ac si pro uno missa applicetur.

PARS NEGATIVA ct PARS AFFIRMATIVA

QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM nulla esse potest controversia inter theologos.

QUOAD SECUNDAM QUAESTIONEM nulla datur controversia propter evidentes rationes infra assignandas.

QUOAD TERTIAM VERO QUAESTIONEM disputatur de ratione ex qua provenit praedicta mensuratio fructus sacrificii.

Quidam, ut *De la Taille*,TM qui volunt immediatum et formalem offerentem sacrificii esse non Christum sed Ecclesiam, consequenter docent fructum missae mensurari *ex [initate et gradu devotionis Ecclesiae, sacerdotis et fidelium offerentium.*

Quam sententiam sic exponit cl. theologus:

“Unde dimetiendus sit valor missae a certis fidelibus oblatae, tandem luculenter constat: siquidem pretium hostiae infinitum expenditur secundum quamdam rationem attemperationis ad devotionem offerentium.

“Et primo quidem ac principaliter, ad devotionem generalem Ecclesiae; at secundo, et quasi cumulative, ad devotionem sacerdotis celebrantis, ad devotionem stipem dantium, denique ad devotionem adstantium (inter quos eminent ii qui ad altare ministrant). ..

“Jam vero, sicut omnes illi potuerunt ad eandem intentionem offerre, sic potuerunt ex iis alii ad aliam. Potuit idem fidelis ut stipem dans dirigere suam intentionem in unum finem, et praeterea ut adstans in alium finem. Similiter sacerdos potuit intentionem unam habere ut deferens dona oblata ... et alteram ut aequivalens adstanti.

“Quibus positis, haec conclude:

“1. Quanto pluribus titulis a certo fideli missa offertur pro uno eodemque, eo magis huic prodest.

“2. Quo plures sunt illi, pro quibus est a certo fideli cum certa devotione ex certo titulo missa oblata, eo minor ad unumquemque ipsorum pertingit fructus missae, ut ab isto fideli oblatae: siquidem tali oblationi respondet fructus devotioni oblatores proportionatus; qui proinde cum sit certae mensurae, nequit esse tantus respectu multorum quantus foret respectu unius. Si igitur idem fidelis cum eadem devotione ex eodem titulo eandem missam, quam obtulit pro multis, obtulisset pro uno, plus huic profuisset, quam profuit singulis illorum. . .

“3. Quo plures fideles adstant, eo magis, ceteris paribus, crescit valor totalis missae. Etenim tot sunt oblationes, quot sunt oblatores; nec devotio unius alterius devotioni officit; nec proinde detrahit una oblatio alteri, sed accrescit. . .

“4. Ex eo solo quod Ecclesia per orbem dilatatur, non sequitur necessario aut majorem aut minorem derivari ad singulos Christifideles

“Mysterium Fidei, elue. 28, Parisiis, 1931, p. 349 sqq.

fructum communem sacrificii. Nam communiter universi pro universis offerunt. Unde simul atque crescit numerus eorum a quibus offertur, etiam crescit numerus illorum pro quibus offeratur, et e converso. Quare, ceteris paribus, manet eadem pars communis fructus singulis obtingens.”⁵⁰

Alii dicunt fructum missae mensurari *ex voluntate Dei*, qui juxta modum suae providentiae causas determinatas applicat ad determinatos effectus, *vel ex peculiari intentione Christi*, qui ad hoc ut fideles istud sacrificium frequentarent eiusque iteratam celebrationem procurarent, eius fructum limitavit.

Sic ergo Deus vel Christus “unamquamque missam taxavit pro tanto, puta pro centum, nec plus nec minus, ita ut valor iste possit deinde, vel uni dari, vel inter plures distribui, fere sicut summa pecuniae quae vel ex integro datur uni pauperi, vel si distribuitur, eo ipso partialiter tantum et pro rata concurrentium provenit ad singulos.”⁵⁷

Alii cum *Billot* dicunt fructum missae mensurari ex duobus, i.e. *ex gradu dispositionis subjecti* cui applicatur et simul *ex modo quo ei applicatur* per intentionem celebrantis.

Ad rem *Billot*: “*Alii* vero dicunt quantitatem tam intensivam quam extensivam fructuum non limitari per antecedentem Dei taxationem, sed solum ex modo applicationis et mensura dispositionum. . . *Censem* ergo *mensuram fructuum pendere complexive ex duobus*, ita ut in paritate dispositionum ex parte recipientium, eo maior sit fructus in singulis, *quo perfectius eis missa applicatur*, et in paritate applicationis, eo melior *quo meliores sunt dispositiones*. . . De applicatione dicimus illa esse tanto meliorem, quanto minus confusa seu communis est. . .

“Differt [missa a sacramentis], quatenus unus est modus applicationis in sacramentis, ita ut proportio ad receptivum in eis non variet nisi secundum recipientis dispositiones; sed in sacrificio applicatio fit diversis modis, quo fit ut ex hac etiam parte proportio diversificetur. Et aliquale exemplum accipies ex calefactione solis, quam oportet ex duobus mensurari: primo ex hoc quod quibusdam oblique et quibusdam ad perpendicularum, quibusdam directe et quibusdam indirecte virtus solis applicatur; deinde vero ex dispositione intrinseca singulorum subiectorum, nam alia est conductibilitas cerae, alia lapidis, alia ferri, alia calcis, atque ita porro.”⁵⁸

Inferius, dum solvit quaestionem de aequalitate vel inaequalitate fructus qui provenit singulis quando sacrificium offertur pro pluribus,

M *Mysterium Fidei*, elue. 28, Parisiis, 1931, p. 349 sq.

" Apud *Billot*, *De Eccl. Sacram.*, t. 1, thes. 56, Romae, 1914, p. 648.

" L. c., p. 648-650.

rem clarius explicat, inquiens: “Quaestio restringitur ad applicationem illam quae ex propria electione seu voluntate sacerdotis procedit, cui etiam respondet fructus quem *specialem* vocant. Porro, eatenus missa oblata pro multis tantumdem valeret singulis ac si peculiariter pro unoquoque offerretur, quatenus in utraque hypothesis aequae perfecte missa posset unicuique applicari. Sed hoc videtur impossibile, nam applicatio quae tota quanta est pendet a propria intentione sacerdotis, naturam actuum humanorum sequatur necesse est. Haec est autem natura actus humani, ut quanto plura obiecta per modum unius comprehendit, tanto minus determinate seu minus distincte feratur in singula. Sed si pro pluribus unam missam offert sacerdos, intentio eius in tantum valet, in quantum fertur in plures per modum unius, cum uni sacrificio una totalis intentio debeat respondere.”⁵⁰

Alii tandem, ut *Salmanticenses* et *Hugon*, docent fructum missae mensurari *tantummodo ex gradu dispositionis subjecti*.

QUOAD QUARTAM QUAESTIONEM, quae directe quidem connectitur cum praecedenti sed non est cum ea confundenda, *major ac peculiaris est dissensus theologorum*, quorum plures fere unice de ea occupantur.

Conveniunt quidem omnes applicationem missae pro pluribus non minuere in singulis fructum *generalem* et *specialissimum*; dissentiunt vero quoad quaestionem de fructu *speciali*, an nempe missa oblata pro pluribus aequae prosit singulis ac si pro uno applicaretur.

Negant plures antiquiores et plurimi moderni theologi, quorum argumenta afferemus infra sub forma objectionum quique limitationem fructus, in praedicto casu oblationis pro pluribus, repetunt generatim ex tribus prioribus causis assignatis supra in expositione tertiae quaestionis (cf. *De la Taille* et *Billot*, nuper citatos).

Inter hos doctores notentur *Scotus* (Quaest. Quodlib., q. 20. n. 20), *D. Soto*, *Bellarmino* (De Missa, l. 1, c. 4), *Suarez* (Disp. 79, sect. 12, n. 7), *Pasqualigo*, *Lugo* (Disp. 19, sect. 12), *Wirceburgenses*, *Franzelin*, *Pesch*, *Gehr*, *Billot*, *Van Noort*, *De la Taille*, *Hervé*, et fere omnes theologi practici, ut *Lchmkuhl*, *Cappello*, *Gasparri*, *Genicot*, *Vermeersch*, *Noldin*, *Merkelbach*.

Affirmant vero plures gravesque doctores antiquiores, praecipue inter thomistas, et pauci inter modernos. Ita *Cajetanus* (In 3 p., q. 79, a. 5; Opusc., t. 3, tract. 3, q. 2), *Vasquez* (Disp. 231, c. 3), *Joannes a S. Thoma* (Disp. 32, a. 3), *Gonet* (Disp. 11, a. 5), *Salmanticenses* (Disp. 13, dub. 6, § 3, n. 118 sq.), *Pignatelli*, *Tournely*, *Billuart* (tantum in-

⁵⁰L. c., p. 651.

clinans in hanc sententiam), S. *Alphonsus* (Theol. Mor., 1. 6, tract. 3, n. 312) eiusque discipuli *Marc* et *Acrtnys*, *Hugon*, *Diekamp*, *Ballcrini*.

Notetur curiosum discrimen inter duos doctores fere coevos, nempe *Billuart* (t 1757) et 5. *Alphonsum* (t 1787), in iudicando de numero patronum utriusque sententiae. Primus enim dicit: "Prima [sententia, è. negativa] videtur hodie communior inter recentiores, aut potius, meo saltem iudicio, plerique non satis distinguunt inter utramque"; alter asserit: "Secunda sententia [i.e. affirmativa] . . . a recentioribus hodie communissime recepta docet. . ."

Difficultas hujus quaestionis vel ex eo patet quod generatim defensores alterutriusque sententiae agnoscunt probabilitatem contrariae, et plures defensores sententiae negativae explicite fatentur sententiam positivam posse, servatis servandis (cf. infra et p. 1097), in praxim deduci, imo laudabiliter id fieri.

Billuart: "Quaestio est non parum implicata. . . Pro hac sententia [affirmativa] plusquam triginta auctores tam domesticos quam extraneos citat Franciscus a Jes. M. Carmelita excalceatus, tract. 5 de Sacrificio missae cap. 3, punct. 3, dubio unico. Prima tamen videtur hodie communior inter recentiores, aut potius, meo saltem iudicio, plerique non satis distinguunt inter utramque. Caeterum utraque est probabilis, et quamvis in secundam propendere videar, agnosco tamen neutram esse certam, sed quamlibet pati suas difficultates: unde pro praxi consultum est, ut celebrans offerat specialiter in quantum potest et debet pro his pro quibus tenetur offerre ex justitia, pro his autem pro quibus simul offert ex charitate, pietate, amicitia, aut alio titulo gratuito, offerat quantum potest."⁶⁰

S. *Alphonsus*: "Haec secunda sententia [i.e. affirmativa], speculative loquendo, videtur probabilior; at quia contraria adhuc est probabilis, non licet quidem sacerdoti, dum accipit stipendium ab uno, applicare missam pro illo in generali cum aliis; nisi saltem sub conditione, nempe modo ille non defraudetur."⁶¹

Billot: "Caeterum, haec dicta sint absque praeiudicio probabilitatis sententiae oppositae, quam tenent Caietanus . . . Vasquez . . . S. Ligorius. . . De qua tamen sententia . . . non immerito forsitan diceres, videri illam minus conformem communi sensui fidelium et praxi in Ecclesia receptae."⁶²

Hugon: "Rationes alterius sententiae videntur validiores. . . Quidquid sit de probabilitate opinionum, in praxi celebrans eligat tutius, et offerat specialiter pro quibus tenetur seu in quantum debet, ac deinde,

⁶⁰De Euch., diss. 8, a. S, Parisiis, 1904, p. 208-211.

⁶¹n Theol. Moral., De Euch., n. 312, Parisiis, 1875, p. 224.

⁶²c De Eccl. Sacram., t. 1, thes. 56, Romae, 1914, p. 651.

in quantum potest, pro his omnibus quibus vult ex charitate, amicitia, pietate et quovis alio titulo gratuito sacrificium applicare. Ita communiter theologi.”⁰³

Primmer: “Sed difficilis oritur quaestio, undenam proveniat ista limitatio fructuum Missae, quae secundum se est valoris infiniti. Sunt duae sententiae. . . Quaestionem autem insolutam relinquit, quamvis videatur cum Billuart inclinare in sententiam affirmativam.

Hervé: “In praxi: Cum utraque sententia sit probabilis, sacerdos debet specialiter offerre Missam pro quibus haec petitur, sed laudabiliter illam applicabit, secundaria intentione et conditionate (salvo nempe jure illorum pro quibus absolute celebratur) uni vel pluribus aliis, imo pro omnibus vivis atque defunctis.”⁰⁵

Fere unicus *De la Taille* sententiam affirmativam absolute respuit, leviter et confidenter concludens: “Unde corrumpit ista sententia cum suo fundamento, neque ullam nobis videtur habere probabilitatem intrinsecam.”⁰⁰

I

NOTA. DE SENTENTIA S. THOMAE, CAJETANI ET S. ALPHONSE

S. *Thornae* auctoritatem appellat utraque sententia.

Pro affirmativa duo invocantur textus, i.e. 3 p., q. 79, a. 7, ad 2, ubi S. Doctor ait: “Illis . . . prodest [hoc sacrificium] plus vel minus, secundum modum devotionis eorum”, et praecipue ibid., a. 5 corp., ubi docet: “Quamvis . . . haec oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni poena, tamen fit satisfactoria *illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suae devotionis*, et non pro tota poena.”

Ex quibus videtur S. Thomas omnino favere sententiae affirmativae, cum, loquens directe de applicatione sacrificii, non aliam assignat rationem limitationis fructus quam dispositionem eorum pro quibus offertur. Unde S. *Alphonsus* indubitanter scribit: “Pro hac sententia [affirmativa] clare est etiam D. Th. 3. p. q. 79. a. 5.” (1. c.).

Pro negativa vero invocantur sequentes textus *Supplementi tertiae partis*:

q. 71, a. 12: “Valent suffragia ex hoc quod per intentionem unius alteri applicantur, et sic satisfactio unius alteri computatur: et hoc modo non est dubium quin magis valeant ei pro quo fiunt; imo sic ei soli valent.”

⁰³Tract. Dogm., v. 3, De Euch., q. 9, a. 3, Parisiis, 1931, p. 480.

⁰⁵Theol. Moral., t. 3, n. 240, Friburgi Br., 1923, p. 172.

⁰⁰Theol. Dogm., v. 4, n. 133, Parisiis, 1937, p. 152.

⁰⁰Mysterium Fidei, elue. 28, Parisiis, 1931, p. 353.

Ibid., *a. 13, Sed contra*: “Si . . . suffragium pro multis factum valet singulis tantum ac si pro uno tantum fieret, videtur quod Ecclesia non debuit instituere ut pro aliquo fieret singulariter missa vel oratio, sed quod semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis, quod patet esse falsum.”

Ibid., *in corp.*: “Si . . . consideretur valor suffragiorum, in quantum sunt satisfactiones quaedam per intentionem facientis translatae in mortuos, tunc magis valet suffragium alicui quod pro eo singulariter fit, quam quod fit pro eo communiter, et pro multis aliis; sic enim effectus suffragiorum dividitur ex divina justitia inter eos pro quibus suffragia fiunt.”

Ibid., *ad 2*: “Cum pro uno missa dicitur, non est inconueniens ut pro aliis etiam orationes fiant. Non enim ad hoc dicuntur aliae orationes ut satisfactio unius suffragii determinetur ad alios principaliter, sed ut illis etiam oratio pro eis specialiter fusa prosit.”

Attamen in his locis S. Doctor non loquitur directe et peculiariter de fructu sacrificii, sed de suffragiis in communi, et nominatim de orationibus et satisfactionibus, nec ceterum agit de casu quo sacrificium applicetur pluribus, de quo praecise est praesens quaestio, sed tantum de casu (qui in omni celebratione de facto contingit) quo dum missa applicatur pro uno simul fiant orationes pro aliis, vel, quod ad idem fere redit, de casu quo fructus sacrificii intrinsecus et ex opere operato applicetur pro uno, fructus vero extrinsecus et ex opere operantis Ecclesiae et sacerdotis applicetur pro multis.

Ad rem 5. *Alphonsus*: “Ubi autem dicit [S. Thomas]; quod missa pluribus applicata, minus prodest singulis, non quidem loquitur de missa uti sacrificio, sed uti suffragio ab Ecclesia instituto, quod effectum certe finitum habet, et ideo quo pluribus illud applicatur, eo minus singulis iuvat; certum enim est, quod preces missae ab Ecclesia institutae magis prosunt alicui, si singulariter ei, quam si pluribus a sacerdote applicentur, ut patet ex conc. Constantiensi, ubi damnatus fuit hic articulus *Wicleffi*: ‘Speciales orationes applicatae uni personae per praelatos, vel religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales, caeteris paribus’.”⁰⁷

Unde leviter scribit *Cappello*: “[S. Alphonsus] hoc habet: ‘Et pro hac sententia *clare* est etiam D. Thomas (Summ. theol. 3, q. 79, a. 5) . . .’ Id falsum omnino est, ut perlegenti textum citatum facile patet, cum hic nullatenus sit ad rem. Mens Angelici pro opposita sententia *clare* eruitur tum ex comment, in IV D. 45, q. 2, a. 4, sol. 3 ad 2, tum ex Supplem. q. 71, a. 3, praesertim ad 2.”⁰⁸

⁰⁷† Theol. Moral., De Euch., n. 312, Parisiis, 1875, p. 223 sq.

⁰⁸° De Sacram., v. 1, n. 592, Taurini, 1921, p. 462, in nota.

Cajetanum (1. c.) esse primum et praecipuum patronum sententiae affirmativae passim affirmant doctores utriusque sententiae. Quidam tamen, ut Galtier et De la Taille, aliter mentem Cajetani interpretari conantur.

*Galtier*TM (post *Suarez*, Disp. 79, sect. 12, et *Lehtnkuhl*, ed. 1898, n. 183) vult Cajetanum loqui non de fructu respondente iis pro quibus sacrificium offertur, sed *iis a quibus oflertur*, ac docere nequaquam fructum minui ex multiplicatione cofferentium.

De la Taille, reiecta interpretatione Galtier, ait “immerito Cajetani patrociniū vindicari sententiae Vasquezii et S. Ligorii ... aut etiam concedi”. Nam “sufficiētiā unius missae *restringit* Cajetanus expresse *ad casum quo plurium fidelium singuli* singulas sibi missas petant.” “Minime autem tenet Cajetanus, *seclusa pluralitate stipem dantium*, posse vel erogatorem vel sacerdotem efficere sua sola voluntate, ut sacrificium, ad salutem plurium oblatum, tantum unicuique proficiat, quantum, oblatum ad salutem unius, huic proficeret. Immo tenet contrarium”.⁷⁰

Igitur, juxta De la Taille, Cajetanus docet tantummodo quod si plures fideles offerunt plura stipendia (singuli singulum) pro pluribus intentionibus et sacerdos celebret unam tantum missam; valor hujus missae tantum crescit ut correspondeat valori plurium missarum (tot nempe missarum quot stipendia oblata fuerint) in beneficium uniuscujusque ex supradictis intentionibus, ac si pro unaquaque intentione tot missae applicarentur; cujus ratio est quia valor missae crescit ac multiplicatur pro augmento et multiplicatione devotionum eorum qui per stipendium procurant celebrationem missae. In omni vero alio casu, in quo unicus sit oblatores (unius vel plurium stipendiorum), fructus unius sacrificii oblatores pro pluribus, non crescit sed e contrario dividitur inter plures.

De sententia S. Alphonsi in sua Theologia Morali, seu *in suo principali ac doctrinali opere*, nemo est qui dubitet, cum in verbis supracitatis explicite dicat sententiam affirmativam sibi videri probabiliorem.

Gaudé, in nota apposita ad n. 312 editionis romanae a. 1909. observat: “Postea tamen [S. Alphonsus], anno scilicet 1769, tum in opusculo ‘De Caeremoniis Missae’, part. 3, ‘De abusibus in accipiendis Missis’, n. 26-28, tum ‘in Trid.’, Sess. XXII, n. 22, S. Doctor communionem vocavit et propugnavit priorem opinionem”.

Ad haec tamen nimis festinanter ac confidenter addit *Cappello*: “At postea, mutato consilio, [S. Alphonsus] in libris asceticis doctrinam a

^o La Messe en seconde intention, in Nouvelle Revue Thcologique, févr., 1907, p. 84. *Mysterium Fidei*, elue. 28, Parisiis, 1931, p. 354. 352. 351.

nobis enunciata tenet ac propugnat. Cum auctores vix non omnes, etiam recentes (Scavini, Gury, D'Annibale, Marc, Sabetti, Génicot, Bucceroni, Gasparri, Dumas, Pighi), id silentio praetereundum existimarunt? Dolendum profecto est, quod auctoritas S. Alphonsi in sensum oppositum allegetur.”⁷¹

CONCLUSIO

Conclusio 1. Efficacitas, seu effectus impetratorius et propitiatorius sacrificii missae, est intensive et extensive finitus, seu absolute limitatus.

Probatur.

Nam homo est in se finitus; unde est absolute incapax boni intensive infiniti. Item, actualis numerus hominum est necessario finitus; unde fructus sacrificii nequit esse extensive infinitus. Item, poena aeterna, iam damnatis inflicta, nequit de facto eis remitti; unde fructus missae etiam ex parte numeri bonorum supernaturalium est absolute finitus.

Conclusio 2. Praedictus fructus missae est etiam mensuratus, seu relative limitatus, ita ut de facto non tantus fructus alicui subiecto conferatur, quantum ipsum absolute suscipere posset.

Probatur.

1. *Ex praxi Ecclesiae et sensu fidelium.*

Praxis Ecclesiae est iterandi applicationem sacrificii, seu plura sacrificia applicandi, tum pro diversis singillatim personis, tum pro eadem persona, tum ad eundem effectum consequendum. Si autem fructus missae non esset mensuratus, frustra applicatio iteraretur, cum una missa sufficeret ad benefaciendum simul omnibus hominibus, ad evacuandum Purgatorium, ad complendum unum hominem omni bono, ad perfecte obtinendum singularem aliquem effectum.

Sensus quoque fidelium est sibi majorem fructum provenire ex repetita missae applicatione.

2. *A paritate cum sacrificio crucis.*

Sacrificium crucis, quamvis sit infinitae efficacitatis, habet tamen effectum mensuratum, juxta subordinata media salutis a Deo instituta et juxta subiectivas hominum dispositiones; eius enim effectus appli-

⁷¹ L. c., p. 462.

catur varia ratione per sacramenta, merita, satisfactiones et orationes. A pari ergo et a fortiori mensuratur effectus missae.

3. *Ex paritate cum sacramentis.*

Etiam sacramenta suam habent infinitam efficacitatem (quamvis alterius generis ab ea quae competit sacrificio missae) et tamen semper limitatum effectum producant, ratione limitatae dispositionis subiecti. Ergo a pari oportet ut fructus sacrificii sit mensuratus ex parte dispositionum subiecti.

Nec valet opponere aliam esse rationem sacramenti, quae consistit in recipiendo a Deo, aliam vero rationem sacrificii, quae consistit non in recipiendo sed in offerendo. *Nam* haec differentia respicit quidem essentiam sacramenti et sacrificii sed impertinenter hic invocatur; quoniam, supposito quod tum sacramentum tum sacrificium habeant efficaciam (undenam hanc habeant non refert), dicimus quod simili modo eam exercere debeant quod attinet ad rationem mensurationis fructus.

4. *A paritate cum modo agendi causarum naturalium*, cui divina Providentia accommodat influxum causarum supernaturalium.

Causa enim naturalis non exerit totam suam virtutem in actu secundo omni modo quo absolute potest, sed juxta condiciones et dispositiones subiectorum, ut patet ex virtute solis magis vel minus illuminante et calefaciente (cf. *Billot*, cit. in p. 1080). Similiter ergo virtus sacrificii vario modo ab extrinseco limitatur.

Conclusio 3. Unica ratio mensurationis fructus sacrificii est dispositio subiecti cui eius efficacia applicatur.

Probat.

Quod dispositio subiecti sit *ratio* talis mensurationis, sequitur ex paritate cum sacramentis et causis naturalibus, ut dictum est in Conci, praec.

Quod ea sit *unica ratio* sequitur ex eo quod nulla alia causa convenienter assignari potest, ut ostenditur per exclusionem trium rationum ab adversariis invocatarum.

Primo enim, fructus missae mensurari non potest *cx devotione offerentium*, i.e. Ecclesiae, sacerdotis et fidelium, quia hi sunt offerens instrumentalis a quo non pendet intrinseca efficacia sacrificii, ut dictum est in art. 50 (p. 1063); ex parte autem Christi principalis offerentis haec efficacia est absque ulla mensura.

Secundo, fructum missae mensurari *cx voluntate Dei vel Christi* arbitrarie asseritur nec ex ulla ratione deduci potest, quinimmo id nulla-

tenus esset consentaneum modo agendi divinae Providentiae, quae, ut apparet ex influxu causarum naturalium, sacramentorum et ipsius sacrificii crucis, non arbitrarie aut violenter impedit vel taxat effectum causarum secundarum, sed eas movet secundum ipsarum naturam et virtutem, ita ut causa infinitae virtutis procedat modo illimitato ad attingendos suos effectus.

Tertio, fructus missae nequit mensurari ex modo quo ab offerente secundo applicatur, seu *ex intentione praecipue ipsius sacerdotis*, quia intentio sacerdotis, ut distincta ab intentione Christi et Ecclesiae, habet tantum partialem influxum in hac applicatione, applicat enim tantummodo fructum specialem, tum praecipue quia intentio cuiuslibet offerentis se habet tantum ut conditio existentiae, qua nempe posita, sacrificium exerit connaturalem et illimitatam suam virtutem.

Ad rem *Salnianticenses*: “Pertinet . . . ad intentionem sacerdotis extensio sacrificii ad has, et illas personas, pro quibus specialiter applicat: sed hac extensione, aut designatione supposita, sacrificium influit non quidem juxta mensuram, vel quantitatem intentionis sacerdotis, sed juxta suam virtutem, quam de se habet, et secundum dispositionem eorum, in quibus causât effectum. Et hinc provenit, quod licet hic sacrificii effectus dependeat ab applicatione sacerdotis sicut a conditione: nihilominus ab hac parte non limitetur: quia talis applicatio non se habet sicut approximatio agentis ad passum (unde in naturalibus contingere solet, quod agens propter majorem, aut minorem approximationem plus, vel minus causet) sed comparatur per modum purae designationis: quippe in his supernaturalibus, et moralibus nulla altera approximatio necessaria est.”⁷²

S. *Thomas*, q. 79, a. 5 et a. 7, ad 2 (supra cit., p. 1083), non aliam assignat rationem mensurationis effectus sacrificii quam dispositionem subiecti.

Nota. De qualitate dispositionis ex qua fructus missae mensuratur.

“De dispositionibus . . . , primo quidem animadvertimus quod aliud est generaliter adstruere mensuram fructus proportionatam quantitati devotionis, aliud vero determinare in particulari, in quo praecise consistat devotio illa conferens ad plenior participationem sacrificii. Et licet hoc alterum non posset sufficienter innotescere, non ideo vacillaret primum, ut constat. Quo praesupposito, aut de defunctis inquiritur, aut de vivis.

“*Quoad de junctos*, maior minorve capacitas attendi poterit, vel se-

⁷² De Euch., disp. 13, dub. 6, § 3, n. 120, Parisiis, 1882, p. 852.

eundum maiorem minoremve charitatis gradum in quo nunc sunt, vel etiam secundum mensuram devotionis qua procuraverunt cum essent in via, ut pro se missa offerretur.

“*Quoad vivos* vero, res est facilior et magis obvia; considerantur enim in eis variae conditiones pro variis fructibus quorum sunt capaces: puta cooperatio ad sacrificium (sive procurando ut celebretur, sive assistendo, sive alio quolibet modo ad illud concurrente), item maior minorve fides, aut etiam spes virtute illius resurgendi a peccato, item alia eiusmodi multa quae facile consideranti occurrent.”⁷¹

Dices 1. In peccatoribus, praecipue obduratis, haereticis et infidelibus, nulla habetur dispositio juxta quam mensurari possit fructus sacrificii. In singulis vero animabus Purgatorii habetur aequalis dispositio ad remissionem poenae et tamen non omnes aequaliter juvantur per sacrificium. Item singulae animae Purgatorii habent unicam et immutabilem dispositionem ad eandem remissionem et tamen pro eadem anima solet pluries applicari sacrificium. Ergo ratio mensurationis fructus sacrificii non est dispositio subiecti.

Respondetur.

In peccatoribus non habetur quidem ea dispositio quae comitatur statum gratiae, sed possunt haberi variae dispositiones proxime vel remote, directe vel indirecte, praeparantes statum gratiae, juxta quas vario modo potest applicari et mensurari fructus sacrificii.

Non omnes animae Purgatorii sunt in aequali dispositione ad suscipiendum fructum satisfactorium sacrificii; nam hic eis applicatur dependenter ab earum acceptabilitate coram Deo; haec autem acceptabilitas differt et mensuratur tum juxta diversum gradum gratiae quem actu habent, tum juxta diversum modum quo se gesserunt in vita et ex quo meruerunt ut sacrificium sibi prodesset post mortem (cf. *Augustinum*, De cura pro mortuis, 18, 22; Enchir. 110, supra cit. in p. 1060; Serm. 172, 2, 2, cit. ibidem; *Petrum Lombardum*, Sent., 1. 4, dist. 45, n. 2; *S. Thomam*, 3 p., q. 52, a. 8, ad 1 et Suppi., q. 71, a. 2, ad 1).

Addunt *Salmanticenses*: “Crediderimus ... ad hujusmodi dispositionum praestantiam plurimum conferre, quod quis in hac vita multum affectus fuerit ad divinum hoc sacrificium, et quod maxime procuraverit animabus Purgatorii per media sibi possibile succurrere: praesumendum namque de divina pietate est, quod ita providet, ut antiquae erga sacrificium devotioni rependantur uberes sacrificii fructus; et quod aliorum charitas illos non deserat, qui illam exercuerunt erga animas eodem loco detentas, et paria sufferentes tormenta poenarum.”⁷⁴

⁷¹ *Billot*, De Eccl. Sacram., t. 1, De Euch., thes. 56, Romae, 1914, p. 648 sq.

⁷⁴ De Euch., disp. 13, duh. 6, § 3, n. 123, Parisiis, 1882, p. 854.

Stante eadem dispositione, potest juxta eius mensuram pluries eadem anima fructum sacrificii percipere.

“Unde non stulte, sed pie, et prudenter agunt morituri, qui disponunt, ut multae pro eis Missae offerantur: quia illud poenae, quod post applicationem primae Missae relinquitur, remittetur per applicationem secundae; et quod remanet post secundam, extinguetur per tertiam, et sic de caeteris usque ad consummatam totius debiti diluitionem. Verbi gratia, moriturus habet reatum, sive debitum satisfaciendi, et subeundi poenam ut mille; et in morte, aut post mortem habet pro fructu Missae dispositionem, aut devotionem solum ut quatuor. Tunc prima Missa, quae pro illo applicatur, quamvis de se habeat valorem de se sufficientem in actu primo ad extinguendum totum illud debitum ut mille, et eo amplius; nihilominus quia efficaciter, sive in actu secundo concurrat ad hujusmodi remissionem secundum dispositionem, et devotionem subjecti, et solum reperit dispositionem ut quatuor: propterea solum remittit debitum satisfaciendi, diluitque poenam ut quatuor, perseverante adhuc satisfaciendi debito quoad alios gradus. Ubi autem applicatur alia Missa, remittit etiam alios quatuor gradus poenae: et sic de applicatione tertiae, et aliarum, usquedum per hanc correspondentiam tota satisfaciendi, aut sustinendi poenam obligatio extinguatur.”⁷⁵

Dices 2 cum Lehmkuhl:

“Non est ratio, cur de *effectu sacrificii* aliter judicemus, atque de *effectu sacramentorum*. Utraque enim continent in se infinitum meritorum Christi thesaurum. At nihilominus sacramentis certus et limitatus effectus adnectitur non solum propter dispositionem subjecti, quae semper finita est et finitam capacitatem infert, sed etiam effectus aliquo sensu finitus et limitatus est ex ipsa Dei voluntate et lege. Alias sacramenta multiplicata et iterata nihil operarentur, nisi dispositio subjecti melior facta esset: quod plane falsum et catholicae doctrinae contrarium est. An forte aliquis dixerit, infantem baptizatum non accipere augmentum gratiae, si confirmetur aut secundum praxim pristinam SS. Eucharistia reficiatur? Dispositio infantis immutata manet. An homo moribundus sensibus destitutus, si Sacra Eucharistia refectus sit, jam sine novo augmento gratiae ungitur, quum dispositio ejus mutata non sit, atque ideo Sacra Eucharistia jam omnem effectum possibilem produxerit? Fateamur ergo oportet, sacramentorum, etiam SS. Eucharistiae Sacramenti, effectum non tantum esse, quantus possibilis sit pro hominis capacitate, sed secundum certos limites a Christi et Dei voluntate praefixos. Quod si ita est, etiam pronum est concludere, id ipsum a Deo servatum esse in Missae sacrificio, ut voluerit quidem, per illud

⁷⁵ *Sabnanticenses*, l. c., p. 853 sq.

merita Christi quam maxime applicari, at secundum certos limites a se statutos, praesertim quum illud excellentissimum sacrificium non semel, sed quam frequentissime et in innumeris locis offerri voluerit.”⁷⁸

Respondetur.

Analogia cum sacramentis, nedum juvet obicientem, retorqueri potest in ipsum ad probandum fructum sacrificii mensurari ex sola subjecti dispositione. Nam, ut probatum est in tractatu De sacramentis in genere (art. 26) et manifeste docetur a S. *Thoma* (3 p., q. 69, a. 8), ipsa dispositio subjecti est unica ratio mensurationis effectus sacramenti.

Quod autem huic doctrinae obiciens opponit, ex ea nempe sequi quod “sacramenta multiplicata et iterata nihil operarentur, nisi dispositio subjecti melior facta esset”, falsum est, nam, cum haec dispositio non sit causa influens sed tantum removens prohibens (cf. tractatum De sacr. in gen., art. 9, p. 139 et 159), stante eadem dispositione, potest idem sacramentum pluries suum effectum, et a fortiori diversa sacramenta diversos effectus, in eodem subjecto producere.

Conclusio 4. Missa pro pluribus oblata aequae prodest singulis ac si pro uno applicetur, idque quantum ad fructum tum generalem, tum specialissimum, tum etiam specialem.

Probatur 1. *Quoad tres fructus, argumento generali.*

Nam, ut probatum est in art. praec., efficacia missae est in actu primo et secundum se infinita, et, ut ostensum est in Conci, praec., non alia assignari potest ratio quare in actu secundo limitetur nisi sola dispositio subjecti.

Probatur 2. *Quoad fructum generalem.*

Si fructus generalis minueretur in singulis pro maiori numero eorum pro quibus offertur, sequeretur quod quo magis augetur multitudo fidelium in Ecclesia eo minus sacrificium prosit singulis prout sunt membra Ecclesiae, ac proinde quod est bonum commune (i.e. augmentum societatis et propagatio evangelii) fiat detrimentum singulorum.

Quod cum sit prorsus inconueniens tum ex parte dignitatis et potentiae Christi, fundatoris Ecclesiae, tum ex ipsa natura rei, ab omnibus theologis reicitur, qui perfecte consentiunt in docendo fructum generalem non minui in singulis ob augmentum numeri participantium, quamvis quidam id explicent ex voluntate Christi, alii (ut *De la Taille*) exsimultaneo augmento numeri offerentium, alii (ut *Billot*) ex eo quod

⁷⁸Theol. Moralis, v. 2, n. 184, Friburgi Br., 1898, p. 137 sq. Eandem objectionem frequenter afferunt moderni auctores, uti *Cappello, Sasse, Noldin*.

semper idem manet modus applicationis seu intentio involuta in ipsa natura sacrificii, alii nobiscum ex sola ratione *dispositionis subjecti*.

Haec autem subjecti dispositio videtur hic accipienda esse integraliter, seu non tantum pro particulari et actuali animi dispositione, sed *pro generali conditione subjecti ut membri Ecclesiae*, ita ut quo dignius et utilius quis sit membrum Ecclesiae eo magis participet de generali fructu sacrificii.

Probatur 3. *Quoad fructum specialissimum.*

Si fructus specialissimus minueretur in singulis pro majori numero celebrantium (in casu concelebrationis) vel indirecte offerentium (puta ministrantium in missa solemni vel assistentium cuilibet missae), primo, idem inconueniens sequeretur quod diximus sequi ex diminutione fructus generalis; secundo, minus grata foret cuilibet participanti sacrificio comparticipatio ceterorum, ac praecipue concursus multorum et solemnis missae celebratio.

Probatur 4. *Quoad fructum specialem seu ministerialem.*

Res sequitur ex ipsa paritate cum fructu generali et specialissimo.

Utrobique enim habetur eadem ratio efficacitatis tum in actu primo (infinitus valor missae) tum in actu secundo (limitatio iuxta dispositionem subjecti), nec ex alio capite ulla assignari potest peculiaris ratio quare fructus specialis, secus ac duo alii fructus, minui debeat iuxta numerum participantium; non quidem a priori, puta *ex voluntate Christi*, quae arbitrarie inducitur, ut dictum est in Conci, praec., aut *ex Mole intentionis collectivae*, quae inaniter invocatur a Billot, cum intentio celebrantis se habeat ut mera conditio directiva, non vero limitativa, proprii influxus sacrificii, neque a posteriori seu *ex sensu fidelium et Ecclesiae*, ut mox ex difficultatum solutione patebit.

Confirmatur nostra sententia:

1. Ex doctrina S. *Thomae* (cf. p. 1083 sq.) qui unicam rationem limitationis effectus sacrificii assignat dispositionem subjecti.

2. Ex eo quod est manifeste *conformior generalibus principiis* de modo agendi divinae Providentiae, de infinita virtute sacrificii missae, de inexhausta caritate Christi, de indole corporis mystici in quo bonum unius membri spirituali profectui alterius nullatenus officit.

3. *Ex praxi et sensu Ecclesiae*. Nam Ecclesia applicat generaliter omnes et singulas missas pro omnibus fidelibus vivis et defunctis, exinde ostendens nullatenus ob hanc generalem applicationem minui fructum personae pro qua specialiter missa applicatur; ergo a pari fructus

ipse specialis nequaquam minui dicendus est in uno subiecto propter participationem aliorum; fructus enim generalis et fructus specialis non differunt intrinsece et secundum se sed tantum extrinsece et ratione diversi tituli quo alteruter confertur.

Dices 1. Pius VI (supra cit., p. 1078) docet contra Pistorienses “specialem applicationem sacrificii, quae fit a sacerdote, magis prodesse ceteris paribus illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque”. Quibus verbis videtur commendari sententia quae docet fructum sacrificii mensurari non solum juxta dispositionem subiecti sed etiam juxta intentionem sacerdotis applicantis, adeoque missam pro pluribus applicatam minus prodesse singulis quam si pro uno applicaretur.

Resp. S. Pontifex tantummodo docet contra Pistorienses existentiam fructus specialis praeter fructum generalem, et consequenter affirmat sacrificium magis prodesse illis quibus praeter generalem applicationem Ecclesiae specialiter applicatur a sacerdote. Non ergo distinguit inter casum quo specialis illa sacerdotis applicatio feratur ad unam personam et casum quo feratur ad plures.

Intentio sacerdotis est conditio applicationis fructus, non vero mensura eiusdem, quae proportionatur soli dispositioni subiecti.

Dices 2. “Cum Ecclesia sit infallibilis interpres voluntatis seu institutionis Christi, eiusdem testimonium hac de re valorem habet non solum maximum, sed omnino decisivum, ut ita dicamus. Porro consuetum est in Ecclesia, ut pro singulis defunctis Sacra celebrentur, ... et generatim ut pro uno tantum vel pro paucis aut pro certo ac determinato effectu speciali intentione sacerdotis offeratur sacrificium. Atqui *eiusmodi praxis, admissa contraria opinione, esset inutilis, imo et crudelis*: inutilis, si ex eo, quod pro uno Missa celebretur, alii re ipsa nullatenus a consortio excluduntur; crudelis, si per ministrum celebrantem alii a pleno consortio excluduntur, siquidem melius esset Missam semper pro omnibus ex aequo dicere.”⁷⁷

Respondetur.

1. Ex nostra sententia nullatenus sequitur praedictam praxim Ecclesiae esse *inutilem*, quemadmodum inutilis non est praxis missam specialiter applicandi pro quibusdam, non obstante generali applicatione pro omnibus, ut supra dictum est.

Variae utilitates, quibus commendatur praxis specialiter applicandi missam pro uno subiecto vel obiecto, quamvis inde non excludatur simultanea applicatio pro aliis, sunt sequentes:

⁷⁷Ita Cappello (De Sacram., v. 1, n. 593, Taurini, 1921, p. 463) cum Lehmkühl (ed. 1898, n. 183) opponit praecipuum argumentum, quod, post Suarez: et Lugo, communiter proponitur.

Primo, saltem contingit ordinarie ut personae, pro qua missa primario intenditur, applicetur etiam fructus *ex opere operantis*, proveniens tum ex devotione ministri tum ex orationibus Ecclesiae intra missam. Dicimus “contingit”, quia communiter theologi sentiunt, contra paucos, sacerdotem celebrantem pro stipendio non teneri talem fructum ex opere operantis applicare pro eadem persona pro qua missam applicat.⁷⁸

Secundo, *fructus specialissimus* ex opere operato, qui obvenit procuranti celebrationem missae (puta stipem danti) quique est de se alienabilis, facile censetur transferri in favorem eius pro quo missa petitur, cum procurans celebrationem missae censeatur velle illum adjuvare quantum potest.

Tertio, applicatio *fructus specialis* pro determinatis personis vel causis certior et securior redditur cum ex titulo aliquo, puta justitiae vel fidelitatis, ad eam obligatur sacerdos.

Quarto, applicatio fructus pro determinata persona, quamvis non sit exclusiva aliorum, maxime utilis est ad hoc ut intuitu illius moveantur fideles *ad plura procuranda sacrificia*, quibus honor Dei et bonum Ecclesiae promoveatur, quemadmodum utiliter superiores religiosi permittunt ut individuus communitatis membris personaliter offerantur dona, quibus tamen non magis ipsi quam ceteri religiosi frui solent.

Quinto, addi potest cum quibusdam *Ecclesiam praedictam praxim prudenter adoptare* propter probabilitatem sententiae oppositae.

2. Ex nostra sententia nullatenus sequitur praedictam praxim Ecclesiae esse *crudelem*.

Nam imprimis Ecclesia nullum fidelem excludit a fructu missae, siquidem semper pro omnibus applicat fructum generalem. Secundo, Ecclesia non intendit ut sacerdos, applicans pro uno, excludat ceteros a fructu speciali ipsis applicabili. Ipse sacerdos, quamvis possit missam applicare etiam pro aliis, ad id tamen faciendum directa et positiva intentione non tenetur, tam ex justitia, quia nullus proferri potest justitiae titulus, quam ex charitate. quia alii jam participant fructum generalem sui sacrificii, quemadmodum non tenetur applicare pro omnibus omnes particulares suas orationes, quamvis peccaret aliquem positive et directe excludendo a fructu tum suae orationis tum sui sacrificii.

Dices 3. “Adde, *contra justitiam* peccare sacerdotem, qui, si stipendium acceperit pro pluribus sacrificiis, unum tantum offerat sacrificium. Damnata enim est ab *Alexandro VII* haec propositio: ‘Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere et sacrifi-

⁷⁸ Cf. *Salmanticenses*, De Euch., dub. 5, § 4, n. 102.

cium unum offerre'⁷⁹. . . Verum id non esset contra iustitiam, si totus fructus esset aequalis in singulis, sive pro uno sive pro pluribus sacrificium offeratur."⁸⁰

Rcsp. Haec ratio valeret si stipendium daretur in pretium fructus sacrificii, quod nullus theologus dicet et simoniacum esset cogitare; stipendium enim datur in finem sustentationis sacerdotis occasione celebrationis, ex vi cuiusdam contractus inter celebrantem et stipem dantem, fundati in jure Ecclesiae (cf. 2-2, q. 100, a. 2, ad 2). Quidquid igitur sit de indole huius contractus, quem alii aliter explicant, peccaret contra iustitiam sacerdos qui applicaret unum sacrificium pro pluribus stipendiis, non secus ac qui majus stipendium exigeret ultra quod est statutum ab auctoritate ecclesiastica.

Dices 4. "Ulterius addendum, Romanos Pontifices quasi praemio quodam proposito invitare et allicere, ut Missae pro singulis dicantur. Nam saepe tamquam singularem favorem concedunt *privilegium altaris*, ea conditione tamen regulariter, ut indulgentia altaris illi animae detur, pro qua Missa applicetur. Sed in sententia adversariorum multo melius esset, indulgentiam et Sacrum applicare pro omnibus fidelibus vivis atque defunctis."⁸¹

Rcsp. Ad finem impellendi fideles ut plura procurent sacrificia in cultum divinum et bonum Ecclesiae magis conducit quod praedicta indulgentia reservetur illi animae, pro qua primario sacrificium offertur.

Dices 5. Intentio fidelium, stipendium pro missa offerentium, est ut sibi solis fructus specialis applicetur, ita ut se defraudatos reclamarent si etiam aliis missam applicari cognoscerent.

Rcsp. Fideles rationabiliter censentur petere pro se fructus specialis applicationem, quae eis ex justitia debetur, non vero exclusivam applicationem, quae eis nihil prodesset et contrariaretur ordini caritatis.

"Si autem peterent ita Missam sibi specialiter applicari, ut nullatenus ejus valor ad alios extenderetur communicando fructum, quem ex se, sive ex opere operato inducere valet; non minus stulte agerent, quam qui curaret, ne calor, et lux solis ad alios, quam ad se, illuminandos, et calefaciendos extenderetur: nam ex hoc, quod alii illud ex sole solatium percipiant, nullo gradu lucis, vel caloris solis ipse privatur: sed eundem percipit, sive alii concurrant, sive non."⁸²

Observant quidam non expedire ut fideles, ita ignoranter sentientes, de hac veritate doceantur. Quod, quamvis ad evitandum scanda-

⁷⁹Denz. 1110; cf. *Codicem J.C.*, can. 82S et 828.

⁸⁰Ita *Cappello*, De Sacram., v. 1, n. 593, Taurini, 1921, p. 463.

⁸¹Ita *Cappello*, ibidem.

⁸²*n Salmanticenses*, De Euch., disp. 13, dub. 6, §3, n. 119, Parisiis, 1882, p. 850 sq.

lum pusillorum quandoque consultius erit, regulariter tamen minus utile videtur, quin potius, ut monet *Cajetanus*, oportet fideles ab ista ignorantia purgare.

Ad rem ipse *Cajetanus*: “Una missa non perdit vim satisfactionis suae pro primo offerente, ex hoc quod pro secundo, tertio, quarto, quinto, etc., offertur: sicut quantitas devotionis unius nihil tollit de quantitate devotionis alterius. Unde arguendi instruendique simul sunt homines ignoranter petentes vel exigentes pro sua eleemosyna totam sibi missam dari, aut suo defuncto. Nihil enim minus ipse habebit si mille alii petant eandem missam pro seipsis et aliis defunctis, quam si pro ipso solo celebrari dicatur. Immo ex huiusmodi indevotione sic petentis damnum videtur incurrere quod minus sibi proderit” (In q. 79, a. 5).

Jam longe ante Cajetanum, *Walafridus Strabo* († 849) scribebat: “Sed et in hoc *error non modicus videtur*, quod quidam se non posse aliter plenam commemorationem eorum facere pro quibus offerunt, nisi singulas oblationes pro singulis offerant, vel pro vivis et defunctis non simul aestimant immolandam; cum vere sciamus unum pro omnibus mortuum, et unum panem esse et sanguinem quem universalis Ecclesia offert. *Quod si cui placet pro singulis singulatim offerre, pro solius devotionis amplitudine, et orationum augendarum delectatione id faciat, non autem pro stulta opinione qua putet unum Dei sacramentum non esse generale medicamentum*. Quodammodo enim in fide imperfectus est, qui putat Dominum non discernere, quando una petitione pro multis rogatur, quid cui sit necesse: vel fastidire eum aestimat, cum eadem oblatio nunc pro uno, nunc pro alio exhibetur.”⁸³

NOTA 1. *DE SIC DICTA SECUNDA VEL TERTIA INTENTIONE.*

Secunda vel tertia intentio, scilicet applicatio missae pro alio fine vel persona distincta ab ea pro qua missa primario offertur, intelligi potest tripliciter:

Primo, late et improprie, *pro simplici impetratione*, qua Deus exoratur ut intuitu sacrificii velit aliquam gratiam concedere, abstrahendo a fructu sacrificii ex opere operato qui applicatur ei pro quo missa primario et proprie offertur; et de hac intentione nulla est difficultas, quoniam reducit ad commemorationem pro vivis et defunctis quae fit in duplici Memento.

Secundo, intelligi potest strictius, *pro substitutiva applicatione fructus specialis*, quatenus nempe haec intenditur transferri ad alium finem

⁸³ “ De rebus ecclesiasticis, c. 22, M.L. 114, 948.

vel personam sub conditione seu in casu quo prior sit incapax fructum suscipiendi.

“Multi AA. dicunt . . . [hanc] intentionem applicandi fructum satisfactionis ad libitum sacerdotis raro heri posse, quando pro stipendio Sacrum est faciendum; nam, aiunt, intentio dantis stipendium est, ut si is pro quo Missam petiit sit incapax, fructus sibi alterive amico suo applicetur. Practice licet fructum specialem alii applicare *sub conditione* tamen *quod omnino salva sit intentio stipendium dantis*; imo consulendum est, ut Missam, etiam aliquo titulo debitam, applicent intentione secunda omnibus vivis et defunctis, nempe sine praeiudicio illius pro quo applicare tenentur ratione stipendii, curae animarum, promissionis etc.”⁸⁴

Tertio, intelligi potest strictissime et proprie, *pro duplicata applicatione fructus specialis*, salva tamen integritate fructus in favorem primariae intentionis.

De *valore* huiusmodi secundae (vel tertiae) intentionis disputatur; pendet enim a quaestione (nuper affirmative resoluta) an missa applicata pro pluribus aequè prosit singulis ac si pro uno applicetur. Ad *licitatem* vero quod attinet, licita, imo laudabilis ab omnibus indicatur, secunda intentio conditionata (i.e. salvo jure primariae intentionis) si non agatur de applicatione facienda ex aliquo titulo obligationis; secus, distinguendum est: certum est ex lege Ecclesiae sacerdotem non posse per unam missam satisfacere obligationibus ortis ex pluribus stipendiis (cf. *Alexandrum VII*, Denz. 1110, supra cit., p. 1094) vel ex stipendio et ex alio titulo sive iustitiae sive alterius generis (cf. Codicem J.C., can. 825); si vero agatur de obligationibus ortis ex pluribus titulis praeter iustitiam (v.g. ex oboedientia et fidelitate), res controvertitur.

NOTA 2. *DE APPLICATIONE FRUCTUS MISSAE, QUATE-
NUS CONNECTITUR CUM INTENTIONE SACERDOTIS, SE-
QUENTES QUAESTIONES SECUNDARIAE AGITANTUR A
THEOLOGIS, PRAESERTIM MORALIBUS:*

a. An applicatio fructus specialis *pendcat necessario et exclusive ab intentione celebrantis*.

Respondent affirmative tum ex sensu Ecclesiae et fidelium, tum ex ea ratione quod celebrans sit immediatus offerens sacrificii adeoque et immediatus dispensator ejus fructus. Ex quo sequitur quod, *deficiente prorsus* intentione celebrantis, fructus specialis nulli applicetur sed addatur thesauro Ecclesiae; item, quod valida sit applicatio fructus facta a celebrante etiam contra obligationem iustitiae (ut si missam non ap-

M Cappello, De Sacram., v. 1, n. 596, Taurini, 1921, p. 465.

plicat cui debet, puta ratione stipendii accepti) vel contra praeceptum superioris, non secus ac validitas ipsius consecrationis unice pendet ab intentione celebrantis.

Dissentiunt tamen quidam antiquiores, ut *Scotus* et *Biel*, docentes invalidam esse applicationem factam contra obligationem iustitiae vel contra praeceptum superioris.⁸⁵

b. *De proprietatibus intentionis.*

Docent communiter theologi quod ad hoc ut intentio celebrantis sit valida et applicativa fructus debet esse saltem habitualis implicita, absoluta vel absolutae aequivalens, saltem implicite determinata.⁸⁰

c. *De tempore quo intentio elicienda sit.*

Principium communiter admissum est: Intentio applicationis elicienda est antequam persolvatur ea actio in qua essentia missae consistit. Juxta autem disputata in art. 46, certum est essentiam missae absolvi non ante consecrationem nec post communionem, unde certo valida est juxta omnes applicatio facta ante consecrationem, invalida vero quae fit post communionem. Cum tamen plures nec parvi nominis theologi (uti *Salmanticenses*) reponant essentiam missae in consecratione simul et communionem, applicatio facta post utramque consecrationem et ante communionem non est certo invalida, ad iudicium practicum quod attinet; *Salmanticenses**' autem, consequenter ad suam opinionem, simpliciter defendunt huiusmodi applicationis validitatem.

Attamen ex quo doctrina de essentia missae consistente in sola consecratione communissima evasit, theologi docent intentionem eliciendam esse ante consecrationem. Praeterea, quidam, ut *Cappello* (n. 601), pro certo affirmant sufficere ut intentio eliciatur ante consecrationem calicis, i.e. inter utramque consecrationem (congruentius diceretur: ante absolutam consecrationem calicis); alii vero remissius de hoc loquuntur: *Merkelbach* (n. 349) dicit id a multis ut probabile haberi, *Prümmer* (n. 246) id dicit probabilius, *V'ermeersch* (n. 310) probabile, *Gasparri* (n. 470) dubium.

Imo ad praxim et liceitatem quod attinet, ait *Merkelbach*: "Licet multi probabile habeant applicationem valide fieri post iam et ante 2am consecrationem peractam, quia utraque est de essentia sacrificii, in praxi tamen non est licitum ita agere sacerdoti qui ex iustitia, v.g. ex contractu, stipendio aut beneficio, tenetur ad applicandum, quia ipsi committitur valor applicationis, et ideo tenetur facere applicationem

⁸⁰Cf. *Salmanticenses*, De Euch., disp. 13, dub. 5, § 6; *Lugo*, De Euch., disp. 19, sect. 10, n. 210 sqq.

⁸⁵Cf. *Cappello*, De Sacram., v. 1, n. 599 sqq.; *Merkelbach*, De Euch., n. 352 sq.

⁸⁶De Euch., disp. 13, dub. 5, n. 98.

certo validam eamque non exponere periculo nullitatis.^{8'} Quae solutio adhuc hodiernis temporibus est urgenda quia quidam theologi adhuc censent primam consecrationem solam esse de essentia; nec e recentissimis disputationibus hac in re maior facta est certitudo sed potius minor."⁸⁹

d. *De divisione fructuum eucharistici, impetratorii, expiatorii et satisfactorii.*

Valida est divisio fructuum ita ut v.g. fructus impetratorius applicetur ad consequendum aliquod beneficium vel gratiam et satisfactorius ad liberandam aliquam animam ex Purgatorio.

Licita quoque est, juxta omnes, in missis gratuitis, et, juxta plures, in missis *debitis ex oboedientia vel fidelitate*; potest nempe applicari ad alias intentiones unus vel alter fructus qui ad finem praescriptum non conducit, v.g. ubi missa praescribitur vel promittitur in gratiarum actionem potest ordinari fructus impetratorius ad obtinendum aliquod beneficium et fructus satisfactorius in favorem animarum Purgatorii. Licita vero non est in missis *debitis pro stipendio*, etiam si petuntur pro aliquo particulari fine (ut in gratiarum actionem vel in suffragium), quia possunt diversimode prodesse ipsi petenti et hic censetur totum fructum missae velle sibi reservare.

e. *An fructus generalis et specialissimus ministri vel alicuius fidelis possint alienari.*

Negant quidam, ut *Cappello* (n. 579) et *Merkelbach* (n. 350), celebrantem posse aliis applicare fructum *specialissimum* quod sibi contingit; id vero melius affirmant alii, ut *Salmanticenses* (Disp. 13, dub. 6, n. 120) et *Prümmer* (n. 243), cum haec spiritualium bonorum translatio congruat indoli corporis mystici et aliunde ex nulla peculiari ratione excludi probari potest. *Alexander VII* damnavit quidem propositionem asserentem sacerdotem posse duplicatum stipendium accipere applicando alteri fructum specialissimum (Denz. 1108), sed ex hoc non sequitur impossibilitas hujusmodi applicationis.

Quoad fructum specialissimum aliorum fidelium et fructum *generalem* tum sacerdotis tum aliorum fidelium idem proportionaliter dicendum est.

In utroque casu fructus applicatus pluribus minus prodest singulis quam si uni applicetur; est enim finitus, utpote jam mensuratus ex dispositione sacerdotis vel alterius fidelis, cui obtingit.⁹⁰

f. *An qui celebrat ex titulo non gratuito (ex stipendio, justitia, oboe-*

^{8'} Cf. *Haine*, q. 99; *Gasfiarri*, n. 470.

⁸⁹ *Thcol. Moralis*, v. 3, *De Euch.*, n. 349 (1939), p. 290.

⁹⁰ Cf. *Salmanticenses*, *De Euch.*, disp. 13, dub. 6, n. 120.

dientia, fidelitate) teneatur applicare secundum eandem intentionem *non solum fructum specialem, sed etiam proprium fructum generalem et specialissimum, imo et fructum ex opere operantis* proveniente sive ex propria devotione sive ex orationibus Ecclesiae.

Respondent communiter theologi negative, contra paucos antiquiores qui volunt celebrantem obligari ad applicandum fructum orationum Ecclesiae (ita *Vasquez*) vel propriae devotionis (ita *Martinus de Ledesma*).

ART. 54. Utrum Fructus Immediatus Vel Medius Sacrificii Missae Sit Expiatio Seu Remissio Peccati Mortalis Et Venialis, Satisfactio Seu Extinctio Poenae Temporalis, Impetratio Tum Primae Gratiae, Tum Augmenti Gratiae, Tum Aliorum Auxiliorum Supernaturalium, Tum Temporalium Quorumcumque Bonorum.

STATUS QUAESTIONIS

Agitur *de effectibus* seu fructibus missae *in particulari ac singillatim*, quos in art. 49 consideravimus modo generico sub distinctione finis impetratorii et propitiatorii (expiatorii et satisfactorii). Convenienter coniungitur quaestio *de modo*, immediato vel mediato, quo causantur, quippe quae complet quaestionem de modo ex opere operato et infallibili, agitatam in art. 51.

Quoad *Partem Negativam* et *Partem Affirmativam* nihil est addendum his quae retulimus in iisdem art. 49 et 51, nisi quod iterum aliqua diversitas observatur apud theologos circa modum causandi immediatum vel mediatum, ut ex mox dicendis patebit.

CONCLUSIO *affirmativa*.

Probatur per partes.

PRIMA PARS: Expiatio seu remissio peccatorum mortalium est huius sacrificii fructus, quamvis medius.

Remissionem peccati mortalis *esse fructum* missae nemo theologorum in dubium vertit. Est enim manifesta *doctrina Ecclesiae contra Protestantos* (cf. *Cone. Trid.*, sess. 22, cap. 2 et can. 3, cit. in p. 846 sq.) et *Traditionis* (cf. art. 49, p. 1058 sq.), atque variis fulcitur *rationibus* superius expositis (in art. 49, p. 1057 sq.).

Dices. Si remissio peccati mortalis esset fructus missae, peccator, pro quo missa applicatur, infallibiliter converteretur (quod factis adversatur); nam hoc sacrificium habet efficaciam ex opere operato et infallibiliter, ut dictum est in art. 51.

Resp. Missa infallibiliter remittit peccatum mortale in causa et quantum ad sufficientiam auxiliorum, non vero directe et in se, quia, ut mox dicetur, hic non est immediatus fructus hujus sacrificii, sed mediatum tantum.

Remissionem peccati mortalis esse *fructum tantum mediatum*, ita nempe quod per hoc sacrificium non directe aufertur peccatum, sicut per sacramenta Baptismi et Poenitentiae, sed confertur tantum auxilium impellens ad actum poenitentiae, quo sacramentaliter vel extrasacramentaliter homo consequitur gratiam justificationis, negatum est ab uno vel altero ex antiquioribus, affirmatur vero communissime a theologis cum S. *Thoma* scribente: “Peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat” (In 4 Sent., dist. 12, q. 2, a. 2, q. 2, ad 4; cf. hic, q. 79, a. 7, ad 2).

Ratio est:

Primo, quia hoc satis clare innuitur in verbis *Cone. Trid.* (sess. 22, cap. 2): “Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit” (Denz. 940).

Secundo, quia haec est differentia inter sacramentum et sacrificium, quod sacramentum est directe ordinatum in bonum spirituale hominis adeoque ei competit immediatam efficaciam in hominis sanctificationem; sacrificium vero est directe ordinatum in bonum Dei seu ad cultum divinum per agnitionem divini dominii; ex hac autem agnitione qua Deus placatur, seu homini propitius fit, non sequitur necessario et immediate quod Deus homini conferat justificationem sed tantum quod ei praebeat auxilium quo justificari possit.

Tertio, quia si remissio peccati mortalis esset immediatus effectus sacrificii, sacramentum Poenitentiae non esset simpliciter necessarium lapsis post Baptismum.

Quarto, quia inde sequeretur celebrantem cum conscientia peccati mortalis, offerendo sacrificium cum attritione sui peccati, eo ipso justificari, indeque licitam esse celebrationem in statu peccati.

Quinto, quia ex nulla solida ratione contraria sententia deduci potest.

Dices 1. Sicut de sacramento Poenitentiae dicitur in Joan. 20. 23: “Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis” ita de sacrificio missae dicitur in Matth. 26, 28: “Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.” Ergo sicut ex Scriptura colligitur sacramentum Poenitentiae esse institutum ad directe remittenda peccata, sic etiam idem colligi potest quoad sacrificium missae.

Resp. Ex Scriptura colligitur utrumque esse institutum ad peccata

remittenda, juxta propriam tamen naturam, adeoque unum immediate, alterum mediate, juxta diversam indolem sacramenti et sacrificii.

Dices 2. Cone. Trid. (sess. 22, can. 3) distinguit fructum missae in impetratorium et propitiatorium; si autem missa remitteret peccata non directe sed impetrando gratiam poenitentiae, ejus fructus esset tantum directe et per se impetratorius.

Resp. Distinctio fructus in impetratorium et propitiatorium (expiatorium et satisfactorium) sumitur ratione ipsorum effectuum, non vero ratione modi quo causantur; nam proprius modus efficaciae sacrificii est modus impetrationis (ut dictum est, in art. 51, p. 1065) quae subinde influit in proprios effectus mediate vel immediate, juxta eorum naturam.

SECUNDA PARS: Remissio peccatorum venialium est etiam mediatus fructus hujus sacrificii.

Remissionem venialium *esse fructum* hujus sacrificii sequitur, et a fortiori, ex iisdem rationibus invocatis quoad remissionem peccatorum mortalium; hae enim respiciunt peccata in genere, et consequenter valent a fortiori quoad efficaciam sacrificii ad delenda peccata venialia, quod enim potest magis, potest minus.

Idipsum videtur etiam sufficienter innui in nuper citatis (p. 1101) verbis *Cone. Trid.*: “Peccata *etiam* ingentia dimittit”.

Remissionem venialium *esse fructum tantum mediatum*, eo nempe sensu quod per hoc sacrificium infallibiliter conferuntur auxilia impellentia ad eliciendum actum caritatis, per quem immediate venialia extinguuntur, docet communis sententia, paucis tantum contradicentibus, uti *Cano, Nugno, Valentia* et *Henriquez*.

Ratio est quia peccatum veniale non potest excludi nisi per actum caritatis, in quo includitur peccati retractatio, nequit enim una forma excludi nisi per contrariam, forma autem contraria peccato veniali est fervor actus caritatis, cum ipsum peccatum veniale consistat non in privatione gratiae habitualis sed in privatione fervoris caritatis (cf. q. 87; De malo, q. 7, a. 11 et 12). Jamvero sacrificium missae nequit immediate causare actum caritatis, cum hic sit actus vitalis qui ab ipso homine immediate procedere debet.

Dices. Sacramentum Poenitentiae remittit directe peccata mortalia habenti attritionem, quae tamen de se sola non sufficit ad justificationem; facit enim de attrito contritum. Similiter ergo concipi potest sacrificium remittere directe peccata venialia, quatenus nempe si quis habeat de peccatis venialibus aliquam displicentiam insufficientem ad eorum deletionem, haec coniuncta sacrificio fiat ad id sufficiens.

Hoc sensu quidam, ut *Gonet*, *Billuart* et *Hugon*, putant dici posse sacrificium remittere venialia immediate.

Resp. Negatur cons. et paritas. Nam sacramentum Poenitentiae causât immediate gratiam sanctificantem, per quam peccata mortalia formaliter excluduntur uti per formam sibi contrariam, et hoc sensu mutat attritionem in contritionem. Sacrificium vero immediate non causât formam per quam peccata venialia excluduntur, scilicet actum displicentiae caritatis, adeoque nequit imperfectum et insufficientem actum displicentiae mutare in meliorem et sufficientem.

TERTIA PARS: Satisfactio seu extinctio poenae temporalis pro peccatis debitae est immediatus fructus huius sacrificii.

Extinctionem poenae esse fructum sacrificii est de fide definita a *Cone. Trid.* (sess. 22, can. 3; cf. sess. 25, decr. de Purgatorio).

Probatur autem tum ex eo quod sacrificium prodest animabus Purgatorii (cf. *Cone. Trid.*, *ibid.*, et Patres citatos in art. 49, p. 1059-1061), adeoque per poenarum solutionem (si autem sic prodest defunctis, a pari et a fortiori prodest et vivis), tum ex variis rationibus quibus supra (art. 49, p. 1057 sq.) ostensum est hoc sacrificium esse propitiatorium, propitiatio enim refertur non solum ad expiationem peccatorum sed etiam et consequenter ad satisfactionem pro poenis ex peccatis debitibus.

Extinctionem poenae esse fructum immediatum huius sacrificii admittitur communissime a theologis.

Ratio est quia extinctio poenae, secus ac deletio peccati venialis, quamvis possit a Deo concedi consequenter ad actum bonum liberi arbitrii (ut contingit in satisfactione ex opere operantis), tamen non necessario dependet a tali actu, sed ab actu voluntatis Dei creditoris; unde potest etiam fieri mere ab extrinseco per immediatam applicationem efficaciae sacrificii, nec necesse est ut causetur, sicut deletio peccati venialis, mediantibus auxiliis quibus voluntas hominis impellatur ad eliciendum actum bonum satisfactorium.

Quidam theologi dicunt hunc fructum causari tantum *partialiter*, secus frustranea esset praxis applicandi plures missas pro eadem persona.

' !,

Rectius dicitur extinctionem poenae fieri totaliter vel partialiter juxta subiecti dispositiones (ceteroquin vario modo dijudicandas); nam, ut dictum est in art. praec., efficacia missae est de se infinita nec aliter limitatur quam juxta mensuram dispositionis recipientis. Multiplicatur autem missae applicatio pro eadem persona quia nequit judi-

cari de gradu dispositionis et communiter contingit illuni esse inadaequatum ad totalem poenae remissionem consequendam.

Quidam etiam, ut *Cano*, dubitant de *injaliibHitate* huius effectus relate ad defunctos, quia, aiunt, fructus sacrificii applicatur illis ad modum suffragii seu juxta beneplacitum divinum, adeoque non infallibiliter.

Cum communi sententia theologorum (cf. *Suarez*, Disp. 79, sect. 10; *Vasquez*, Disp. 228, cap. 4; *Salmanticenses*, Disp. 13, dub. 5, n. 91) et congruenter cum dictis in art. 51 de infallibili efficacia missae, dicendum est etiam animabus Purgatorii, et quidem iisdem personis quibus missa applicatur (in hoc iterum dissentiunt alii theologi, ut *Hugon* et *Cappello*}, infallibiliter obvenire fructum satisfactorium missae, quamvis secundum mensuram dispositionis subiecti, juxta dicta in art. praec. (p. 1088 sq.).

Haec ceterum sententia melius congruit tum *praxi Ecclesiae* instanter applicantis missas pro defunctis, et quidem pro determinatis personis, tum verbis *Cone. Trid.*: “Animas ibi [in Purgatorio] detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuvari” (Decr. de Purgatorio, Denz. 983); vox enim “potissimum” plenum sensum non haberet si per sacrificium animae juvarentur non infallibiliter, sicut per alia suffragia.

Exinde tamen nequaquam sequitur eos, pro quibus major numerus missarum applicatur (puta ditiores), citius quam alii necessario a Purgatorio liberari, nam hi possunt, ob meliorem dispositionem, majorem fructum consequi ex paucioribus missis; bene vero sequitur quod eadem persona citius a Purgatorio liberatur quo major est numerus missarum pro ipsa oblatarum.

QUARTA PARS: Impetratorius fructus sacrificii est omne bonum tum supernaturale tum temporale, ita tamen ut *infusio primae gratiae* et *augmentum gratiae* sint *fructus tantum mediatum*, *auxilia vero gratiae actualis* et *bona temporalia* sint *fructus immediatus*.

Quoad *infusionem primae gratiae* valent dicta de remissione peccatorum mortalium, tam quoad *existentiam* quam quoad modum *mediati influxus*, siquidem in praesenti statu remissio peccati et infusio primae gratiae sunt idem, sicut corruptio unius est generatio alterius.

Quoad *augmentum gratiae* nulla est difficultas de *existentia*:a huius fructus quae deducitur ex rationibus allatis in art. 49 (p. 1057 sq.); de *modo* vero disputatur, communiter theologis contra paucos (ut *Biel* et *Toleto*}) sentientibus hunc effectum causari per sacrificium mediate tan-

tum, quatenus nempe impetrat auxilia ad eliciendum actum quo gratia augetur per viam meriti.

Ratio est quia nullum solidum argumentum afferri potest ad vindicandam sacrificio tam singularem efficaciam, supra virtutem ipsorum sacramentorum, qua immediate conferatur augmentum gratiae omnibus justis, eo ipso quod eis ab extrinseco et absque eorum cooperatione applicetur sacrificium.

Praeterea exinde haec inconuenientia sequerentur: 1. non plene saluaretur distinctio efficacitatis inter sacramenta et sacrificium, signanter inter Eucharistiam ut sacramentum et Eucharistiam ut sacrificium; 2. augetur gratia infantibus ex applicatione sacrificii et infans, pro quo multa sacrificia offerrentur, posset esse sanctior adulto qui multos annos in exercitio virtutum et laboribus poenitentiae vixerit; 3. adultus, tepide vivens, ope plurium missarum applicationis posset evadere sanctior eo qui vitam ferventem ducit; 4. adultus, ignorans sacrificium sibi applicari, consequeretur gratiam absque ulla cooperatione seu motu liberi arbitrii.

Quoad *supornaturalia auxilia gratiae actualis*, patet ipsa conferri per sacrificium *immediate*, cum, mediantibus illis ut dictum est, sacrificium influat in remissionem peccati tam mortalis quam venialis et in collationem gratiae tam primae quam secundae.

Quoad *bona temporalia* (quatenus indirecte conferunt ad aeternam salutem) efficacitas sacrificii indubia est; proponitur enim a *Cone. Trid.* in generalibus expressionibus “pro aliis necessitatibus” et “bona omnia” (sess. 22, can. 3 et cap. 1, cit. in p. 845-847); fundat *proxim Ecclesiae* applicandi missam ad temporales fines, imo sic dictas missas votivas ad eos fines ordinandi (cf. Missale Romanum: Missa tempore belli; pro pace; pro vitanda mortalitate; pro peregrinantibus et iter agentibus; pro infirmis; pro quacumque necessitate); sequitur ex *rati-onibus* propositis in art. 49 (p. 1057 sq.) suadet ex paritate cum efficacia in gratiam et effectus spirituales, nam et bona temporalia ad salutem conferre possunt ac pro tanto spiritualibus assimilari.

Bona temporalia conferri *immediate* per sacrificium exinde patet quod ex una parte ipsa non pendent immediate et necessario ab aliquo actu liberi arbitrii, qui indigeat excitari per praeuia auxilia, et ex alia parte nulla inconuenientiae ratio apparet quare ipsa non possint immediate conferri intuitu sacrificii.

Immerito quidam dubitant de *injallibilitate* hujus fructus vel eam simpliciter negant, eo quod de facto non semper obtineantur bona temporalia quae per sacrificium petuntur. Haec enim ratio inepta videtur,

quia omnis efficacia sacrificii, non secus ac sacramenti et orationis, vere infallibilis dicitur quamvis effectus frustrari possit tum ob defectum dispositionis in subjecto, tum ob defectum conditionis in objecto, cum nempe, omnibus perpensis circumstantiis, hoc non confert ad salutem.

ART. 55. Utrum Efficacitas Impetratoria Et Propitiatoria Sacrificii Missae Sit Applicabilis Omnibus Et Solis Vivis Ac Defunctis In Statu Ultimi Termini Nondum Constitutis (q. 79, a. 7, ad 2; In 4 Sent., dist. 12, q. 2, a. 2, q. 2, ad 4; Suppi., q. 21, a. 1; q. 71, a. 5-9).⁹¹

STATUS QUAESTIONIS

Post quaestiones de fine cuius (art. 49-54) logice sequitur sermo *de fine cui* sacrificii missae, seu de subjecto applicationis efficacitatis ejus, ut sic satisfiat ultimae quaestioni effati *Augustiniani* (cf. p. 785), i.e. "*pro quibus offeratur*".

Ceterum plura quae ad hanc quaestionem referuntur praelibari oportuit in superioribus articulis, scilicet in art. 49, ubi generice probata est existentia et vis finis impetratorii et expiatorii, prolatis quidem testimoniis pro *Parte Negativa* et *Parte Affirmativa*, in art. 51, ubi probatum est missam habere efficaciam ex opere operato et infallibiliter, in art. 53, ubi dictum est fructum sacrificii conferri non omnibus indiscriminatim sed juxta subjecti dispositiones et conditiones, et in art. 54, ubi explanatus est modus quo varii sacrificii fructus applicantur.

CONCLUSIO

Subjectum capax fructus impetratorii et propitiatorii sacrificii missae sunt omnes et soli vivi ac defuncti in statu ultimi termini nondum constituti, omnes nempe praeter beatos, damnatos et limbo addictos.

Subjectum validae seu fructuosae applicationis est omne subjectum capax, non obstante praecepto Ecclesiae quo quidam excludantur ab applicatione sacrificii.

Subjectum licitae applicationis est quicumque tali praecepto non excludatur.

Probatum.

Quoad subjectum capax, assertum sequitur ex eo quod efficacia sacrificii missae mensuratur juxta efficacitatem sacrificii crucis, cum sit

¹ Cf. *Lugo*, De Euch., disp. 19, sect. 10; *Salmanticenses*, De Euch., disp. 13, dub. 4; *De la Taille*, *Mysterium Fidei*, elue. 29-32; *Lehmkuhl*, *Theol. Moralis*, De Euch., sect. 2, c. 1, a. 3, § 1; *Cappello*, De Sacram., v. 1, n. 584-590.

istius applicativa. Jamvero sacrificium crucis pro omnibus hominibus oblatum est. Ergo etiam sacrificii missae efficacia extenditur ad omnes vivos et defunctos, exceptis his qui, utpote in statu ultimi termini constituti, ex ipsa natura rei excluduntur, scilicet beatis, quorum beatitudini nihil addi potest quique nullum habent peccatum expiandum aut poenam luendam, damnatis et limbo addictis, quorum damnationis vel exclusionis status est immutabilis.

Confirmatur ex paritate cum subjecto orationis. Sicut nempe omnibus praedictis prodest oratio, ita et sacrificium, cum praesertim sacrificium influat ad modum impetrationis, quamvis ex opere operato.

Quoad subjectum validae seu fructuosae applicationis, assertum negatur a quibusdam, ut *Billot* et *Lehmkuhl* (ed. 1898, n. 176), defenditur vero a pluribus ex illis theologis qui hanc quaestionem explicite tangunt, inter quos *Suarez* (De Censuris, disp. 9, sect. 4), *Salmanticenses* (Disp. 13, dub. 4, n. 67 sq.), *Merkelbach* (n. 356 sq.), *Noldin* (n. 178).⁰²

Ratio est quia Ecclesia nequit invalidare applicationem sacrificii factam nomine Christi subjecto capaci, aut hoc incapax reddere, quemadmodum nequit invalidare ipsam oblationem sacrificii et confectionem sacramenti.

Opponit Billot: "Est autem haec differentia inter sacramenta et sacrificium, quod sacramenta utpote efficacia per modum efficientiae, valide applicari possunt etiamsi indebite ministrentur; sed sacrificium cuius tota efficacia sita est in impetratione, non applicatur valide nisi applicetur etiam secundum ius: quippe, nulla impetratio apud Deum valet, quae non fit debito modo."⁰³

Respondetur quod, quamvis missa sicut omne sacrificium, influat ad modum impetrationis, hanc tamen efficaciam habet *ex opere operato*, quatenus impetratio Christi quae est ex opere operantis habet relate ad nos influxum ex opere operato, ut dictum est in art. 51. Ex quo sequitur sacrificium missae assimilandum esse sacramentis, quod atinet ad independentiam efficacitatis eius a voluntate Ecclesiae.

Confirmatur 1. ex eo quod, non obstante prohibitione Ecclesiae ministrandi sacramentum excommunicato, haec ministratio, illicite posita a sacerdote, fructuosa est subjecto si in eo obex non adsit praeter censuram; 2. ex paritate cum validitate applicationis in casu (resoluto superius in p. 1097 sq.) quo sacerdos applicat ad unam intentionem missam quam Ecclesia praecipit applicandam ad aliam intentionem.

⁰² Confer cognatam quaestionem resolutam in art. 53 (p. 1097 sq.).

⁰³ De Ecd. Sacram., t. 1, thes. 55, Romae, 1914, p. 634 sq.

Dices. Ecclesia est offerens huius sacrificii. Non ergo valet applicatio sacerdotis quae sit contraria intentioni et voluntati Ecclesiae.

Resp. Offerens principalis huius sacrificii est Christus; Ecclesia vero est offerens secundarius seu instrumentalis, et quidem non immediate sed per ipsum sacerdotem. Valet igitur applicatio facta nomine Christi, etiam renitente Ecclesia.

Quod *si instes* Ecclesiae ut offerenti respondere fructum aliquem sacrificii, qui proinde nequit applicari, deficiente Ecclesiae intentione, *respondent quidam* (ut *Noldin*, n. 178) concedendo illationem, ex qua tamen non excluditur applicatio fructus dependentis ab intentione ipsius sacerdotis offerentis nomine Christi. *Attamen melius respondetur* in ipsa applicatione facta contra prohibitionem Ecclesiae non deesse intentionem ipsius Ecclesiae offerentis nec proinde fructum sacrificii ullatenus frustrari etiam partialiter.

Nam tum in Ecclesia tum in ipso Christo distinguere oportet duplicem voluntatem: aliam, quod sacerdos agat secundum propriam potestatem sui ordinis cui competit fructum sacrificii applicare, aliam, ne peccet in usu huius potestatis violando ordinem sive iustitiae sive oboedientiae. Unde sacerdos, applicans fructum sacrificii alicui subjecto quod ab illius participatione excluditur ab Ecclesia (puta excommunicato vitando), agit contra alteram voluntatem Ecclesiae, non vero contra priorem, et ita dici potest adhuc applicare nomine et secundum intentionem Ecclesiae. Nec aliter contingit in casu administrationis sacramentorum per haereticos, qui vere dicuntur habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia quamvis aliunde peccent et agant contra voluntatem Christi et Ecclesiae.

Ad praxim quod attinet, ex dictis sequitur sacerdotem applicantem missam contra Ecclesiae voluntatem vel prohibitionem non teneri ad restitutionem stipendii, eo quod talis applicatio sit valida, quamvis illicita (cf. *Noldin*, n. 178; *Merkelbach*, n. 357).

Quoad subjectum licitae applicationis, assertum sequitur ex eo quod ex una parte nulla habetur lex divina positiva excludens aliquod subjectum capax a perceptione fructus sacrificii et ex alia parte Ecclesia jus habet huiusmodi exclusionem, iustis de causis, statuendi, ut constat tum a priori, ex eo quod Ecclesiae sit concredita custodia et administratio sacramentorum, tum a posteriori, ex antiqua praxi ipsius Ecclesiae.

Quaenam in hac re fuerit antiqua disciplina aliquatenus constabit ex dicendis in decursu articuli, nec ceterum multum refert ad hodiernam praxim. *Jus vero novum, in Codice J.C. consignatum*, haec determinate statuit:

Can. 809: "Integrum est Missam applicare pro quibusvis tum vivis,

tum etiam defunctis purgatorio igne admissa expiantibus, salvo praescripto can. 2262, § 2, n. 2.”

Can. 2262, § 2, n. 2: “Sacerdotes Missam privatim ac remoto scandalo pro eo [excommunicato] applicare [non prohibentur]; sed, si sit vitandus, pro eius conversione tantum.”

Ad huius conclusionis elucidationem, secundum tres ipsius partes, et ad quasdam peculiare theologorum sententias judicandas, praecipuas personarum classes singillatim considerare juverit, vivos scilicet, mortuos in Purgatorio detentos et eos qui in statu ultimi termini sunt constituti.

I. *DE MEMBRIS ECCLESIAE*, seu de baptizatis a corpore Ecclesiae non praecisis.

Pro his omnibus sacrificium offerri potest. Imo de facto pro omnibus collective, generali intentione, offertur ab Ecclesia litante pro Ecclesia. Juxta illud enim ad Hebr. 5, 1-3: “Omnis . . . pontifex . . . debet . . . pro populo . . . offerre”, offert sacerdos in Canone missae “pro Ecclesia . . . sancta catholica” et “omnibus orthodoxis, atque catholicae, et apostolicae fidei cultoribus.” *Cone. Trid.* (sess. 22, can. 3) universalitatem huius applicationis involvit in generalissima expressione “Pro vivis et defunctis”.

Exinde sequitur missam applicari posse etiam pro infantibus, pro peccatoribus et pro energumenis, ut inde fructum percipiant, juxta eorum conditionem et dispositionem.

Injantibus sacrificium prodest non quantum ad fructum propitiatorium, cuius sunt incapaces (utpote peccati et poenae expertes), sed quantum ad impetratorium, v.g. ad obtinendam aut conservandam sanitatem corporalem vel etiam ad hoc ut perseverent in statu gratiae tempore quo ad usum rationis pervenient.

Peccatoribus prodest non quantum ad fructum satisfactorium (qui statum gratiae supponit) sed quantum ad alterum fructum propitiatorium, i.e. expiatorium (ad obtinendam nempe conversionem), et quantum ad effectum impetratorium.

Energumenis sacrificium applicari posse inepte quis in dubium revocaret, tum quia ipsi sunt fructus capaces, sive peccatores sint sive non. tum quia id ab Ecclesia nec prohibetur nec unquam prohibitum est. Huiusmodi autem prohibitionem non continet can. 29 *Cone. Eliberitani* (a. 300): “Energumentum qui erratico spiritu exagitur, *hujus nomen* neque ad altare cum oblatione esse *recitandum*, neque permittendum ut sua manu in ecclesia ministret” (M.L. 130, 416). Imo in *Const. Apost.* 8, 12, 47, inter orationes sacrificii legitur: “Rogamus te . . .

pro iis, qui ab adversario iactantur . . . ut . . . [eos] mundes a vexatione mali” (Kirch, *Enchir. hist, eccl.*, 686).

Nota 1. Quaerunt theologi, praesertim moderni, utrum major fructus percipiatur ex assistentia missae an ex ejus applicatione.

Respondent *Sporer* (n. 254), *Lehmkuhl* (n. 186), *Cappello* (n. 628) post *Tamburini* (*Method, celebr.*, 1. 2, cap. 2, § 14) et *Lugo* (*Disp.* 19, sect. 11, n. 234), id vix universim decidi posse, cum maxime pendeat a dispositione ejus qui missae assistit vel pro quo missa offertur, generaliter tamen haec statui posse:

“Fructus impetrationis facilius et uberius percipitur ab eo, qui Missae devote assistit; fructus, contra, satisfactionis amplior habetur ex Missae applicatione. Item fructus propitiationis maior est ex oblato sacrificio Missae, quam ex sola assistentia. Proinde si agitur de utilitate pro defunctis, certe melius est, ut quis Missam pro iis applicandam curet, quam ut Missae pro iisdem assistat, licet divina misericordia etiam in hoc casu supplere et compensare possit ac reapse aliquando compenset; pro vivis utilius esse potest Missae assistere, quam Missam dicendam et applicandam curare, nisi forte impetrationi efficaci poenae spiritualis reatus obstet, qui propitiatione delendus sit.”⁰¹

Attamen, abstrahendo a fructu *ex opere operantis* qui maxime obvenit ei qui missae assistit sed de quo non est praesens quaestio, videtur haec decidenda esse non ex distinctione inter fructum propitiatorium, satisfactorium et impetratorium, sed tum ex distinctione inter fructum specialissimum qui obvenit assistenti atque offerenti stipem et fructum specialem qui obvenit ei pro quo missa offertur, tum ex triplici disputata quaestione: an fructus specialis sit major specialissimo, saltem eo qui non sacerdoti sed coofferenti obvenit (quod videtur certo affirmandum), an fructus specialissimus stipem dantis sit major quam assistentis (quod probabiliter affirmatur cum *De la Taille*; cf. supra, p. 1046), et an uterque fructus specialissimus possit alienari (quod ut probabilius affirmavimus supra, p. 1099).

Hinc, omnibus consideratis, dicendum videtur simpliciter loquendo majorem fructum percipi ex applicatione missae quam ex simplici auditione, quia fructus specialis excedit fructum specialissimum et fructus specialissimus stipem dantis major est quam assistentis.

Nota 2. “Quaerunt theologi, utrum qui eodem tempore pluribus Missis assistit, de fructibus omnium participet, vel unius tantum.

“Nonnulli censent participare de fructibus omnium, quia nil vetat quominus praesentia atque attentio requisita tamquam conditio ad

Cappello, *De Sacram.*, v. 1, n. 628, Taurini, 1921, p. 494 sq.

fructum percipiendum, pluribus Sacris simul exhiberi possit; alii negant. Primae sententiae, utpote communiori et longe probabiliori, adhaeremus." Ita *Cappello*TM

II. *DE CATECHUMENIS*, i.e. de his qui, quamvis nondum baptizati, saltem fidem Christi (de facto frequenter etiam statum gratiae) habent.

De istorum *capacitate ad fructum sacrificii* percipiendum, necnon *à liceitate applicandi missam pro eis, triplex datur sententia:*

Quidam pauci, ut Vasquez (Disp. 227, cap. 3 et 4), Azor, Granados, Caspar Hurtado, et inter modernos Billot, docuerunt catechumenos nullius fructus esse capaces adcoque pro eis missam nullo modo applicari posse.

Rationes quas afferunt sunt sequentes:

1. Sacrificium prodest tantum his qui sunt membra Christi per Baptismum, juxta illud *Augustini*: "Quis enim offerat corpus Christi, nisi pro eis qui membra sunt Christi? . . . Nemo fit membrum Christi, nisi aut Baptismate in Christo, aut morte pro Christo" (De anima, l. 1, c. 9, n. 10, M.L. 44, 480).

Ad rem *Billot*: "Sacrificium . . . novae legis quoad opus operatum est proprium Ecclesiae bonum, non secus ac sacramenta; quare, sicut non licet ministrare sacramenta iis qui sunt extra Ecclesiam, ita nec licite iisdem videtur posse applicari opus operatum missae. Est autem haec differentia inter sacramenta et sacrificium, quod sacramenta utpote efficacia per modum efficientiae, valide applicari possunt etiamsi indebite ministrentur; sed sacrificium cuius tota efficacia sita est in impetratione, non applicatur valide nisi applicetur etiam secundum ius: quippe, nulla impetratio apud Deum valet, quae non fit debito modo."⁹⁸

2. Catechumeni non sunt capaces fructus Eucharistiae ut sacramenti; ergo neque ut sacrificii.

3. Sacrificium non prodest catechumenis defunctis (cf. infra, p. 1132); ergo a pari, imo a fortiori, nec prodest vivis.

4. Ecclesia non orat pro catechumenis nisi in Parasceve, quando non offert sacrificium; ceterum sacrificium offerre est plus quam simpliciter orare.

Alii plurcs, inter quos praecipue Suarez (Disp. 78, see. 2; Disp. 79, sect. 10) et Lugo (Disp. 19, sect. 10), docent catechumenos esse capaces fructus impetratorii, non vero fructus satisfactorii. Huic sen-

L. c., n. 578, p. 450.

*De Eccl. Sacram., t. 1, thes. 55, Romae, 1914, p. 654 sq.

tentiae favere videntur inter modernos *Lehmkuhl* (n. 176-179) et *Noldin* (n. 178).

Ratio est quia fructus satisfactorius sacrificii datur tum immediate personae pro qua litatur, tum ex opere operato ad instar effectus sacramentorum, unde sicut hic solis baptizatis conferri potest, ita et ille.

Potestas enim applicandi sacramenta, sacrificium, indulgentias et alia hujusmodi, data est Ecclesiae ad pascendos eos qui sunt visibilia ejus membra seu baptizati. Unde "quamvis fructus redemptionis et passionis Christi, quae per hoc sacrificium repraesentatur, extendatur ad omnes etiam non baptizatos, prout ab ipso Christo immediate procedit: prout tamen per Ecclesiam, et ejus ministros applicatur, solum communicatur iis qui sunt visibilis ecclesiae membra per Baptismum. . . Licet Christus aequè posset offerre pro . . . non baptizato, et applicare illi suam satisfactionem; noluit tamen: quia sicut catechumeni non sunt membra Christi visibiliter et exterius, sed interius; sic Christus influit et communicat illis effectus interiores, illos autem effectus, qui exterius et per visibilia signa conferuntur, quale est sacrificium, confert illis, qui etiam exterius et visibiliter sunt ejus membra; quibus etiam visibilis influxus convenit."⁹⁷

Nec inde sequitur quod eadem ratione excludendus esset etiam fructus impetratorius, "quia impetratio non respicit immediate personam cui confertur beneficium, sed illam quae postulat: unde qui petit sanitatem equi, non dicitur offerre pro equo, sed pro se, ut impetret sibi immediate illud beneficium. Cum ergo non sit minus beneficium offerentis salus spiritualis filii vel amici, quam sanitas equi; poterit etiam offerre ad illam impetrandam. Quamvis ergo immediate non posset offerri pro non . . . baptizatis, quia ipsi capaces non sunt fructus hujus sacrificii, poterit offerri pro baptizato, qui postulat tanquam beneficium proprium, illud quod non baptizato confertur."⁹⁸

Alii, ut *Salmanticenscs* (Disp. 13, dub. 4, n. 58-61), *Pasqualigo*, *Sporer* (n. 275), *De la Taille* (elue. 31, p. 379 sq.), *Gasparri* (n. 487), *Bucceroni* (n. 610), *Cappello* (n. 585 sq.), *recte docent*, saltem ut probabilius, catechumenos *esse capaces utriusque fructus*, impetratorii et propitiatorii, tam expiatorii pro peccatis, quam satisfactorii pro poenis (si habent, ut patet, non solum fidem in Christo sed etiam statum gratiae).

Rationes autem quibus ostenditur catechumenos esse capaces fructus saltem impetratorii sunt sequentes:

⁹⁷ *Lugo*, De Euch., disp. 19, sed. 10, n. 166 et 172, Parisiis, 1892, p. 276. 278.

⁹⁸ *Lugo*, *ibid.*, n. 179, p. 280.

1. Efficacia sacrificii crucis, quae per sacrificium missae applicatur, extenditur ad omnes homines, ut dictum est supra (p. 1106 sq.).

2. Efficacia sacrificii ad eadem subiecta extendi debet ad quae efficacitas orationis extenditur, cum praesertim sacrificium influat ad modum impetrationis.

3. Verba consecrationis calicis “Qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum”, tum in ore Christi in coena tum in ore Ecclesiae in missa, significant sacrificium prodesse non solum membris Ecclesiae (“Pro vobis”) sed generice et absque determinatione etiam aliis (“Pro multis”), et praecipue catechumenis qui propius accedunt ad unitatem Ecclesiae.

4. Infideles, quamvis fide careant, et baptizati praecisi ab unitate Ecclesiae (excommunicati, schismatici et haeretici), quamvis sua culpa non sint membra Ecclesiae, sunt capaces huius fructus, ut mox probabitur. Ergo a fortiori catechumeni, quippe qui habent saltem fidem Christi et communiter ipsum statum gratiae, nec sua culpa sunt extra Ecclesiam, quinimmo uniuntur Christo et Ecclesiae saltem initialiter per fidem et communiter sunt etiam per gratiam sanctificantem membra Christi et in anima Ecclesiae.

5. Sacrificium prodest catechumenis defunctis, ut ostendetur infra (p. 1132 sq.); ergo et vivis, cum nulla sufficiens disparitatis ratio assignari valeat.

6. *Praxis Ecclesiae* fuit, et est, offerendi sacrificium etiam pro catechumenis.

Constitutiones Apostolorum (circa 400), 8, 12, 47, inter orationes sacrificii, et quidem in ipsa Anaphora, in qua intentio applicationis sacrificialis censetur exprimi, habent: “Rogamus te pro Ecclesiae catechumenis . . . ut . . . [eos] perficias in fide” (Kirch, *Enchir. hist. eccles.*, 686).

Chrysostomus, In Joan., hom. 78, n. 4: “Ideo et in mysteriis inter nos osculamur, ut multi unum efficiamur; et pro non initiatis communes effundimus preces, pro infirmis, pro orbis fructibus, pro terra et mari. Viden totam caritatis vim?” (M.G. 59, 426).

Augustinus, Epist. 217 (ad Vitalem), 1, 2, praxim Ecclesiae testatur, dum scribit: “Audis sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem, et pro catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret” (M.L. 33, 978).

Inepte *Vasquez* ad haec et similia documenta *respondet* Ecclesiam quidem orare intra missam tam pro catechumenis quam pro infidelibus, non tamen ipsum sacrificium pro eis offerre. Nam, ut scite respondet *Lugo*: “Primo . . . Ecclesia fere nunquam explicat in actu signato, se

offerre pro impetranda hac vel illa re, sed solum orat pro illa re, dum sacrificium celebrat; et hoc ipsum est in actu exercito offerre ad illam impetrandam. Secundo pro catechumenis Ecclesia non solum orat, sed offert explicite, ut constat ex libro, qui inscribitur '*Ordo Romanus*', in c. cui titulus est: 'Incipit ordo, vel denuntiatio scrutini ad electos', etc.'⁸⁰

Praedictus *Ordo Romanus* (a Mabillone editus), n. 3, habet: "Item infra Actionem, 'Hanc igitur'; expleta autem recitentur nomina electorum [ad Baptismum]. Postquam recitata fuerint, dicit: 'Hos, Domine, fonte baptismatis innovandos'. Finita vero Missarum solemnia, communicent omnes praeter ipsos infantes" (M.L. 78, 996).

Ut patet ex *Sacramentario Gelasiano*, l. 1, c. 26-28, in dominicis tertia, quarta et quinta in Quadragesima quae celebrabantur pro scrutiniis electorum seu catechumenorum in sabbato sancto baptizandorum, pro his fundebantur orationes missae (collecta, secreta et post-communio).

Signanter notentur verba Secretae in Quinta Dominica: "Exaudi nos, omnipotens Deus, et famulos tuos, quos fidei Christianae primitiis imbuisti, huius sacrificii tribuas operatione mundari" (ib., cap. 28, M.L. 74, 1081), necnon sequentia verba quae addebantur Secretae Quartae Dominicae: "Remedii sempiterni munera, Domine, laetantes offerimus, suppliciter exorantes, ut eadem nos et digni venerari, et pro salvandis congruenter exhibere perficias" (ib., cap. 27 sq., M.L. 74, 1079. 1081).

Praeterea ac praecipue, *intra Canonem et intra ipsam Actionem* haec verba recitabantur in eisdem tribus dominicis:

"Intra canonem, ubi dicit: Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, qui electos tuos suscepturi sunt ad sanctam gratiam baptismi tui; et omnium circumadstantium. Et taces. Et recitantur nomina virorum, et mulierum, qui ipsos infantes suscepturi sunt. Et intras Quorum tibi fides cogn.

"Item intra actionem. Hanc igitur oblationem, Domine, ut propitius suscipias deprecamur; quam tibi offerimus pro famulis et famulabus tuis, quos ad aeternam vitam, et beatum gratiae tuae dinumerare, eligere atque vocare dignatus es. Per Christum. Et recitantur nomina electorum. Postquam recensita fuerint, dicit: Hos, Domine, fonte baptismatis innovandos, Spiritus tui munere ad sacramentorum tuorum plenitudinem poscimus praeparari. Per." (ibid., cap. 26, M.L. 74, 1076).

In *Liturgia Romana moderna* orationes pro catechumenis vel expli-

w De Euch., disp. 19, sect. 10, n. 174, Parisiis, 1892, p. 278.

cita eorum mentio omittitur eo quod interierit usus paschalis celebrationis Baptismi ac praecedentium scrutiniorum; attamen implicitam eorum mentionem in sacrificali applicatione continent tum verba *oblationis calicis* ‘Offerimus . . . calicem salutaris . . . pro nostra et totius mundi salute’, tum praesertim verba initio *Canonis* ‘Omnibus orthodoxis, atque catholicae, et apostolicae fidei cultoribus.’

Codex J.C., can. 809 supra cit. (p. 1108), explicite ait sacrificium pro quibusvis vivis applicari posse, facta partiali restrictione quoad solos excommunicates.

Rationibus Vasquez et aliorum sic respondetur:

1. Sacrificium prodesse potest etiam his qui ante Baptismum uniuntur Christo per charitatem aut saltem initialiter per fidem.

Frustra autem opponuntur verba *Augustini*, nam ut patet ex contextu S. Doctor agit “de illis . . . *parvulis qui morte praeveniuntur* priusquam baptizentur in Christo” et negat pro eis offerri posse sacrificium ut inde absque Baptismo salutem consequantur, prout adversarius quem impugnat, Vincentius Victor, docebat, asserens: “Pro eis [parvulis] oblationes assiduas, et offerenda jugiter sanctorum censeo sacrificia sacerdotum” et “Eas [parvulorum animas] quas Baptisma non abluit, sacrificia pro eis crebra mundabunt” (De anima, l. 1. c. 9, n. 10; c. 11, n. 13, M.L. 44, 480. 482).

Nec valet instare S. Doctorem paulo inferius etiam de adultis idem docere, his verbis: “Nulla ratione conceditur, ut pro non baptizatis cujuslibet aetatis hominibus offeratur sacrificium corporis et sanguinis Christi, tamquam per huiusmodi pietatem suorum ad regnum coelorum quo perveniant adjuventur” (ibid., c. 11, n. 13).

Nam S. Doctor iterum loquitur de *defunctis* (adultis non baptizatis) ac docet frustra pro eis offerri sacrificium *eo fine* ut ipsam salutem consequantur quam ante mortem consecuti non fuerint. Quod obvium est cum tales adulti, non secus ac supradicti parvuli, sint extra corpus Christi irrevocabiliter.

Iterum non valet cum Vasquez insistere quod S. Augustinus ad probandum casum particularem de parvulis assumit nihilominus et docet principium generale: non posse scilicet sacrificium offerri nisi pro membris Christi seu pro baptizatis (“Quis enim offerat corpus Christi, nisi pro eis qui membra sunt Christi?”).

Nam membra Christi hic intelliguntur illi qui sunt membra vel actu vel potentia, ita ut S. Doctor neget sacrificium offerri posse pro his qui neutro modo sunt membra Christi seu qui sunt irrevocabiliter extra viam salutis, quemadmodum supradicti parvuli et adulti.

Hic sensus suadet primo, ex ipso contextu, i.e. ex casu praedictorum parvulorum et adultorum de quo agit S. Doctor, secundo, sequitur ex eo quod alibi S. Doctor docet missam applicari pro infidelibus et ipsis persecutoribus Ecclesiae (Epist. 217, 1, 2, supra cit., p. 1113; cf. ibid., n. 26), imo addit id ideo fieri quia “*membra Christi* ex omni sunt hominum genere colligenda” (Epist. 149, 2, 16 sq., infra cit., p. 1119).

Eandem doctrinam tradit modo explicitiori S. *Thomas*, inquit: “[Eucharistia] in quantum est sacrificium, habet effectum etiam in aliis, pro quibus offertur, in quibus non praeexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantum. Et quod in contrarium dicitur, quod non offertur nisi pro membris Christi, *intelligendum est pro membris Christi offerri, quando offertur pro aliquibus, ut sint membra*” (In 4 Sent., dist. 12, q. 2, a. 2, q. 2, ad 4).

2. “Magis extenditur influxus Eucharistiae in ratione sacrificii, quam in ratione sacramenti: unde subjectum incapax recipiendi Eucharistiam in ratione sacramenti potest suscipere aliquem ejus effectum in ratione sacrificii, ut patet de animabus Purgatorii, quae cum non sint in statu recipiendi sacramentum Eucharistiae, participant nihilominus de ejus fructu in ratione sacrificii. Et idem proportionaliter contingit in catechumenis: nequeunt enim recipere Eucharistiae sacramentum propter rationem in ipso argumento assignatam: sed possunt recipere aliquem sacrificii fructum sicut alia divinae gratiae beneficia.”¹

3. Falsum est sacrificium non prodesse catechumenis defunctis, ut ostendetur infra (p. 1132–1136).

4. Ut dictum est, Ecclesia antiqua publice et nominatim orabat pro catechumenis in celebratione missae, nunc vero Ecclesia reservat publicam et explicitam mentionem suis membris eamque, excepto die Parasceve, denegat catechumenis, quos tamen non excludit nec a generali et implicita mentione nec a fortiori a fructu sacrificii.

Rationes, quibus ostenditur catechumenos esse capaces etiam fructus satisfactorii, sunt:

1. Catechumeni existentes in statu gratiae sunt capaces tum satisfaciendi ex seipsis ex opere operantis, tum praesertim suscipiendi satisfactiones ex opere operantis aliorum ipsis applicatas; inverisimile autem est satisfactiones ex opere operantis, tum personales tum praesertim ab aliis applicatas, plus sese extendere ac magis homini prodesse quam satisfactionem Christi influentem ex opere operato.

¹ *Salntaniictnses*, De Euch., disp. 13, dub. 4, § 2, n. 61, Parisiis, 1882, p. 806.

2. Catechumenis defunctis prodest fructus satisfactorius sacrificii, ut infra (p. 1132-1136) ostendetur; ergo prodest et vivis, cum nulla sufficiens disparitatis ratio assignari queat.

Rationi autem a Lugo propositae sic respondetur:

Falsa est distinctio quam ipse assignat inter modum quo confertur fructus impetratorius et modum quo applicatur satisfactorius; nam uterque datur immediate personae pro qua litatur et quidem ex opere operato, ut dictum est in art. 51 (p. 1066 sq.). Unde vel uterque admitendus vel uterque reiciendus.

Potestas applicandi sacramenta, sacrificium et indulgentias, collata est Ecclesiae in bonum proprium ac suorum membrorum, diversimode tamen adhibenda juxta ipsam naturam objectorum et indolem personarum. Potestas enim applicandi omnia sacramenta praeter Baptismum nequit exerceri nisi in baptizatos, ut patet ex indole illorum; et similiter potestas concedendi indulgentias pro vivis, quae cum sit potestas jurisdictionis nequit exerceri nisi in subditos qui tales per Baptismum constituuntur; potestas vero administrandi primum ipsum sacramentum Baptismi exercetur in eos qui non sunt membra Ecclesiae ut inde membra fiant; tandem potestas offerendi sacrificium exercetur in favorem tum membrorum, ut membra maneant, tum ceterorum, ut membra fiant.

III. DE INFIDELIBUS SIVE PAGANIS.

De istorum *capacitate ad percipiendum sacrificii fructum*, tum impetratorium, tum etiam satisfactorium (in casu quo sint in statu gratiae, quamvis in foro externo inter paganos computentur), necnon de *liceitate applicandi missam pro eis, triplex datur sententia*, sicut in quaestione de catechumenis, et quidem cum iisdem defensoribus et ob easdem rationes.

Rationibus allatis pro tertia sententia (sub numeris 1. 2. 3. 5), quam eligimus, duae sequentes addi possunt, altera a priori, altera a posteriori:

A priori enim nihil afferri potest quod obstet fructui et applicationi sacrificii ipsis quoque infidelibus qui tales sunt etiam in foro interno, tum quia ipsi, quamvis non sint actu uniti Christo et Ecclesiae, sunt in potentia ad hanc incorporationem per ipsum sacrificium producibilem, tum quia applicare sacrificium in bonum infidelium, maxime ad eorum conversionem, est aequivalenter illud applicare pro ipsa Ecclesia, dilatanda nempe et ex quatuor ventis colligenda, juxta verba

Didache, 10, 5, necnon ad gloriam Dei ejusque regnum promovendum, juxta illud Orationis Dominicae “Adveniat regnum tuum”.²

A posteriori autem ipsa *praxis Ecclesiae* ostendit talem applicationem esse fructuosam et licitam.

Quod enim jam in *A.T.* frequentatum est, ut nempe sacrificium offerretur etiam pro infidelibus (cf. de sacrificio oblato pro rege Dario, 1 Esdr. 6, pro Spartiatis, 1 Mach. 12, 11, pro ipso persecutore Heliodoro, 2 Mach. 3, 32-34), *Apostolus in 1 Tim. 2, 1-6* Christianis quoque faciendum praecipit, inquit: ‘Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est, et acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus’.

Apostolum loqui non tantum de communibus orationibus sed de ipsa applicatione sacrificii, suadetur ex contexta oratione (tum nempe ex expressione “gratiarum actiones”, *Ἀχαριστία*, tum praecipue ex ratione quae assignatur quare sit etiam pro gentilibus orandum, quia scilicet omnibus prodest Christi redemptio, cujus applicatio est missae sacrificium), et probatur ex interpretatione antiquae Ecclesiae, exequentis mandatum Apostoli intra ipsam actionem liturgicam.

Constitutiones Apostolorum (circa 400), 8, 12, 42-46, intra ipsam Anaphoram legunt: “Adhuc ‘rogamus’ te, Domine, ‘pro rege et iis, qui in sublimitate sunt’, et pro cuncto exercitu, ut res nostrae in pace versentur. . . Adhuc poscimus te pro urbe hac et habitantibus in ea. . . Adhuc rogamus te pro iis, qui ‘oderunt nos et propter nomen tuum nos persequuntur’, pro iis, qui foris sunt et errant, ut adducas eos ad bonum et furorem mitiges” (Kirch, *Enchir. hist, eccles.*, 685 sq.).

Tertullianus, *Ad Scapulam*, 2: “Sacrificamus pro salute imperatoris, sed Deo nostro et ipsius: sed, quomodo praecipit Deus, pura prece. Non enim eget Deus, conditor universorum, odoris aut sanguinis alicujus” (M.L. 1, 778 sq.).

Cyrillus Hier., *Catech.* 23, supra cit. (p. 905).

Chrysostornus, *Hom.* 6, η. 1 sq., commentans supradicta verba Apostoli (1 Tim. 2, 1 sqq.), scribit: “*Quasi communis pater totius orbis est sacerdos.* Curam igitur omnem gerat oportet, sicut et Deus, cujus sacerdos est. Ideo ait: Obsecro igitur primum omnium fieri obsecra-

²: Hanc rationem pulchre evolvit *De la Taille*, *Mysterium Fidei*, elue. 31, p. 375-377.

tiones, orationes. . . Quid sibi vult illud: 'Primum omnium'? Id est *in cultu quotidiano*. Et hoc sciunt initiati, quomodo quotidie fiant preces et vespere et mane; quomodo pro toto mundo, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, obsecrationem emittamus.

"At dicet fortasse quispiam, illum non pro omnibus dixisse, sed pro fidelibus. Cur ergo dixerit 'pro regibus'? Reges enim seu imperatores tunc veram religionem non sectabantur, sed longo tempore impiis impii succedebant. . . Deinde, quia verisimile erat ut Christianus animus haec audiens torpesceret, neque monitum hoc admitteret, si *pro gentili mysteriorum tempore preces oporteret offerri*, vide quid dicat: . . . 'Ut securam', inquit, 'et quietam ducamus vitam'. Id est, illorum salus nobis tranquillitatem parit. . . Deus enim principatus constituit ad communem utilitatem. Quomodo ergo non absurdum fuerit, ipsos quidem ideo militare et arma circumferre, ut nos in tranquillitate vivamus; nos autem non supplicationes offerre pro iis qui pericula subeunt et militant?" (De Sacerdotio, l. 6, n. 4, M.G. 48, 680 sq.).

Augustinus, Epist. 217 (ad Vitalem), 1, 2, supra cit. (p. 1113).

Idem, *ibid.* 7, 26: "Numquid et orare prohibebis Ecclesiam pro infidelibus, ut sint fideles; pro iis qui nolunt credere, ut velint credere: pro iis qui ab ejus lege doctrinaque dissentiunt, ut legi ejus doctrinaeque consentiant, ut det illis Deus quod per prophetam promisit, cor cognoscendi eum, et aures audiendi (Baruch ii, 31). quas utique acceperant, de quibus Salvator ipse dicebat, 'Qui habet aures audiendi, audiat' (Matth. xiii, 9)? Numquid ubi audieris *sacerdotem Dei ad ejus altare* populum hortantem ad Deum orandum vel ipsum clara voce orantem, ut incredulas gentes ad fidem suam venire compellat, non respondebis, Amen? An etiam hujus fidei sanitati contraria disputabis? Numquid beatissimum Cyprianum in hoc errasse clamabis vel susurrabis, ubi pro inimicis fidei Christianae, ut etiam ipsi ad eam convertantur, orare nos docet?" (M.L. 33, 987 sq.).

Idem, *Epist. 149* (ad Paulinum), 2, 16 sq.: "Sed eligo in his verbis [Apostoli, 1 Tim. 2, 1 sqq.] hoc intelligere, quod *omnis vel pene omnis frequentat Ecclesia*, ut 'preces' accipiamus dictas, quas facimus *in celebratione Sacramentorum*, antequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici. . . Haec autem causa praecipua fuit ista (licendi, ut his breviter perstrictis atque significatis, non putaretur negligendum esse quod sequitur, 'pro omnibus hominibus, pro regibus, et his qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et charitate': ne quisquam, sicut se habet humanae cogitationis infirmitas, existimaret non esse ista facienda pro his a quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cum membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda" (M.L. 33, 636 sq.).

Verba autem quae ex Augustino *obicit Vasquez* declaravimus supra (p. 1115 sq.).

In *hodierna praxi* omittitur directa et explicita mentio infidelium in Canone missae romanae, qui tantum commemorat eos qui, propter eorum unionem cum Ecclesia, sunt etiam offerentes sacrificii (“Pro quibus offerimus, vel qui tibi offerunt”); non tamen deest eorum commemoratio tum generalis in oblatione calicis (“Offerimus . . . calicem salutaris . . . pro nostra et totius mundi salute”), tum indirecta in ipso Canone (“Pro Ecclesia tua . . . quam . . . adunare . . . digneris”).

Missa votiva pro fidei propagatione (cf. Orationes) saltem mediate ad infidelium conversionem ordinatur.

Codex J.C., can. 809, supra cit. (p. 1108 sq.) solos excommunicatos, et quidem partialiter tantum, excludit a missae applicatione.

Ad praxini quod attinet, potest missa applicari non solum pro infidelibus in genere, sed etiam pro quovis in particulari, nec solum ad finem conversionis sed etiam ad quoslibet fines particulares, etiam temporales, pro quibus sacerdos eligit celebrandum vel ipse infidelis, aut alia persona pro ipso, missam petit.

Attamen quaedam *conditiones vel restrictiones* adhiberi debent (cf. *Responsum S.C.S. Officii* a. 1865 mox citandum). Oportet scilicet:

1. Ut nihil mali, aut erroris, aut superstitionis habeatur ex parte ipsorum infidelium applicationem missae petentium et stipendium offerentium.

2. Ut avertatur scandalum ex parte fidelium. “Scandalum hic removendum est potissimum offensio fidelium qui, in certis adiunctis, conscii factae celebrationis, eam cupidini lucri vel cuidam ‘indifferentismo’ ascriberent.”³

3. Ut consequenter missa applicetur *privatim*, i.e. secreto (non obtsat tamen quod unus vel alter id sciat) et absque ulla exteriori solemnitate (qualis est publica annuntiatio applicationis et nominis ejus pro quo applicatur intra missam). Excipitur tamen casus quo missa applicetur pro prosperitate reipublicae aut etiam principis regnantis, qua talis, ut si id fiat in die qua hic regnare incipit vel in die anniversaria, non vero in die natalis vel onomastico.

4. Ut consequenter nihil specialiter in missa addatur quod ad infidelem referatur, puta ejus expressa commemoratio vel *nominatio*.

Ad rem observat *De la Taille*: “Quare, si quis vel infidelem, vel haereticum, vel schismaticum, vel excommunicatum (puta regem, aut episcopum, aut alium quemlibet) nominaret, sive in oratione ‘Te

³ *Vernteersch*, Thcol. Moralis, t. 3, n. 308, Romae, 1923, p. 243.

igitur', sive in nostra 'commemoratione pro vivis', is certe foret legis ecclesiasticae violator. Quia autem hodie non solum in 'commemoratione pro vivis', sed etiam in nulla alia parte missae suscipit Ecclesia quemquam nominatin'! commendandum Deo vivum, nisi prout sibi communicantem, ideo hodie non videretur carere culpa, qui in ulla qualibet oratione liturgica nominaret hominem vel infidelem, vel haeticum, vel schismaticum, vel excommunicatum."⁴

Quaestioni: num liceat stipendium ab ipso infideli accipere pro missa applicanda ad quamlibet intentionem (i.e. sive pro se sive pro aliis), *negative* respondent pauci, inter quos praecipue *De la Taille* ea innixus ratione quod stipem dans est coofferens sacrificium et non nisi membra Ecclesiae possunt esse offerentes (quam rationem consequenter extendit ad catechumenos, haeticos, schismaticos et excommunicatos); congruentius vero *affirmative* respondetur (et quidem quoad infideles, catechumenos, haeticos, schismaticos et excommunicatos saltem non vitandos) cum aliis theologis, inter quos *Billuart* (De religione, diss. 2, a. 6), *Hervé* (n. 141), *Cappello* (n. 618, 1 et 3), *Vermeersch* (n. 308), *Merkelbach* (n. 356), *Noldin* (n. 178), innixis sequentibus ecclesiasticis decisionibus:

S.C. de Propaganda Fide, interrogata: "Se possa un missionario ricevere la limosina della Messa ed applicarla secondo la mente o intenzione di un oblatore gentile che abbia per iscopo di ottenere la guarigione da malattia o la liberazione dal carcere o dalla pena capitale che gli sovrasta", respondit 11 martii 1848: "*Affirmative*" *

S.C.S. Officii, interrogata: "Utrum liceat sacerdotibus Missam celebrare pro Turearum aliorumque infidelium intentione et ab iis eleemosynam pro Missae applicatione accipere", respondit 12 julii 1865: "*Affirmative*, dummodo non adsit scandalum ac nihil in Missa specialiter addatur; et quoad intentionem, constet nil mali aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynas offerentibus subesse".⁷

S.C.S. Officii, interrogata: "Utrum possit aut debeat celebrari Missa ac percipi eleemosyna pro graeco-schismatico, qui enixe oret atque instet ut Missa applicetur pro ipso sive in ecclesia adstante sive extra ecclesiam manente", respondit 19 aprilis 1837: "luxta exposita non licere, nisi constet expresse eleemosynam a schismatico praeberi ad impetrandam conversionem ad veram fidem".⁸

Supradicta ratio, a *De la Taille* allata ad probandam illicentiam

⁴Mysterium Fidei, elue. 31, Parisiis, 1931, p. 381.

⁷Mysterium Fidei, elue. 30, p. 365 sqq.; elue. 31, p. 382.

⁸Collectanea S.C. de Prop. Fide, v. 1, n. 1028.

⁹Ibid., n. 1274.

¹⁰Ibid., n. 858.

(peccatum, inquit, simoniae) acceptionis stipendii ab homine qui non sit membrum Ecclesiae, id non evincit; nam stipem dans non fit necessario coofferens nisi sit capax, et aliunde obligatio sacerdotis applicandi sacrificium pro stipendio fundatur in lege Ecclesiae. Nec etiam convincit modus quo laudatus theologus conatur sese extricare a relatis decisionibus ecclesiasticis, dum scribit:

“Respondeo: illam decisionem [S. Officii a. 1865], etiam nulla facta mentione approbationis pontificiae, gaudere auctoritate sua, eaque maxima; ideoque, si interpretanda sit, ut prima fronte utique videtur, de pecuniaria pactone vera, hanc posse tuta conscientia in opus deduci, quamdiu non fuerit reformata decisio. At interea, dubitari potest nonne aliter forte sit interpretanda. Potuit enim in casu talis intellegi *eleemosyna*, quam neque qui erogaret, constitueretur oblator seu auctor sacrificii, neque qui acciperet, contraheret ullam obligationem, neque ex justitia, neque ex fidelitate, sed tantummodo significaret, se ex caritate et gratitudine celebraturum in illius commodum, per modum suffragii”.⁹

Quod si *ab excommunicato vitando* non liceat probabiliter stipendium accipere (contrarium tamen putat *Billuart*), id non est ob supradictam rationem De la Taille, sed quia non licet cum eo communicare. Ad rem scribit *Gasparri*: “Ceterum Missam pro excommunicato applicantes, cavere debemus . . ., si agitur de vitando, ne cum ipso communicemus: unde, v.g. non possumus ab eodem eleemosynam pro applicatione recipere”.¹⁰

IV. DE HAERETICIS, SCHISMATICIS ET EXCOMMUNICATIS.

Hos omnes esse *capaces fructus sacrificii*, tum impetratorii tum propitiatorii pro peccatis (imo et satisfactorii pro poena, si sint in statu gratiae), a nemine dubitatur et sequitur ex iisdem proportionaliter rationibus quibus probatur eadem capacitas in catechumenis et infidelibus, eo vel magis quod ipsi, ratione suscepti Baptismi, retinent vinculum aliquod cum Ecclesia, quamvis sint ab ea praecisi sub ratione membri.

Licita autem applicatio missae pro eis subicitur necessario alicui restrictioni ab auctoritate ecclesiastica determinandae, quam essentialiter importat ipsa excommunicatio (i.e. separatio a communibus suffragiis Ecclesiae) cui omnes praedicti subiciuntur (nam etiam haeretici et schismatici pro excommunicatis habentur et tales explicite declaran-

* *Mysterium Fidei*, elue. 30, Parisiis, 1931, p. 366.

¹⁰ *Tractatus canonicus de SS. Eucharistia*, t. 1, n. 483, Parisiis, 1897, p. 345.

tur a Codice J.C., can. 2314, § 1, n. 1). Quo sensu excommunicati sunt in peiori conditione quam infideles, utpote poena ecclesiastica mulctati.

Praedicta restrictio *in iure hodierno* (can. 809 et can. 2262, § 2, n. 2, supra cit., p. 1108 sq.) duplex est: ut *pro omnibus excommunicatis* missa non applicetur nisi *privatim* (sensu supra explanato, p. 1120) et ut *pro excommunicato vitando* missa etiam privatim non applicetur nisi *ad ejus conversionem*.

Ad *jus antiquum* quod attinet, certum apud omnes est easdem saltem restrictiones viguisse, nominatim prohibitionem publicae applicationis. Id enim ut minimum videtur importare tum ipsa ratio excommunicationis (cf. Suppi., q. 21, a. 1, corp, et ad 1), tum antiqua praxis Ecclesiae.

“Patet enim ex historia Ecclesiae semper cautum fuisse ne publice inter sacra nominarentur homines excommunicati. adeo ut, si quis talis regulae esset violator, is eo ipso se proderet cum homine excommunicato in sacris communicantem; quemadmodum ex opposito, quemcumque excluderes e diptychis nominum recitandorum, eo ipso tanquam excommunicatum diffamares. Etenim, ut recte scribit *Lesleus* in suis notis ad *Missale Mixtum*: ‘Finis et usus praecipuus diptychorum erat ut retineretur catholica communio tum vivorum inter se, tum vivorum et mortuorum’ (P.L. 85, 541). Praeter romanum pontificem autem et episcopum loci alii episcopi aliquando nominabantur, atque imperator vel rex ejusque conjux et proles, aliique optimates vel benefactores, aut si quid ejusmodi. Jamvero, si quis horum excommunicationem incureret, erat e diptychis delendus. En sensum historicum illius legis, qua privabantur excommunicati suffragiis Ecclesiae communibus publicisque: intellige privatos publica illa denuntiatione atque commendatione per communes Ecclesiae sacrificantis preces. Haec quidem propria erat poena et nota excommunicatorum.”¹¹

Utrum praeterea in jure antiquo excommunicati excluderentur *etiam a privata applicatione missae, triplex datur sententia theologorum*:

Quidam, ut *Suarez* (De censuris, disp. 9, sect. 2) et *Vasquez* (De Excommunicatione, dub. 2), quibus inter modernos accensendus est *Billot* (thes. 55, edit. 1914, p. 634 sq.), docuerunt pro nullo excommunicato, tam vitando quam tolerato, missam proprie et directe applicari posse nomine Christi et Ecclesiae, quamvis sacerdos id facere possit nomine proprio, alienando nempe in eorum favorem fructum ex opere operantis.

Ratio est quia praecipuus ac proprius effectus excommunicationis est privare hominem communibus Ecclesiae suffragiis; unde nequit Eccle-

¹¹ *De la Taille*, op. cit., duc. 31, p. 380 sq.

sia illi applicare sacrificium nisi eo ipso auferendo excommunicationem.

Id etiam, inquit, eruitur ex quibusdam *documentis Ecclesiae*, i.e. ex Capitibus “A nobis”, “Sacris” et “Si quis episcopus” (Decret., l. 5, tit. 39, c. 28 et 38; Causa 11, q. 3, c. 91). Nec obstat quod *Cone. Constantiense* (Extravag. Martini V “Ad evitanda”) concesserit fidelibus communicare cum quibusdam excommunicatis (non vitandis), nam inde non sequitur pro eis posse offerri sacrificium, quia per eam concessionem Concilium intendit favere solis fidelibus non vero ipsis excommunicatis.

Confirmatur ex doctrina S. *Thomae*, Suppi., q. 21, a. 1, corp, et ad 2, ubi docet excommunicates excommunicatione maiori (etiam non vitandos) privari suffragiis Ecclesiae.

Alii frequentiores, inter quos *Lugo* (Disp. 19, sect. 10, n. 187), *Coninck*, *Henriquez*, *Caspar Hurtado*, *Salmanticenses* (Disp. 13, dub. 4, n. 66 sqq.), S. *Alphonsus* (n. 309), docuerunt ab applicatione missae excludi solos excommunicates vitandos, non vero toleratos.

Ratio est quia effectus excommunicationis dependet a dispositione Ecclesiae, illum magis vel minus extendentis; Ecclesia autem non excludit excommunicates toleratos ab assistentia missae et ab ecclesiastica sepultura, adeoque neque ab applicatione missae, nam missa pro omnibus assistentibus offertur (“Et omnium circumstantium pro quibus tibi offerimus . . .”) et ecclesiastica sepultura importat preces, orationes et suffragia.

Unus vel alter theologus, ut *Sylvius* et *Billuart*, contra communem chororum affirmavit missam applicari potuisse pro omnibus excommunicatis etiam vitandis. Cui sententiae *recte subscribunt* quidam moderni, uti *Wernz* (Jus Decretalium, 1908, t. 3, p. 2, n. 542) et *De la Taille* (elue. 31, p. 382).

Billuart scribit: “Non video cur non liceret sacerdoti celebrare pro excommunicato etiam non tolerato, sive accepto sive non accepto ab eo stipendio. Scio hanc assertionem communiter negari ab auctoribus, sed quo fundamento nescio; videtur enim evidenter sequi ex praemissis, modo non celebret ut pro membro Ecclesiae”.¹² “Nostram sententiam etiam aperte innuit S. *Th.* loco citato [Suppi., q. 21, a. 1, ad 2], cum dicit: ‘Suffragia Ecclesiae quae pro tota Ecclesia fiunt, eis [excommunicatis] non prosunt, nec ex persona Ecclesiae oratio pro eis inter membra Ecclesiae fieri potest’: ubi non negat pro eis orari posse ex persona Ecclesiae, sed solum sic ut orando annumerentur membris Ecclesiae quasi essent ex illis. Ita etiam censet *Sylvius*, 3 p. q. 83, a. 1, quaestio 9.”¹³

¹² u Tractatus De Religione, diss. 2, a. 6, Parisiis, 1904, p. 201. ¹³ Ibidem.

Rationibus defensorum primae sententiae respondetur:

1. Privatio communium suffragiorum, quae est effectus excommunicationis, non importat necessario prohibitionem applicationis missae, sed tantum publicae applicationis, quamvis Ecclesia possit etiam privatam applicationem prohibere vel quibusdam limitibus circumscribere, ut explicite fit in iure hodierno quoad excommunicatos vitandos.

2. Objecta *Ecclesiae documenta* ad praesentem quaestionem directe non faciunt, nam in eis est quaestio de excommunicatis defunctis, de quibus dicitur infra (p. 1139). Parum autem refert qua intentione *Concilium Constantiense* concesserit fidelibus ut possent communicare cum excommunicatis etiam in divinis; ex tali enim concessione, facta absque ulla suffragiorum restrictione, ipso facto sequitur fideles posse applicare missam pro excommunicatis.

3. Auctoritas S. *Thomae* frustra invocatur; nam ejus verba sonant solam exclusionem publicae applicationis et participationis suffragiorum quae fiunt *pro membris Ecclesiae qua talibus*. Unde ipse S. Doctor post verba a Billuart modo citata immediate subiungit: "... quamvis aliqua persona privata possit ad eorum conversionem aliquod suffragium per intentionem dirigere" (ad 2). Similiter ibidem in resp. ad 1 docet: "Pro infidelibus oratur, sed ipsi orationis fructus non percipiunt, nisi ad fidem convertantur. Similiter et pro excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes, quae pro membris Ecclesiae fiunt; et tamen fructum non percipiunt, quamdiu in excommunicatione manent; sed oratur, ut detur eis spiritus poenitentiae, ut ab excommunicatione solvantur."

Contra patronos sectmdae sententiae dicendum est quod non apparet ex qua ratione erui possit ipsum excommunicatum vitandum, fuisse olim simpliciter exclusum a privata applicatione missae; id non sequitur ex aliqua ratione a priori, nam ostenderetur falsum ex ipso facto quod Ecclesia nunc permittit applicationem pro tali excommunicato ad finem conversionis ipsius, nec a posteriori, cum nullum adduci possit Ecclesiae documentum in favorem huiusmodi sententiae.

V. DE DEFUNCTIS MEMBRIS ECCLESIAE IN PURGATORIO DEGENTIBUS (Suppi., q. 71, a. 6 et 9).

Est *de fide* contra *Protestantes* definita a *Cone. Trid.* (sess. 25, Decr. de Purgatorio, Denz. 983, cit. in p. 1104; sess. 22, can. 3 [cf. cap. 2], Denz. 950, cit. in p. 847), sacrificium missae animabus Purgatorii generice prodesse, et quidem magis quam alia suffragia, atque pro eis missam applicari debere. Est vero *theologice certum* eas animas per sacrificium juvari ex opere operato; non enim "potissimum" (ut ait

Concilium) per sacrificium illae animae juvarentur si id fieret tantum ex opere operantis quemadmodum per alia suffragia.

Ceterum *efficacitas missae in favorem fidelium dejunctorum* sequitur:

1. Ex constanti *praxi Ecclesiae* applicandi sacrificium pro ipsis.
2. Ex sensu *Traditionis* (cf. testimonia relata in art. 49, p. 1059–1061). Ad rem *Augustinus*, De cura pro mortuis gerenda, 1, 3: “In Machabaeorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium (II Machab. xii, 43). Sed et si nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universae Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus sacerdotis quae Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum” (M.L. 40, 593).
3. Ex paritate cum *sacrificiis A.T.*, quorum missa est consummatio. *Judas enim Machabaeus* “duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium”, quem agendi modum approbat et commendat Spiritus Sanctus, inquit: “Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur” (2 Mach. 12, 43. 46).
4. Ex ratione universalis efficacitatis *sacrificii crucis*, quae applicatur per sacrificium missae.
5. *Ex ratione a fortiori*. Sacrificium prodest vivis qui non sunt membra Ecclesiae vel qui sunt membra corrupta ex defectu caritatis. Ergo a fortiori prodesse debet mortuis qui ei uniuntur vinculo caritatis.
6. *Ex ratione communionis sanctorum*. Fundamentum communionis sanctorum, seu ratio quare bona spiritualia unius possint dirigi in alium ac illi prodesse, est *vinculum caritatis*, conditio vero huiusmodi translationis bonorum est *intentio dirigens* aliquod bonum spirituale in utilitatem alterius. Jamvero defuncti retinent vinculum caritatis cum fidelibus viventibus, quamvis amittant vinculum societatis. Ergo adjuvari possunt per intentionem dirigentis in eorum utilitatem aliquod bonum spirituale, et maxime bonum eucharisticum, tum in ratione sacramenti (cf. supra, p. 734 sq.) tum praecipue in ratione sacrificii (Suppi., q. 71. a. 6 et 9).

Ad rem 5. *Thomas*: “Illa opera praecipue nata sunt mortuis suffragari quae maxime ad communicationem caritatis pertinent. . . Ad charitatem autem sacramentum Eucharistiae praecipue pertinet, cum sit sacramentum ecclesiasticae unionis, continens illum in quo tota Ecclesia unitur et consolidatur, scilicet Christum. Unde Eucharistia est quasi quaedam caritatis origo, vel vinculum” (a. 9).

Dices. Sacrificium missae est proprium bonum Ecclesiae visibilis,

quae illud offert; ergo prodest solis membris eius vel his qui, utpote viventes, membra eius fieri possunt. Animae Purgatorii sunt extra commercium viventium a quibus offertur hoc sacrificium, subiciuntur conditionibus totaliter diversis, imo sunt in statu termini; ergo a vivis adjuvari non possunt.

Resp. Sacrificium ita est concreditum Ecclesiae visibili offerendum, ut offerri debeat non solum pro his qui sunt sed etiam pro his qui fuerunt membra eius, quippe qui manent ei uniti vinculo charitatis; imo debet etiam offerri pro vivis qui non sunt membra, ad hoc ut fiant membra per charitatem, et pro mortuis qui non fuerunt eius membra, ad hoc ut ostendatur vinculum charitatis.

Animae Purgatorii sunt extra commercium societatis sed non extra communionem charitatis; subiciuntur diversis conditionibus quantum ad effectum ex proprio opere operantis sed non quantum ad fructum ex opere operato; sunt extra statum viae et in statu termini sed non simpliciter, ac pro tanto assimilantur viatoribus quoad participationem fructus sacrificii.

Ad rem S. *Thomas*: “Quamvis animae post mortem non sint simpliciter in statu vîhe; tamen quantum ad aliquid adhuc sunt in via, in quantum scilicet earum progressus adhuc retardatur ab ultima retributione. Et ideo simpliciter earum via est circumsepta, ut non possint ulterius per aliqua opera transmutari secundum statum felicitatis et miseriae; sed quantum ad hoc non est circumsepta, quin quantum ad hoc quod detinentur ab ultima retributione, possint ab aliis juvari, quia secundum hoc adhuc sunt in via” (Suppi., q. 71, a. 2, ad 3).

Efficacia missae pro defunctis est *ex opere operato et infallibilis, juxta mensuram tamen dispositionis subjecti*, ut dictum est in art. 51. 53. 54 (p. 1066-1069. 1088 sq. 1103 sq.).

Animae in Purgatorio sunt capaces fructus tum *propitiatorii* tum *impetratorii*.

Imprimis non sunt capaces propitiationis *pro peccatis mortalibus*, quia peccata vitae jam sunt remissa et in Purgatorio peccare non possunt.

De la Taille hanc peregrinam opinionem proponit: “Subtilior est quaestio de reatu culpae: nonne possit compensari per sacrificium pro mortuis oblatum, adeo ut non solum sâsatisfactio, sed etiam propitiatio exseratur. Et quidem merito quis dubitaverit, nonne possit defunctos retro (ut ita dicam), repropitiare sacrificium missae: cum Christi Domini sacrificium, non solum omnes tunc viventes aut postea victuros, sed etiam mortuos anteactis saeculis homines omnes repropitiarit Deo. . . . Utique catholicum virum nullum fugit, non posse justificari post

mortem eum qui mortuus sit in statu peccati. Nec proinde vis potest, salva fide, adscribi sacrificio missae transmittendi defunctum ex statu peccati in statum gratiae. Nihilominus, salva fide, autumaverit quis, Deum, intuitu sacrificiorum post mortem celebrandorum (veluti compensationis ab Ecclesia pro peccatis sui defuncti oblatae), potuisse propitiatum impendere ante mortem misericordiam illi, ut se converteret et salvus fieret. Quemadmodum nec mors Domini, cum contigit, tum transmisit veteres Patres ex peccato in gratiam: quos tamen credenda est omnino repropitiasse a suis delictis Deo; siquidem nullo fuit unquam tempore homo repropitiatus Deo nisi per mortem Christi.”¹⁴

Haec opinio improbabilis videtur. Posset enim Deus, praevidendo futura suffragia, praedictum effectum conversionis conferre ex quodam beneplaciti vel complacentiae motu, sed id nequaquam esset proprie loquendo intuitu sacrificii futuri, quasi nempe hoc influeret ex opere operato, non enim influere potest antequam existât. Nec valet invocata paritas cum influxu passionis Christi in A.T., nam passio Christi habet in se vim movendi Deum ad modum causae meritoriae adeoque potuit operari sub tali ratione etiam antequam existeret; applicatio vero sacrificii sicut et sacramentorum non habet propriam vim movendi Deum ad effectum supernaturalem causandum sed se habet ut medium vel instrumentum efficacitatis passionis Christi, unde nequit influere nisi jam existât, quemadmodum in A.T. per actualem applicationem sacramentorum conferebatur fructus futurae passionis Christi.

Hanc doctrinam videtur supponere 5. *Thomas*, Suppi., q. 71, a. 6, ad 4, ubi ait: “Quantum ad efficaciam suffragiorum, quae est ex opere operato . . . [homo] non consequitur fructum, antequam suffragia fiant”.

Secundo, animae Purgatorii sunt capaces fructus propitiatorii *pro peccatis venialibus*.

Id quidem negandum esset si, juxta sententiam aliquorum (ut *Hugon*)TM omnia peccata venialia remitterentur illis animabus immediate post mortem in primo actu ardentis charitatis quem eliciunt. Atamen S. *Thomas* (tum in Appendice ad Suppl, [ed. leon.], De Purg., a. 6, tum praesertim in De Malo, q. 7, a. 11, corp, et ad 2. 7. 9. 11. 16) docet peccata venialia illis remitti durante tempore suae purificationis, quotiescumque eorum charitas prorumpit in actualem motum detestationis peccati, nam “multi . . . actuales motus voluntatis erunt post hanc vitam, qui non sunt modo; quia alii etiam erunt secundum ea quae tunc cognoscunt et experientur” (loco proxime cit., ad 11); ex

¹⁴ “Mysterium Fidei, elue. 29, Parisiis, 1931, p. 360 sq., in nota.

TM “Tract. Dogm., v. 3, Parisiis, 1931, p. 796.

quo sequitur sacrificium sic prodesse animabus purgantibus ut eis obtineat auxilia divina excitantia ad eliciendum actum charitatis quo venialia removentur.

Tertio, animae Purgatorii sunt capaces fructus *satisfactorii pro poenis*, et quidem immediate, tum quia, ut dictum est supra (p. 1103), hic effectus immediate confertur ipsis vivis, tum quia de cetero istae animae non sunt amplius capaces satisfaciendi ex opere operantis nec proinde eis prodesse auxilia impellentia ad actum satisfactorium.

Dices. Poena Purgatorii est poena finita. Si ergo per suffragia aliquid de poena dimittitur, tantum poterunt multiplicari suffragia quod tota tolletur; et ita peccatum remanebit totaliter impunitum, quod videtur divinae justitiae repugnare.

Resp. “Non est inconveniens, si multiplicatis suffragiis, poena existentium in purgatorio annihilatur; non tamen sequitur quod peccata remaneant impunita, quia poena unius pro altero suscepta alteri computatur” (Suppi., q. 71, a. 6, ad 2).

Quarto, animae Purgatorii sunt capaces fructus *impetratorii*, tum quatenus possunt ipsis obtineri auxilia novae cognitionis et experientiae ex quibus subinde inducuntur ad eliciendum actum charitatis quo peccata venialia remittuntur, tum quatenus potest in eorum favorem impetrari ut fideles moveantur ad applicanda pro eis personales satisfactiones, indulgentias, suffragia et sacrificia.

Nota. *Quoad quantitatem fructus quem ex sacrificio derivant animae Purgatorii, sequentes minores quaestiones agitantur a doctoribus:*

1. *An missa de Requiem magis prosit de juncto quam aliae missae.*

Respondetur cum S. Thoma, Suppi., q. 71, a. 9, ad 5: “In officio missae non solum est sacrificium, sed etiam sunt ibi orationes. Et ideo missae suffragium continet duo horum quae ... *Augustinus* enumerat, scilicet orationem et sacrificium. Ex parte ergo sacrificii oblata missa aequaliter prodest defuncto, de quocumque dicatur; et hoc est praecipuum quod fit in missa. Sed ex parte orationum magis prodest illa in qua sunt orationes ad hoc determinatae. Sed tamen iste defectus recompensari potest per majorem devotionem vel ejus qui dicit missam, vel ejus qui jubet dici, vel iterum per intercessionem sancti, cujus suffragium in missa imploratur.”

Exinde tamen non necessario sequitur sacerdotem celebrantem ex stipendio, teneri ad applicandam missam de Requiem pro defuncto ad quem litatio dirigitur, nisi talis missa expresse petatur a stipem offeren-

MIn De cura pro mortuis, 18, 22, ait tria prodesse defunctis, i.e. sacrificium, orationem et eleemosynam.

te, in quo etiam casu non uno modo a variis auctoribus obligatio urgetur et iudicatur.¹⁷

2. *An melius seu utilius sit quod fideles procurent ut missae sibi applicentur dum vivunt quam post mortem.*

Respondent omnes affirmative. Nam in casu fructus sacrificii obtinetur *certius et abundantius*.

Certius quidem, tum quia non raro applicatio missarum legatarum redditur incerta ob incuriam haeredum vel iniuriam legum civilium, tum quia plures doctores putant fructum missae non certo obvenire ipsi animae pro qua ab homine intenditur sed magis pendere a divino beneplacito (cf. supra, p. 1104), tum quia, etiam juxta contrariam quam elegimus sententiam (cf. ibid.), vivus invenitur in meliori conditione et dispositione, omnibus consideratis, quam defunctus (cf. dicta in p. 1089), quoad applicationem fructus, quippe quae in vivo dependet a praesente dispositione, in defuncto vero a praeterita quam forte in vita non habuit vel non sufficientem habuit.

Abundantius vero, tum quia fructus sacrificii ad plures effectus se extendit in vivis quam in defunctis, ut patet ex superius disputatis (praecipue in art. 54) et ex ipsa diversa conditione vivorum et defunctorum, tum quia vivus praebens stipendium pro sacrificio certo obtinet ex opere operato fructum specialissimum cum aliis cofferentibus sacrificium vel etiam cum aliis assistentibus, tum quia ei accedit quoque fructus ex opere operantis sive ex ratione assistentiae sive ex ipso suo actu valde meritorio, quo eligit se privare stipendiis dum eis frui potest potius quam alienam haereditatem gravare.

Ad rem *Benedictus XV*, Epist. "Sodalitatem" (De sodalitate a Bona Morte) 31 maii 1921: "Considerandum praecipue est, fructus qui ex sacro percipiuntur, hominibus longe uberius vivis prodesse quam vita functis, cum iis, bene animatis et dispositis, magis directe, certius atque abundantius quam his applicentur: unde efficitur, ut, cum perseverantiae dono, quaeramus nobis facultatem adhuc vivis comparare tum placandae Dei iustitiae, tum poenae, quae nobis in Purgatorio igne maneret, vel tollendae omnino, vel valde saltem imminuendae. Quodsi satis multi, obliviosi atque ingrati homines, id committere consueverunt, ut ad animas eorum piandas quos habere carissimos videbantur, augmentum offerri Sacrificium neglegant, sunt maiore numero qui, gravi cum spiritualium utilitatum iactura, illud ignorent, profuturum sibi inulto magis missae sacrificium quod, se vivis, ipsimet, quam quod in ipsorum levamen defunctorum heredes, propinqui vel amici perlitari iusserint" (A.A.S., 13, 344).

¹⁷ Cf. *Cappello*, De Sacram., v. 1, n. 690.

3. *An magis prosit dejuncto sacrificium quod pro seipso, oblato stipendio, curavit offerri, quam quod ex mandato aliorum pro eo offertur.*

S. Thomas (Suppi., q. 71, a. 8, ad 4; a. 6, ad 4, cit. in p. 1067) docet quod tale sacrificium jam profuit defuncto *ex opere operantis*, in ipso momento vitae quando stipendium obtulit. An vero illi prosit etiam post mortem in momento quo offertur, et quidem *ex opere operato*, *S. Doctor* non dicit, sed id pendet a quaestione (exposita in art. 48, p. 1048) an talis defunctus dici possit coofferens sacrificii.

Ad ipsam missae applicationem quod attinet, sacrificium applicari potest pro quolibet *membro Ecclesiae*, exceptis quibusdam peccatoribus qui sepultura ecclesiastica (ac consequenter qualibet missa exequiali) ab Ecclesia privantur.

Juxta autem *Codicem J.C.*, can. 1240, ex membris Ecclesiae defunctis “ecclesiastica sepultura privantur, *nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa*: qui se ipsi occiderint deliberato consilio; mortui in duello aut ex vulnere inde relato; qui mandaverint suum corpus cremationi tradi; alii peccatores publici et manifesti.” Ceterum “occurrente . . . aliquo dubio, consulatur, si tempus sinat, Ordinarius; permanente dubio, cadaver sepulturae ecclesiasticae tradatur, ita tamen ut removeatur scandalum” (can. 1240).

De hac re *duo disputantur* inter doctores:

1. Quinam intelligantur nomine “*peccatores publici et manifesti*”.
2. An pro his aliisque supra enumeratis, qui ante mortem nulla dederint poenitentiae signa ac proinde privantur publica applicatione missae, possit *sacrificium privatim applicari*.

Ad primum respondet *Cappello*: “Ut quis talis [publicus et manifestus peccator] censeatur, sufficitne *unum* delictum? *Per se* negandum est, nisi agatur forte de delicto continuato aut valde gravi. Quare plures circumstantiae sunt prae oculis habendae. Hinc, ut id casui particulari applicemus, si Titius, tamquam vir probus communiter existimatus, peccat et in actu peccati, ex. gr. furti aut fornicationis, moritur, et huiusmodi factum criminis divulgatur, censerine debet *publicus* et *manifestus* peccator, adeo ut, ad normam cit. can., sit ecclesiastica sepultura privandus? Nostra sententia, negative respondendum est.”⁸

Ad secundum quidam, ut *Gasparri* (n. 479), negative, alii, ut *Cappello*, *rectius affirmative* respondent non secus ac in casu infidelis et acatholici, de quo infra (p. 1136-1139).

Ad rem Cappello: “Idque certum . . . habemus, contra *Gasparri* et alios. . . Hoc autem sedulo animadvertimus contra *ΛΑ*. negantes simpli-

⁸De Sacram., v. I, n. 622, Taurini, 1921, p. 490.

citer et absolute Missam applicari posse pro iis, qui in actu peccati decesserunt absque ullis positivis et probabilibus poenitentiae signis ante mortem, 'cum pro foro externo, aiunt, certum sit eorum animas esse in inferno'.¹⁹ Haec certitudo de statu damnationis ne in foro quidem externo ita absolute enunciari debet, quia secretiora sunt divinae bonitatis ac misericordiae mysteria; quare putamus applicationem Missae pro huiusmodi defunctis numquam ex ipsa rei natura esse denegandam.

"Tuta certaue regula, ad praxim quod spectat, haec est: a) si a iure canonico permittitur sepultura ecclesiastica, permittitur quoque pro defuncto publica celebratio et applicatio Missae, non solum eadem occasione funeris, sed toties quoties i.e. semper; — b) si e contrario denegatur sepultura ecclesiastica, prohibetur eo ipso etiam sacrificii Missae publica i.e. cum aliqua pompa seu sollemnitate oblatio; — c) vetita sepultura ecclesiastica et ideo publica Missae celebratione, non inde sequitur prohiberi quoque privatam celebrationem."²⁰

VI. *DE ANIMABUS PURGATORII QUAE IN ACTU OBITUS NON FUERUNT MEMBRA ECCLESIAE, i.e. de catechumenis, infidelibus, haereticis, schismaticis et excommunicatis, in statu gratiae decedentibus.*

Quoad istorum *capacitatem ad fructum sacrificii* percipiendum, distinguendum est inter baptizatos (haereticos, schismaticos et excommunicatos) et non baptizatos (catechumenos et infideles). Quoad priores nulla videtur esse controversia, quoniam mors in statu gratiae aufert quidquid in eis obstare potuit perceptioni illius fructus; quoad non baptizatos vero iterum redit *triplex theologorum sententia* allata in quaestione de catechumenis et infidelibus vivis. Quidam scilicet negant quoad omnem fructum, alii negant quoad fructum satisfactorium et affirmant quoad impetratorium, alii *recte affirmant quoad utrumque fructum.*

Billot tamen (mox citandus) hic derelinquit primam sententiam negantem ac docet non baptizatos defunctos posse fructum sacrificii percipere, quo capaces non erant in vita, eo quod in Purgatorio non amplius viget distinctio inter animam et visibile corpus Ecclesiae.

*Probat*ur tertia sententia simpliciter affirmativa:

1. Ex mente Ecclesiae et Traditionis, quae nunquam distinguunt inter diversas animas Purgatorii, quod attinet ad fructum sacrificii percipiendum.

¹⁹ *Gasparri*, n. 479.

wDc Sacram., v. 1, n. 622 sq., Taurini, 1921, p. 490 sq.

Cone. Trid. indistincte asserit defunctos seu animas in Purgatorio detentas juvari suffragiis (Denz. 950. 983); *Codex J.C.*, can. 809, idem supponit cum ait missam licite applicari posse pro quibusvis defunctis purgatorio igne admissa expiantibus; *Patres* etiam praefatam distinctionem non faciunt, ut apparet ex quibusdam textibus citatis in art. 49 (p. 1059 sq.); *praxis Ecclesiae*, missam nempe applicandi pro omnibus defunctis indiscriminatim, necnon pro quibusdam catechumenis, imo et pro excommunicatis qui signa poenitentiae dederint ante mortem (cf. infra), supponit Ecclesiam sentire ipsis sacrificium prodesse.

2. Ex ratione a fortiori. Sacrificium prodest omnibus praedictis in vita, quamvis ipsi una vel alia ratione sint separati a corpore Ecclesiae et frequenter ab ejus anima; ergo a fortiori prodest illis post mortem in Purgatorio, ubi omnes sunt in statu gratiae et ubi non est amplius distinctio inter corpus et animam Ecclesiae.

3. Ex universali efficacia sacrificii crucis, quae per missam applicatur.

4. Ex ratione communionis sanctorum, supra exposita quoad animas Purgatorii quae fuerunt membra Ecclesiae.

Quaestio de licita missae applicatione pro omnibus praedictis frustra poneretur modo indeterminato et conditionato (v.g. hoc modo: an liceat litare pro catechumenis, infidelibus, haereticis etc. qui sunt vel si sunt in Purgatorio), tum quia nemini citra revelationem certo constare potest quinam ex illis sint in Purgatorio, tum quia censendum est Ecclesiam nequaquam intendere ullam animam purgantem excludere a suffragiis quibus ipsa sit capax.

Exinde alia quaestio omnino practica et determinata oritur: an et quomodo missa applicari possit in suffragium alicuius determinati defuncti qui non fuerit membrum Ecclesiae.

Non recte igitur assignatur punctum quaestionis a quibusdam auctoribus, ut a *Billot* scribente: "Difficilior autem occurrit quaestio de defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis. Sane indubium est, . . . Tridentini verbis comprehendendi eos omnes qui in sinu corporis Ecclesiae, cum fide viva ex hoc saeculo migrarunt. Eis etiam accensendi sunt alii omnes baptizati qui dum viverent, materialiter pertinebant ad sectas. Remoto enim obice externae adhaesionis ad congregationem haereticam vel schismaticam, non apparet cur excludi deberent a numero eorum 'qui nos praecesserunt cum signo fidei', quod est character christianitatis. De aliis vero in purgatorio degentibus, *an eis missa ex opere operato prodesse possit, tam diversae sunt theologorum sententiae, tamque varia hinc et inde documenta, ut non facilem habeat solutio-*

nem. Dico tamen sententiam negantem non videri admodum probabilem, eo quod omnes illae animae, quantumvis baptismali caractere non insignitae, ad Ecclesiam patientem certo certius pertinent, suntque simpliciter de mystico corpore Christi; ibi namque non amplius viget distinctio inter animam et visibile corpus Ecclesiae.”²¹

Quaestioni autem recto modo propositae respondetur pluribus assertionibus, in quibus communiter conveniunt moderni theologi, salvo aliquo dissensu circa applicationem missae pro defuncto acatholico qui nulla ostenderit ante mortem signa conversionis.

1. *PRO CATECHUMENO DEFUNCTO* licet missam applicare, et quidem publice.

Ad id facit tum testimonium *S. Ambrosii* (De obitu Valentiniani, n. 51. 52. 56, M.L. 16, 1435-1437; cf. Epist. 53, n. 2, ibid. 1216), ex quo patet sacrificium oblatum esse pro Valentiniano imperatore, defuncto antequam baptizari posset, tum sequens Responsio *Innocenti III* ad episcopum Cremonensem circa presbyterum defunctum, qui nesciens se non esse baptizatum, ordinem susceperat: “Sopitis igitur quaestionibus doctorum, Patrum sententias teneas, et in Ecclesia tua juges preces hostiasque Deo offerri jubeas pro presbytero memorato” (Cap. Apostolicam, Decret., l. 3, tit. 43, c. 2).

Id ceterum hodie certum est ex *Codice J.C.*, quo catechumeni accensentur baptizatis in ordine ad concessionem sepulturae ecclesiasticae (can. 1239), quae importat publicam applicationem missae (can. 1241).

Tria opponi possunt testimonia:

Augustinus, De anima, l. 1, c. 9, n. 10, supra cit. (p. 1111) et l. 3, c. 12, n. 18: “Noli credere, nec dicere, nec docere, ‘Sacrificium Christianorum pro iis qui non baptizati de corpore exierint, offerendum’ . . . , si vis esse catholicus. Quia nec illud quod de Machabaeorum libris commemorasti sacrificium Judaeorum (II Machab. xii, 39-46), pro eis qui non circumcisi de corpore exierant, ostendis oblatum. In qua tua sententia tam nova, et contra Ecclesiae totius auctoritatem disciplinamque prolata, verbo etiam insolentissimo usus es, dicens, ‘Pro his sane oblationes assiduas et offerenda jugiter sanctorum censeo sacrificia sacerdotum’ ” (M.L. 44, 520).

Chrysostomus, In ep. ad Phil., hom. 3, n. 4: “Non frustra haec ab apostolis lex est lata, ut in tremendis mysteriis memoria fiat defunctorum. Noverunt illis magnum fructum inde obventurum, magnam utilita-

²¹ De Ecd. Sacram., t. 1, thes. 55, Romae, 1914, p. 635.

tem. Cum enim stat populus universus manibus expansis, atque coetus sacerdotalis, jacetque tremenda hostia, quomodo non supplicabimus, pro ipsis Deum invocantes. Atque id quidem de illis qui in fide decesserunt; catechumeni autem ne hac quidem consolatione digni habentur, sed destituti sunt omni tali ope, una excepta. Quanam? Licet dare pauperibus eleemosynam pro ipsis" (M.G. 62, 204).

Cone. Bracarensc II (a. 563), cap. 35: "Item placuit, ut catechumenis sine redemptione baptismi defunctis simili modo non oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium, nam et hoc per ignorantiam usurpatum est" (M.L. 130, 570).

Respondetur.

Sensus *Augustini* expositus est supra (p. 1115). Addi potest quod ab Augustino catechumenus desiderans Baptismum pro baptizato habetur. Ait enim in opere *De baptismo contra Donatistas*, 4, 22, 29: "Baptismi sane vicem aliquando implere passionem, de latrone illo cui non baptizato dictum est, 'Hodie mecum eris in paradiso' (Luc. xxiii. 43), non leve documentum idem beatus Cyprianus assumit: quod etiam atque etiam considerans, invenio non tantum passionem pro nomine Christi id quod ex Baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest. . . Tunc impletur invisibiliter, cum ministerium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit" (M.L. 43, 173).

Ad textum *Chrysostomi* observat *De la Taille*: "Quid tamen velit Chrysostomus, fortasse apparebit, non adeo diversum a superioribus, si recogitemus primo: eum potissimum de commemoratione publica defunctorum egisse, intra missam fieri solita, id est de diptychis mortuorum, in quibus sane nunquam videmus catechumenos esse relatos. . . . Praeterea, quatenus Chrysostomus videtur etiam simplicem oblationem missae in favorem talium catechumenorum defunctorum excludere, notandum est, eum satis manifeste contra illos loqui qui baptismum ex incuria, fastidio aut ignavia in finem usque vitae differrent: qui, si taliter conversantes morte praeoccuparentur, vix reputari poterant in Ecclesiae foro baptismi efficaciter et sincere cupidi.""

Prohibitio *Cone. Bracarncsis* intelligi potest vel (ut textus Chrysostonii) de non facienda nominali commemoratione defuncti, qui sensus suadetur ex simili prohibitione *Cono. Eliberitani* (a. 300) quoad energumenos (supra relata in p. 1109), vel de non applicanda missa publice (salva nempe privata applicatione), eo fortasse fine ut sic averterentur

"Mysterium Fidei, elue. 32, Parisiis, 1931, p. 386.

catechumeni a Baptismi dilatione; in quo casu addendum est derogatum postea fuisse hujusmodi prohibitioni, ut patet ex supra relato documento Innocenti III.

2. *PRO INFIDELI DEFUNCTO*, qui nullum ante mortem dederit positivum et particulare signum conversionis ad fidem Christianam vel saltem contritionis, *sacrificium publice offerri nequit*. Ita omnes doctores.

Ad *privatam* et directam applicationem quod attinet, *quidam*, ut *Sabetti-Barrett* (n. 704) et *Cappello*, eam negant. Ad rem *Cappello*: "Non potest pro eo sacrificium Missae publice offerri. . . Missa applicari potest solum *indirecte*, accepto, si libet, etiam stipendio, quatenus nimirum sacerdos Sacrum faciat pro omnibus fidelibus defunctis, cum intentione subveniendi etiam animae illius defuncti, si hoc acceptum sit Deo."²³

Alii ita loquuntur ut videantur existimare probabiliter licere in casu missam privatim applicare. Ita:

Lehmkuhl jam ante Codicem scribebat: "Relate ad omnes, qui absque unione externa cum Ecclesia defuncti sunt, prohibetur Missae celebratio seu applicatio *saltem publica*".²⁴

Noldin generaliter statuit: "*Privatim* licet pro omnibus, fidelibus et infidelibus, vivis et defunctis applicare, etiam accepto stipendio et ad eorum intentionem, exclusis solis excommunicatis vitandis".²⁵

Vermeersch: "Suntne reliqui omnes [praeter damnatos et beatos] capaces: id, ante Codicem, non erat extra controversiam. . . Sacrificium tamen crucis pro omnibus oblatum est, et missa non est nisi istud sacrificium continuatum seu renovatum. Quare c. 809 benigniorem sententiam secutus est, et missam omnibus viatoribus et animis purgatorii prodesse tacite admittit, cum pro omnibus illud offerri permittat."^c

Merkelbach: "Ergo *privatim* iam licitum est pro omnibus, fidelibus et infidelibus, etiam haereticis et schismaticis, vivis et defunctis stipendio quoque accepto aut ad eorum intentionem applicare, secluso tamen scandalo . . ., et exclusis solis excommunicatis vitandis."²⁷

Chas. Augustine, O.S.B.: "Concerning the *dead*, the general principle applies that with those with whom we have associated when living we may also associate when dead. . . What if a relative offers a Mass stipend for the repose of a deceased non-Catholic?. . . Some authors say the priest may accept the offering privately on condition that he

²³ De Sacram., v. 1, n. 619, Taurini, 1921, p. 487 sq.

^cTheol. Moralis, v. 2, n. 176, Friburgi Br., 1898, p. 131.

^aTheol. Moralis, De Sacram., n. 178, Oeniponte, 1938, p. 180.

^cTheol. Moralis, t. 3, n. 307, Romae, 1923, p. 243.

²⁷ Theol. Moralis, v. 3, n. 356 (1939), p. 296.

expressly declares that he will say the Mass as far as he is allowed to do so and according to the will of God. This seems a plausible theory if the non-Catholic in question was not a bigoted and prominent defender of his belief, and especially if he was kindly disposed towards the Catholic religion, or died with signs of repentance. . . . As to dead *infidels* or non-baptized persons no decision is known to us that would either forbid or allow the application of a Mass for them. However, a funeral Mass is forbidden. Whether a private Mass is allowed must, we believe, be decided according to the rule laid down with regard to baptized non-Catholics.”²⁸

II. Davis, S.J.: “In cases of heretics, schismatics or pagans, who have died without any sign of repentance or conversion, Mass cannot be announced for them on the ground of scandal and indifferentism. But a private Requiem Mass with proper prayers may probably be said, though the proper prayer is usually not added.”²⁹

Videtur dicendum quod, saltem pro tali infideli qui non ostenderit directa et particularia signa aversionis a fide, *probabiliter* sacrificium privatim offerri potest (quod quidem consultius fiet sub forma conditional!, v.g.: si salvus sit). Probatur ex eo quod id licet pro haeretico et schismatico. Nec dici potest non valere paritatem eo quod in casu haeretici et schismatici nulla habetur Ecclesiae prohibitio; nam tenor verborum *Codicis J.C.* est valde generalis et benignus (can. 809: “*Pro quibusvis tum vivis, tum etiam dejectis*”; ubi videtur tantum concedi pro defunctis quantum pro vivis, pro infidelibus autem vivis sacrificium offerri potest); verba vero *S.C. de Prop. Fide* mox citanda (“Si vere in infidelitate discedunt, omnino non licere”) respiciunt veterem disciplinam ac ceterum interpretari possunt de positivis signis dissensus voluntatis seu aversionis a fide. Probabilitas hujus sententiae confortatur auctoritate theologorum nuper relatorum.

Si autem praedicta signa poenitentiae adjuerint, potest missa pro infideli offerri saltem private.

*Gasparri*TM dicit pro eo posse celebrari.

Cappello scribit: “Putamus saltem *conditionate*, i.e. si et quatenus in statu gratiae decesserit sitque hoc coram Deo acceptum, posse Missam *privatim* applicari”.³¹

Sabetti-Barrett ait: “Pro ipsis mortuis in infidelitate secreta cele-

²⁸ A Commentary on Canon Law, Book 3, vol. 4, Herder, St. Louis, Mo.-London, W. C., 1920, p. 145 sq.

²⁹ Moral and Pastoral Theology, v. 3, London, 1938, p. 28.

³⁰ Tractatus canonicus de SS. Eucharistia, η. 480, Parisiis, 1897, t. 1, p. 341.

³¹ De Sacram., v. 1, n. 619, Taurini, 1921, p. 488.

bratio licita est *modo* ante mortem dederint *probabilia signa poenitentiae*"³²

Jam ante Codicem *Lehmkuhl* scribebat: "Quod si *probabilia signa* sunt (i.e. non tantum communis et generalis possibilitas, quae in solo secreto mysterio divinae gratiae et misericordiae nititur), defunctum bona fide atque gratia divina ex hac vita migrasse, occulte seu privatim sacerdos pro tali defuncto in particulari celebrare posse videtur. Specialem autem Missam de Req., potissimum cum speciali oratione pro hoc defuncto, fieri mihi non probatur, siquidem haec nunquam non publica actio est."³³

De la Taille vero videtur implicite ipsam *publicani celebrationem* concedere, in casu tamen quo adsit non quodlibet signum conversionis vel poenitentiae (tunc enim ipsam privatam applicationem denegat) sed "voluntas aliqua aliquatenus manifestata *accedendi ad Ecclesiam*"; nam, loquens de tali voluntate, ait: "Quae si desit, nullatenus [defuncti] inter fideles possunt recenseri publice; si autem adsit, jam catechumenis accenseri possunt, etiamsi forte, morte praeoccupati, nequiverint praesidibus Ecclesiae nomen dare, catechumenorum ordini formaliter inscribendum: qua ex parte adhuc inter infideles numerabantur."³⁴

Ad rem facit tum generalis tenor verborum *Codicis J.C.* nuper citati, tum peculiariter Documentum *S.C. de Prop. Fide* quae, interrogata: "Si in illo regno [Sinensi] licebit Christianis orare et sacrificium facere Domino Deo nostro pro suis defunctis, qui in sua infidelitate ab hac vita discedunt", respondit 12 sept. 1645: "*Si vere* in infidelitate discedunt, omnino non licere."

3. *QUOAD HAERETICUM VEL SCHISMATICUM DEFUNCTUM*, apte scribit *Cappello*:

"Si haereticus vel schismaticus ante mortem aliqua dederit poenitentiae signa, sacrificium eucharisticum certe potest pro eo offerri et quidem *publice*; ratio est, quia tunc ad ipsam quoque sepulturam ecclesiasticam admittitur (can. 1240, § 1, n. 1); — si poenitentiae signa non dederit ante mortem, Missa celebrari potest, sed solum *privatim* et remoto scandalo: nulla enim adest expressa prohibitio Ecclesiae applicandi sacrificium pro tali haeretico vel schismatico"³⁵

Contra secundum assertum frustra affert *De la Taille* (elue. 22) sequentia documenta, in quibus agitur tantum de *publica applicatione*:

e Theol. Moralis, Neo Eboraci-Cincinnati, 1929, p. 644.

"Theol. Moralis, v. 2, n. 176, Friburgi Br., 1898, p. 131.

"Mysterium Fidei, elue. 32, Parisiis, 1931, p. 390, in nota 5.

"Loc. cit.

Gregorius XVI, scribens ad episcopum Augustanum die 16 febr. 1842, reprehendit ut illicitam celebrationem sacrificii ab isto factam in suffragium defunctae reginae haereticae: “Vix autem possumus explicare verbis, quantum concepimus animo dolorem, cum ex earumdem [literarum] lectione cognosceremus, jussisse te, ut publicae illae supplicationes *quae pro omnibus in Christiana et catholica societate dejectis* [Augustinus, De cura pro mortuis gerenda, c. 4, n. 6] institutae ab Ecclesia sunt, haberentur istic pro muliere principe, quae in haeresi, ut manifestissime vixerat, ita et diem obiit supremum, nec quidquam ad id refert, si potuerit eadem in extremis vitae momentis, occulto Dei miserentis beneficio, illuminari ad poenitentiam. Etenim secretiora haec divinae gratiae mysteria ad exterius ecclesiasticae potestatis iudicium minime pertinent. Atque hinc veteri justa ac nova disciplina interdictum est, ne homines in externa notoriaque haeresum professione defuncti catholicis ritibus honorentur”.³⁶

Idem S. Pontifex ad Praesidem Monachorum Schyrensiensium scribebat die 9 iulii 1842: “Nos igitur sanctissimis insistentes Ecclesiae regulis, respondemus intentionem illam offerendi divinum sacrificium seu alias preces pro defunctis e catholica regia familia universis, haudquaquam satis esse ad cohonestandam publici funeris causam, quod pro acatholica persona nominatim postulatum est et in ejus obitus aut annua die celebratur. . . Non enim permittere possumus ullo modo fraus fiat prohibitioni illi, quae in catholica ipsa doctrina innititur, de sacro funere pro defunctis acatholicis non celebrando.”³⁷

S.C. Rituum ad quaestionem: “An liceat in die anniversaria obitus principissae ad protestandum sectam pertinentis celebrare missam in levamen defunctorum regiae familiae?”, respondit die 23 maii 1859: “Non licere. Et detur exemplum epistolae in forma Brevis die 9 iulii 1842 s.m. Gregorii XVI.”

S.C.S. Officii, interrogata: “An liceat missam offerre pro illis qui *in manifesta haeresi* moriuntur, . . . etiam in casu, quo huiusmodi applicatio missae tantum sacerdoti et illi qui dat eleemosynam nota esset”, respondit die 7 aprilis 1875: “Negative.”

4. “*QUOD AD EXCOMMUNICATOS DEFUNCTOS* attinet, *apte scribit Cappello*, haec teneas: a) si ante mortem aliqua dederint signa poenitentiae, Missa pro eis, sive toleratis sive vitandis, celebrari potest etiam non privatim, i.e. cum populi concursu et sollemnitate, eo ipso quod ad sepulturam ecclesiasticam admittuntur (can. 1240); — b) etsi decesserint sine poenitentiae signis, dummodo excommunicati non

³⁶ *Acta Gregorii P. P. XVI*, ed. A. M. Bernasconi, Romae, 1902, t. 3, p. 199.

³⁷ *Op. cit.*, p. 222.

fuerint per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, Missa eodem modo pro ipsis celebrari potest, ob eandem rationem, scii, quia non privantur ecclesiastica sepultura (can. cit. § 1, n. 2); — c) pro excommunicatis per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, qui ante mortem signa poenitentiae non dederint, Missa applicari potest, sed tantum *privatim* et remoto scandalo”.³⁸

Quidam tamen, ut *Noldin* (n. 178, supra cit., p. 1136), *Vermeersch* (n. 308) et *Merkelbach* (n. 356, cit. *ibid.*), docere videntur missam pro excommunicato vitando defuncto nec privatim applicari posse. Rem expressius docet *Vermeersch* scribens: “Novo suo iure, Ecclesia c. 809 nec infideles nec acatholicos excludit; a *publica* tamen applicatione excludit *excommunication*: pro quo igitur privatim tantum ac remoto scandalo, missam applicare licet; *vitandum* autem simpliciter excludit, ita ut pro sola eius *conversione* missam offerri sinat (c. 2262, § 2). *Quare etiam post mortem suffragiis privatur*. — Nihil autem obstat quin *sollemnia* fiant pro catechumeno.”³⁰

Ad rem autem faciunt, praeter Codicem J.C. (can. 809; 2262, § 2, n. 2; 1239, § 3; 1240, § 1, n. 2; 1241), sequentia antiqua documenta:

Gregorius III, Epist. ad Bonifacium episc.: “Pro obeuntibus quippe consuluisse dignosceris si liceat oblationes offerre. Sancta sic tenet ecclesia, ut quisque pro suis mortuis vere Christianis offerat oblationes, atque presbyter eorum memoriam faciat, et quamvis omnes peccatis subjaceamus, congruit, ut sacerdos pro mortuis catholicis memoriam faciat et intercedat; non tamen pro impiis (quamvis Christiani fuerint) tale quid agere licebit” (Decretum Gratiani, pars 2, causa 13, q. 2, cap. 21, M.L. 187, 948).

Caput “Si quis episcopus”: “Si quis episcopus aut abbas presbytero aut monacho suo jusserit missas pro haereticis⁴⁰ cantare, non licet, et non expedit obedire eis” (M.L. 187, 872). Haec verba in *Decreto Gratiani* (pars 2, causa 11, q. 3, cap. 91) false tribuuntur Eutichiano Papae; nam nullius Papae est documentum, sed excerptum est ex *Canonibus Poenitent' talibus* (M.L. 30, 430), false S. Hieronymo adscriptis, qui et ipsi excerpti sunt ex variis canonum compilationibus.

Caput “A nobis”, Decret., l. 5, tit. 39, c. 28, excerptum ex Regest. *Innocenta III*, l. 2, c. 61: “A nobis est saepe quaesitum, utrum si aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint poenitentiae manifesta, nec per eum steterit quo minus reconciliaretur ecclesiae unitati, non suscepto beneficio absolutionis decesserit, pro absoluto ab Ecclesia sit

³⁸ De Sacram., v. 1, n. 621, Taurini, 1921, p. 489 sq.

³⁹ Theol. Moralis, t. 3, n. 308, Romae, 1923, p. 243.

⁴⁰ Agitur de defunctis haereticis, ut patet ex animadversione Correctorum Romanorum.

habendus et utrum pro tali recipienda sit eleemosyna et a fidelibus sit orandum. . . Consultationi . . . breviter respondemus. . . Quantumcumque praedictus se, juramento praestito quod Ecclesiae mandato pareret, humiliare curaverit quantaecunque in eo poenitentiae signa praecesserint, quia tamen morte praeventus absolutionis non potuit beneficium obtinere, quamvis apud Deum absolutus fuisse credatur, nondum tamen apud Ecclesiam habendus est absolutus. Potest tamen et debet ei Ecclesiae beneficio subveniri; scilicet ut cum de ipsius viventis poenitentia per evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur” (M.L. 214, 599 sq.).

Caput “Sacris”, Decret., l. 5, tit. 39, c. 38, similia decernit.

Nota. DE LA TAILLE,*1 fere unicus, ut videtur, inter eos qui post Codicem quaestionem tangunt, putat non posse etiam privatim sacrificium offerri pro infideli, haeretico, schismatico, excommunicato, qui obierit quidem “cum indiciis vere probabilibus bonae fidei et status gratiae” sed sine “animo aliquo aliter manifestato accedendi aut revertendi ad Ecclesiam: unde quis catechumenis aut resipiscentibus accenseri possit.” Stante tamen contraria opinione, Lehmkuhl, Génicot, Noldin, Werns et Lépiciér, addit se nolle opinioni, quae sibi verior videtur, simpliciter acquiescere. In cuius favorem sequentes affert rationes:

1. “Ratio [intrinsic] est quod Ecclesia est quaedam societas visibilis, in qua quicquid est publici juris seu externi fori, necessario secundum ea quae externe comparent est ordinandum ac transigendum. Porro, et secundum externe comparentia defunctus acatholicus [vel excommunicatus] est extra fines salutis, et secundum se applicatio specialis nostrorum sacrificiorum videtur esse quiddam publici juris. . . Quae cum ita sint, parum certe apparet, quomodo possit pro defuncto acatholico specialiter litari, etiam, ut aiunt, privatim, id est tacito nomine.^{H4}

2. “Quoad momenta extrinseca huius quaestionis, primum occurrit, quod nullum ex tota antiquitate exemplum afferri potest, quod norim, istiusmodi applicationis specialis pro defuncto acatholico. Secundo, nunquam ante nostram aetatem ullus doctor, quem norim, istud pronuntiavit licitum.”*3

3. Additur auctoritas *Augustini* (De anima, l. 1, c. 11, n. 13, supra cit., p. 1115), *Gregorii XVI, S.C. Rituum* et *S.C.S. Officii* (supra cit., p. 1139 sq.).

4. Verba canonis 809 “Pro quibusvis . . . etiam defunctis” non ne-

n *Mysterium Fidei*, elue. 32, Parisiis, 1931, p. 387 sqq.

§ Loc. cit., p. 387.

° Ibid., p. 388.

cessario favent contrariae sententiae. Nam “considerandum est diligenter, qui sit proprius sensus et ambitus Canonis. Revera dicitne Canon, posse offerri speciatim pro defunctis acatholicis? Dicit posse offerri pro quibusvis defunctis existentibus in purgatorio: sed hoc jam audivimus ex universa fere Schola; nec tamen, ut dictum est, potuit inde concludi, mentem Scholae fuisse eo ipso, ut litari posset specialiter pro acatholicis defunctis. Cur amplius potuerit aut debuerit concludi ex Canone?”

“Et quidem, *a priori*, non multum verisimile est, voluisse Legislatorem per viam Canonis decidere istam quaestionem contra doctrinam, ut videtur, Gregorii XVI et decisionem S. Officii luculentiore. Et cum affectet Canon stylum sollemnem scholasticorum theologorum, nonne etiam rationabiliter judicabitur se intra fines communis, aut communioris, ipsorum placiti continuisse? . . . Praeterea, inter fontes, ad quos in *Codice* remittimur, nullus punctum controversiae illius tetigit. Quibus omnibus consideratis, non parum quis haeserit in extendendo aut ampliando sensu istius Canonis.”⁴⁴

His positus, *concludit De la Taille*: “Momentis vero utriusque partis sic libratis, non facile est tandem de celebratione pro acatholicis aliquid decernere firmi. Hinc me inclinant rationes, quibus quomodo occurratur parum video. Illinc me retardat paululum, praeter auctoritatem modernorum, aliqua certe difficultatis umbra ex Jure Canonico, quae nescio an plenissime dispellatur. Igitur, quanquam verior mihi apparet solutio negans, tamen malo me committere sapientiae peritiorum, aut decisioni authenticae, si qua prodierit, sive circa ipsam litationem pro acatholicis defunctis, sive quoad interpretationem Canonis 809.”⁴⁵

Respondetur.

1. “Certitudo de statu damnationis ne in foro quidem externo ita absolute enunciari debet, quia secretiora sunt divinae bonitatis ac misericordiae mysteria”.⁴⁶ Ceterum sola publica applicatio est directe aliquid publici juris; unde non sequitur etiam privatam applicationem esse ex natura rei denegandam praedictis defunctis. Praeterea si hoc verum esset, sequeretur nec ipsam Ecclesiam posse privatam applicationem permittere pro illis; quod durum esset affirmare.

2. Nullum etiam Ecclesiae documentum id prohibens afferri potest nec ullus antiquus theologus explicite contradicens; imo verba S.C. de Prop. Fide a. 1645 (“Si *vere in infidelitate* discedunt”) et S.C.S. Officii a. 1875 (“Qui *in manifesta haeresi* moriuntur”) interpretari possunt de sola prohibitionem litandi pro iis qui manifestaverint positiva signa

⁴⁴ Ibid., p. 391.

⁴⁵ *Mysterium Fidei*, elue. 32, Parisiis, 1931, p. 392.
Cappello, citatus in p. 1131 sq.

dissensus seu aversionis a fide. Ceterum potuit mens Ecclesiae severior esse ante Codicem atque privatae missae applicationi obstare.

3. Sensus verborum *Augustini* explanatus est supra (p. 1115). Ceterum ad baptizatos quod attinet, notentur haec verba S. Doctoris: “Non pro quibus fiunt omnibus prosunt [suffragia], sed iis tantum quibus dum vivunt comparatur ut prosint. *Sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus jacere*, ut nullus eorum praetermittatur, ad quos haec beneficia possint et debeant pervenire. Melius enim supererunt ista eis quibus nec obsunt nec prosunt, quam eis deerunt quibus prosunt” (De cura pro mortuis gerenda, 18, 22, M.L. 40, 609).

Decisiones autem *Gregorii XVI* et *S.C. Rituum* agunt directe de publica missae applicatione.

4. Amplitudo et benignitas verborum *Codicis* commendatur tum ex eorum sensu obvio, tum ex recto interpretationis principio “Favores sunt ampliandi, odia vero restringenda”, tum ex communi interpretatione Moralistarum et Canonistarum, tum ex manifesta ac generali ratione benignitatis quam in hac suffragiorum materia ostendit novus Codex quaeque signanter apparet in quaestione de haereticis, schismaticis et excommunicatis vivis, de qua acriter disputabant antiquiores theologi (cf. supra, p. 1123 sq.).

AD PRAXIM QUOD ATTINET, tuta conscientia missam quis applicabit, accepto etiam stipendio, saltem pro infideli, haeretico, schismatico, excommunicato declarato, qui dederit aliqua *vere probabilia signa* conversionis vel bonae fidei. *Consultius* fiet applicatio *conditio-nata* (“Si salvus sit”), praecipue cum de sufficientia signorum dubitatur.

Ceterum *tutius* erit, ubi facile id poterit, obtemperare politico consilio quod suggerunt plures auctores, uti *Cappello* (n. 619). *Lcpicicr*, *Dela Taille*, *Sabetti-Barret* (n. 704), post *Gasparri* scribentem: “Quid vero, si oblato stipendio, missa petatur pro mortuo in infidelitate aut in haeresi, aut in excommunicatione, aut in manifesto peccato? Respondeat sacerdos, se posse applicare missam pro omnibus fidelibus defunctis cum intentione subveniendi etiam animae illius defuncti, si hoc acceptum sit coram Deo.”⁴⁷

Addit *De la Taille*: “Nec facies contra legem divinam, si privatim oraveris Deum, ut largior et potior descendat ad talem animam pars beneficii communiter omnibus per missam erogati. Aliud enim est offerre specialiter pro uno (quod est suffragium sacrificii ecclesiastici per publicum Ecclesiae legatum dirigere tuo nutu in unius speciale commodum), aliud, dum offers indiscriminate pro omnibus, petere a Deo sup-

⁴⁷ Tractatus canonicus de SS. Eucharistia, n. 489, Parisiis, 1897, p. 349.

pliciter, privato tuo nomine, nec per publicum opus sacrificii, ut quod prodest communiter omnibus, specialiter prosit uni.¹⁸ Etiam si enim illud tibi respectu solorum fidelium liceat, tamen hoc alterum certissime tibi licet respectu cujusvis adulti hominis defuncti; nullius enim salutem desperare jubemur, aut vetamur per orationem promovere”.¹⁰

VII. *DE HIS QUI IN ULTIMO TERMINO SUNT CONSTITUTI, I.E. DAMNATIS, LIMBO ADDICTIS ET BEATIS* (Suppi., q. 71, a. 5. 7. 8).

1. *PRO DAMNATIS IN INFERNO* missa nulla ratione applicari potest (a. 5).

Id sequitur ex ipsa eorum perfecta *inhabilitate* ad percipiendum fructum sacrificii, quae quidem provenit ex duplici defectu, i.e. tum ex defectu conditionis in subjecto, deest enim in eis vinculum charitatis quod est ratio quare in corpore mystico opera bona unius possint alteri communicari, tum ex defectu objecti, nullum enim bonum possunt damnati percipere quo tollatur vel minuatur eorum poena, quippe quae sit aeterna et immutabilis.

Ad rem S. *Thomas*: “Est . . . praedicta opinio [dicentium suffragia prodesse damnatis] praesumptuosa, utpote sanctorum dictis contraria et vana, nulla auctoritate fulta; et est irrationabilis, tum quia totaliter ad vitae terminum pervenerunt, recipientes ultimam pro meritis retributionem, sicut et sancti qui sunt in patria; quod enim adhuc restat de poena vel gloria corporis, hoc eis rationem viatoris non praebet; cum gloria essentialiter et radicaliter consistat in anima, et similiter miseria damnatorum. Et ideo non potest eorum poena diminui, sicut nec gloria sanctorum augeri quantum ad praemium essentielle.”

Non tamen defuerunt *quidam*, praesertim inter antiquos, qui dixerunt posse per suffragia damnatos adjuvari.

Jam *Augustinus* hunc errorem apud quosdam sui temporis reprehendit, inquiens: “Frustra itaque *nonnulli, imo quam plurimi*, aeternam damnatorum poenam et cruciatus sine intermissione perpetuos humano miserantur affectu, atque ita futurum esse non credunt; non quidem Scripturis divinis adversando, sed pro suo motu dura quaeque molliendo, et in leniorem flectendo sententiam, quae putant in eis terribilius esse dicta, quam verius. *Non enim obliviscatur* inquiunt, *misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas* (Psal. Ixxvi, 10). Hoc quidem in psalmo legitur sancto; sed de his sine ullo scrupulo intelligitur.

¹⁰ “Tua oratio impetrat ex opere operantis, ut ex opere operato missae juvetur iste amplius.” Ita *De la Taille*, loc. cit., p. 392, in nota.

“Loc. cit., p. 392 sq.

qui vasa misericordiae nuncupantur, quia et ipsi non pro meritis suis, sed Deo miserante de miseria liberantur.

“Aut si hoc ad omnes existimant pertinere, non ideo necesse est ut damnationem opinentur posse finire eorum de quibus dictum est, ‘Et ibunt isti in supplicium aeternum’: ne isto modo putetur habitura finem quandoque felicitas etiam illorum, de quibus e contrario dictum est, ‘Justi autem in vitam aeternam’ (Matth. xxv, 46). Sed *poenas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari*. Etiam sic quippe intelligi potest manere in illis ira Dei (Joan, iii, 36), hoc est ipsa damnatio (haec enim vocatur ira Dei, non divini animi perturbatio), ut in ira sua, hoc est manente ira sua, non tamen contineat miserationes suas; *non aeterno supplicio finem dando, sed levamen adhibendo vel interponendo cruciatibus*” (Enchir. 112, M.L. 40, 284 sq.; cf. Serm. 172, 2, 2, supra cit. in p. 1060 sq.).

Ut patet ex altera parte huius textus, ipse *Augustinus* benignius iudicat de opinione dicentium poenam damnatorum aliquatenus mitigari (“Si hoc eis placet”), simpliciter vero negat posse exinde poenam damnationis aliquando terminare. Ceterum inepte a quibusdam dictum est S. Doctorem tanquam ex propria sententia docere mitigationem poenae damnatorum per suffragia atque ad id probandum allata sunt eius verba: “Quibus autem [suffragia] prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio” (ibid., cap. 110). Nam ibi S. Doctor manifeste loquitur de solis animabus Purgatorii, docens suffragia quibusdam prodesse ad plenam solutionem poenarum, quibusdam vero ad earum tantum mitigationem (ad 2).

Non pauci posterius *eundem errorem renovarunt*, inter quos plures doctores aevi, uti *theologi Porretani, Praepositinus* et *Guilelmus Altissiodorcnsis* (a. S. Thoma citati); his a quibusdam accensetur ipse *Petrus Lombardus* (Sent., l. 4, dist. 45, n. 2. 4. 5) sed prorsus immerito ut patet ex ipsa litera.

“In *GeUonensi codice* pervetusto exstat inscripta ‘Missa pro cuius anima dubitatur,’ in qua isthaec legitur oratio: Omnipotens et misericors Deus, qui habes potestatem mortificare, et iterum vivificare: deducere ad inferos, et iterum reducere; et vocas ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt; cujus potestas et in coelo et in terra, et in mari et in inferis plena assistit: te humiles trementesque deprecamur pro anima famuli tui, quam traxisti de praesenti saeculo absque poenitentiae spatio; ut si forsitan ob gravitatem criminum non meretur surgere ad gloriam, per haec sacra oblationis libamina, vel tolerabilia fiant ipsa tormenta.’ *Adrevaldus*, lib. de Miraculis sancti Benedicti, cap. 21, scribit *Floriacenses* pro animabus praedonum in acie caesorum Domi-

num fudisse; 'quatenus etsi perpetuis non mererentur absolvi cruciati-
bus, saltem minoribus multarentur a stricto Iudice poenis'."50

S. *Thomas* (hic in corp.) varias huius erroris opiniones ad tres se-
quentes reducit:

Quidam, ut *Praepositinus* et *Porretani*, dixerunt damnatis suffragia
prodesse quantum ad *diminutionem ipsius poenae*.

Ad vitandum autem inconueniens, quod inde sequi videtur, posse
nempe per reiteratas diminutiones poenam damnationis aliquando sim-
pliciter cessare (quod esset haeresis Origenis), *respondet Praepositinus*
suffragia prodesse tantum pro tempore ante iudicium universale adeo-
que cessationem poenae, quae forte ex tali diminutione contingeret, non
fore cessationem simpliciter, sed tantum ad tempus et usque ad diem
iudicii quando animae damnatorum, suis corporibus coniunctae, in in-
ferno recludentur sine ulla amplius spe veniae aut mitigationis; *respon-*
dent vero Porretani quod ex mitigatione poenae damnatorum, quantum-
vis multiplicata, nunquam sequetur eius totalis extinctio, quia poena
minuitur per divisionem quamdam proportionalem (ut si primo aufe-
ratur media pars, postea media pars mediae partis remanentis, et sic
deinceps in infinitum), ad modum quo Philosophi dicunt non exhauriri
quantitatem per divisionem.

Alii, ut *Altissiodorensis*, dixerunt "quod suffragia prosunt damnatis,
non quidem per diminutionem poenae, vel per interruptionem, sed *per*
confortationem patientis; sicut si homo portaret grave onus, et faciem
suam perfunderet aqua: sic enim confortaretur ad melius portandum,
cum tamen onus suum in nullo levius fieret."

Alii tandem mitius docuerunt quod damnatis suffragia "non prosunt
[quidem] neque quantum ad diminutionem poenae, vel interruptionem,
neque quantum ad diminutionem sensus poenae; sed quia ex hujus-
modi suffragiis *eis aliqua materia doloris subtrahitur*, quae eis esse
posset, si ita se abjectos conspicerent, quod pro eis nulla cura haberetur;
quae materia doloris eis subtrahitur, dum suffragia pro eis fiunt."

S. Doctor, simpliciter reiectis duabus prioribus opinionibus, ait quod
ultima "posset aliquo modo sustineri"; addit tamen: "Sed istud etiam
non potest esse secundum legem communem, quia, ut Augustinus [De
cura pro mortuis, 13] dicit (quod praecipue de damnatis est verum),
'ibi sunt spiritus defunctorum, ubi non vident quaecumque aguntur, aut
eveniunt in ista vita hominibus;' et ita non cognoscunt quando pro eis
suffragia fiunt, nisi supra communem legem hoc remedium divinitus
detur aliquibus damnatorum, quod est verbum omnino incertum. *Unde*

† Apud Migne. P L. 40, 284, in nota.

tutius est simpliciter dicere quod suffragia non prosunt damnatis, nec pro eis Ecclesia orare intendit, sicut ex inductis auctoritatibus apparet."

In resp. ad 4 et 5 S. Thomas sobrie et eleganter solvit *objectionem deductam ex duabus praecipuis historiis* quae ex vitis antiquorum afferuntur ad probandam efficaciam orationis et sacrificii in favorem damnatorum, historiis scilicet *Trajani imperatoris*[^] et *Macharii monachi*.

Joannes diaconus in sua Vita S. Gregorii Papae, l. 2, c. 44 (M.L. 75,104 sq.), refert in Anglorum ecclesiis narrari quod S. Gregorius, per forum Trajani quadam die transiens, memoria aequanimitatis hujus principis commotus est, et, ad basilicam S. Petri perveniens, pro eo ad Deum deflevit, donec sequenti nocte responsum accepit se pro Trajano exauditum esse, tantum pro nullo ulterius pagano preces effunderet.

Eodem fere modo factum enarratur a *Paulo diacono* in sua *Vita S. Gregorii* (M.L. 75, 56 sq.).

Eandem historiam refert *Pseido-Damascenus* in suo Sermone "De his qui in fide dormierunt" (n. 10), dicens Gregorium audivisse vocem sibi divinitus dicentem: "Vocem tuam audivi et veniam Trajano do" addensque hanc historiam totum Orientem et Occidentem testari.

De veritate hujus jacti merito cum ipso Joanne diacono dubitatur, non quidem ob ipsius rei impossibilitatem (ut constat ex mox citanda explicatione S. Thomae), sed primo, quia prorsus extraordinarium et inverisimile videtur tantam gratiam concessam esse iniquo principi, persecutori Christianorum; secundo ac praecipue, quia factum contradicit doctrinae ipsius S. *Gregorii* scribentis: "Eadem . . . causa est cur non oretur. . . pro hominibus aeterno igne damnatis, quae . . . etiam causa est ut non oretur pro diabolo angelisque ejus aeterno supplicio deputatis" (Moral. 34, 19, 38, M.L. 76, 739), unde prorsus inverisimile est Gregorium orasse pro gentile, et quidem pro persecutore Christianorum; tertio, quia inverisimile est tam extraordinarium factum fuisse Romanis ignotum ac nonnisi ex gente Anglorum, "in mundi angulo posita",⁵ Joannem diaconum illud accipere debuisse.

Nec refert quod in praedicto Sermone *Pseudo-Damasceni* dicatur eam historiam fuisse notam toti Orienti et Occidenti; nam hic Sermo vel scriptus est ante Joannem diaconum (puta a Damasceno vel eius tempore) et tunc falsum asserit, si credamus Joanni diacono testant! anglicam originem huius historiae, vel exaratus est post Joannem diaconum et tunc pendet ab hoc auctore, ex cuius *Vita S. Gregorii* res divulgata est tum in Occidente tum in Oriente.

⁵ Cf. *Billuart*, De religione, diss. 2, ad calcem (Digressio historica); *Bellarmino*, De Purgatorio, l. 2, c. 18; *Baronium*, Annal, ad annum 604.

⁶ Ita S. *Gregorius*, apud Joannem Diaconum, c. 39, M.L. 75, 102.

Ceterum, *supposita historicitate jacti*, respondet S. Thomas:

“De facto Trajani hoc modo potest probabiliter aestimari, quod precibus B. Gregorii ad vitam fuerit revocatus, et ita gratiam consecutus sit, per quam remissionem peccatorum habuit, et per consequens immunitatem a poena: sicut etiam apparet in omnibus illis qui fuerunt miraculose a mortuis suscitati, quorum plures constat idololatrias et damnatos fuisse.⁵³ De omnibus talibus enim similiter dici oportet, quod non erant in inferno finaliter deputati, sed secundum praesentem propriorum meritorum justitiam: secundum autem superiores causas, quibus praevidebantur ad vitam revocandi, erat aliter de eis disponendum.

“Vel dicendum, secundum quosdam, quod anima Trajani non fuit simpliciter a reatu poenae aeternae absoluta; sed ejus poena fuit suspensa ad tempus, scilicet usque ad diem judicii. Nec tamen oportet quod hoc fiat communiter per suffragia, quia alia sunt quae lege communi accidunt, et alia quae singulariter ex privilegio aliquibus conceduntur: sicut alii sunt humanarum limites rerum, alia divinarum signa virtutum, ut Augustinus dicit [De cura pro mortuis, 16]” (ad 5).

Historia Macharii monachi narratur bis in *Vitis Patrum* (1. 3, n. 172; 1. 6, n. 16, M.L. 73, 797 sq. 1013; cf. adnotationes in coi. 813 et 1022 sq.) et commemoratur in supradicto Sermone *Pseudo-Damasceni*.

Vitae Patrum, 3, 172: “Abbas Macarius dum ambularet in deserto, caput cujusdam hominis aridum invenit in terra. Quod postquam baculo suo convertit, vocem visum est emittere. Quod senex quisnam esset interrogat; at ille respondit: Ego quidem princeps eram sacerdotum idolorum, qui in hoc loco habitabant. Tu autem es abbas Macarius spiritu divino repletus. Quacunque enim hora misertus eorum fueris qui in poena sunt, et pro eis oraveris, consolationem aliquam sentiunt. Cui senex: Et quae est consolatio vestra, vel poena? responde. At ille altius ingemiscens: Quantum, inquit, coelum distat a terra, tantum ignis est altus, in quo medio sumus a pedibus usque ad caput undique perfusi, nec cuiquam licet faciem alterius intueri, sed facies nostro dorso coniunctae sunt. Cum ergo oras pro nobis, ex parte videmus alterutrum, et hoc nobis pro consolatione constat. . . Quibus auditis, beatus Macarius capite altius terrae defosso discessit” (M.L. 73, 797 sq.).

Pseudo-Damascenus: “Macarius ex cranio arido sciscitando de defunctis pleraque edidit. Et quia faciebat pro consuetudine sua pro defunctis preces, scireque desiderabat, nunquid illis prodessent, et an consolatio eis inde proveniret; Deus animarum amator, volens hoc servo suo pluribus et certis argumentis patefacere, cranio, quod exaruerat, verbum veritatis inspiravit. Prorupit enim cranium in haec verba:

⁵³“Plura exempla citat *Bellarminus*, De Purg., 1. 2, c. 18.

•Quando pro mortuis offers preces, consolatiunculam sentimus.’ ” (M.L. 73, 1023).

Ad hanc historiam scribit *adnotator in Migne* (P.L. 73, 1022 sq.):

“*Frater Joannes Maria Brasichellensis* [magister sacri palatii] . . . hic notat: Circumspecte lege hanc de cranio a Macario reperto narrationem; nam quod cum placitis theologiae haud recte cohaereat, ut apocrypha a multis rejicitur. Vide Bellarminum, libro ii de Purgatorio, cap. IS. Sed eandem explicat sanctus Thomas in iv Sent., dist. 45, q. 2, art. 2, ad iv. Consule Sixtum Senens., annot. 45, lib. v Bibi. Hactenus ille.

“Historiam hanc de cranio citat ex l. iv Vitarum Patrum Dionysius Carthusianus, libello de quatuor novissimis, art. 52. Breviate tamen, omittens ea quae hic dicuntur de relaxatione poenarum damnatorum, credo, quod rem eam inter scholasticos videret maxime controversam, dum quisque rem hanc interpretari conatur.

“*Bellarminus*, tomo II, contr. 3,1. ii, de Purgatorio, cap. 18, existimavit eam rem reperiri apud solum Damascenum, oratione de Defunctis; et quia ille ex Palladii historia Lausiaca citat, in qua nunc non exstat, existimavit rem falsam et apocrypham. Sed mentio ejus rei in Menaeis Graecorum, 19 Januarii, et hoc loco [bis in Vitis Patrum] . . . et apud Joannem Damascenum, libro de iis qui in fide dormierunt [invenitur]. . .

“*Quare interpretatio aliqua quaerenda.* Quam vide apud divum *Thomam* in iv, d. 45, art. 2, q. 2. . . Certe cum veteres scholastici in rei hujus explicatione laboraverint, non habuere eam pro apocrypha.”

Supposita autem veritate huius historiae, respondet 5. *Thomas*:

“Illud adiutorium non erat in hoc quod poena eorum diminueretur, sed in hoc solo, ut ibidem dicitur, quod eo orante concedebatur eis, ut mutuo se viderent; et in hoc aliquod gaudium non verum, sed phantasticum habebant, dum implebatur hoc quod desiderabant: sicut et daemones gaudere dicuntur, dum homines ad peccatum pertrahunt, quamvis per hoc eorum poena nullatenus minuatur, sicut nec minuitur angelorum gaudium per hoc quod malis nostris compati dicuntur” (ad 4).

H I I

2. *PRO PARVULIS LIMBO ADDICTIS* missa nullatenus applicari potest (Suppi., q. 71, a. 7).

Id patet ex illorum inhabilitate ad sacrificii fructum percipiendum, quae fundatur tum in defectu charitatis, quae, ut dictum est supra, est fundamentum communicationis suffragiorum, tum in immutabilitate status negativae damnationis in quo ipsi versantur.

Unde absolute pronuntiat *Augustinus*: “*Qui sine fide* quae per dilec-

tionem operatur (Galat. v, 6), ejusque Sacramentis, de corporibus exierunt, frustra illis a suis hujusmodi pietatis impenduntur officia, cujus, dum hic essent, pignore caruerunt, *vel non suscipientes*, vel in vacuum suscipientes Dei gratiam” (Serm. 172, 2, 2, M.L. 38, 937).

Dices. Parvuli detinentur in limbo propter peccatum alienum, i.e. tum propter peccatum originale ad Adamo personaliter commissum, tum forte propter peccatum eorum ex quorum incuria ipsi absque Baptismo mortui sunt. Ergo maxime decet ut etiam per aliorum suffragium adiuventur.

Resp. Id utique maxime conveniens esset si tamen parvuli essent capaces auxilii (ad 1).

3. *PRO SANCTIS EXISTENTIBUS IN PATRIA* nequit proprie missa applicari, ad hoc nempe ut in seipsis suscipiant aliquem sacrificii fructum (Suppi., q. 71, a. 8).

Ratio est quia beati non sunt capaces huiusmodi fructum suscipiendi, eo quod hunc jam possideant, et quidem secundum aliquam mensuram unicuique determinatam, quae nec minui nec augeri potest.

Ad rem faciunt verba *Augustini*, Serm. 159, 1, 1: “In patria nullus orandi locus erit, sed tantum laudandi. Quare orandi locus nullus erit? *Quia nihil deest*. . . Quod hic petitur, ibi accipitur. . . Ideoque habet ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur: pro caeteris autem commemoratis defunctis oratur. *Injuria est enim, pro martyre orare*, cujus nos debemus orationibus commendari” (M.L. 38, 868).

Idem, In Joan., tract. 84, η. 1: “Et nos debemus animas pro fratribus ponere. . . Hoc beati martyres ardenti dilectione fecerunt: quorum si non inaniter memorias celebramus, atque in convivio quo et ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedimus, oportet, ut quemadmodum ipsi, et nos talia praeparemus. Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos commemoramus quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhaereamus; qui impleverunt ipsi charitatem qua Dominus dixit non posse esse majorem. Talia enim suis fratribus exhibuerunt, qualia de Domini mensa pariter acceperunt” (M.L. 35, 1847).

Profecto beati sunt impeccabiles seu confirmati in gratia, ergo sunt in perpetuum incapaces fructus *expiatorii*; debito poenarum temporalium carent, cui jam satisfacere debuerunt in vita vel Purgatorio, ergo sunt incapaces fructus *satisfactorii*; gratiam sanctificantem et gloriam essentialem inamissibiliter et immutabiliter possident, ergo quoad hoc sunt incapaces fructus *impetratorii*; gloriam ipsam accidentalem vel jam actu immutabiliter possident (saltem gloriam animae quoad praeci-

puas eius dotes, uti auram, aureolam, cognitionem extra Verbum) vel radicaliter et in jure ipsius gloriae essentialis ita habent ut statuto tempore et in determinato gradu immutabiliter possidebunt (praesertim gloriam corporis, i.e. resurrectionem et statum gloriosum), ergo *proprie loquendo* sunt simpliciter incapaces fructus impetratorii.

Unde *inepte quidam auctores* simpliciter affirmant beatos esse capaces hujus fructus quantum ad gloriam accidentalem.

Tempore *Innocenta III* plures doctores docebant sacrificium prodesse beatis ad augmentum glorificationis, quin distinguerent inter gloriam essentialem et accidentalem; quam sententiam Innocentius, ob illorum forte doctorum reverentiam, prudenter reprobare non audet, inquiens: "Quod in plerisque orationibus continetur, *prosit* videlicet vel *proficiat huic sancto vel illi talis oblatio ad gloriam vel honorem*, ita sane debet intelligi, ut ad hoc prosit, quod magis ac magis a fidelibus glorificetur in terris aut etiam honoretur, *licet plerique reputent non indignum sanctorum gloriam usque ad iudicium augmentari*, et ideo Ecclesiam interim sane posse augmentum glorificationis eorum optare. Utrum tamen in hoc articulo locum habeat illa distinctio⁵⁴ qua docetur quod defunctorum alii sunt valde boni, alii valde mali, alii mediocriter boni et alii mediocriter mali, unde suffragia quae fiunt a fidelibus in Ecclesia pro valde bonis actiones sunt gratiarum, pro valde malis consolationes vivorum, expiationes vero pro mediocriter bonis et propitiationes pro mediocriter malis, *tua discretio investiget*" (Regest., l. 5, c. 121, M.L. 214, 1122 sq.).

Improprie tamen loquendo dici potest beatos percipere fructum impetratorium missae quoad augmentum gloriae accidentalis, idque dupliciter:

Primo, quoad *gloriam accidentalem extrinsecam*, quatenus per sacrificium impetratur ut vita et virtutes alicuius sancti melius et a pluribus cognoscantur eiusque devotio et imitatio inter fideles augeatur; et ita sacrificium potius nobis prodest quam ipsi sancto, vel si placet prodest ipsi sancto non in seipso sed prout vivit in nostra cognitione et devotione.

Ad rem *Innocentius III*: "Tua fraternitas requisivit quis mutaverit, vel quando fuerit mutatum, aut quare, quod in secreta beati Leonis secundum antiquiores codices continetur; sic videlicet: 'Annue nobis, Domine, ut animae famuli tui Leonis haec prosit oblatio', cum in modernioribus sacramentariis habeatur: 'Annue nobis, Domine, quaesumus, ut intercessione beati Leonis haec nobis prosit oblatio'. Super quo

⁵⁴De qua *Augustinus*, Enchir. 110, cit. in art. 49, p. 1060, et *Petrus Lombardus*, Sent., l. 4, (list. 45, η. 5).

tibi taliter respondemus, quod quis illud mutaverit, aut quando mutatum fuerit, ignoramus: scimus tamen qua fuerit occasione mutatum; quia, cum sacrae Scripturae dicat auctoritas quod *injuriam jacet martyri qui orat pro martyre*, idem est ratione consimili de sanctis aliis sentiendum, qui orationibus nostris non indigent, pro eo quod cum sint perfecte beati, omnia eis ad vota succedunt, sed nos potius eorum orationibus indigemus, quos, cum miseri simus, undique mala multa perturbant. Unde quod in plerisque orationibus continetur, ‘prosit’ videlicet vel ‘proficiat huic sancto vel illi talis oblatio ad gloriam vel honorem’, ita sane debet intelligi, ut ad hoc prosit, quod magis ac magis a fidelibus glorificetur in terris aut etiam honoretur” (1. c.).

Item S. *Thomas*: “Hujusmodi locutiones non sunt sic intelligendae. quasi sancti in gloria proficiant quantum ad se, quod eorum festa recolimus, sed quia nobis proficit, qui eorum gloriam solemnius celebramus: *sicut ex hoc quod Deum cognoscimus, vel laudamus*, et sic quodammodo ejus gloria in nobis crescit, nihil Deo, sed nobis accrescit” (ad 1).

Secundo, dici potest beatos percipere fructum impetratorium sacrificii quoad *ipsam gloriam intrinsecam*, sed *materialiter tantum et ratione objecti* de quo gaudent, non vero formaliter et ratione ipsius gaudii. De fructibus enim sacrificii qui nobis impetrantur, et peculiariter de propagatione sui cultus, gaudent beati, et sic eis sacrificium prodest ad augmentum suae felicitatis, non quod ipsum eorum gaudium secundum se formaliter augeatur, cum formaliter specificetur ac mense-retur ab immutabili visione Dei, sed quia ad plura materialiter se extendit; non plus scilicet sed de pluribus gaudent.

Ad rem 5. *Thomas*: “Quamvis sancti qui sunt in patria, de bonis nostris omnibus gaudeant, non tamen sequitur quod multiplicatis nostris gaudiis, eorum gaudium augmentetur formaliter, sed materialiter tantum; quia omnis passio formaliter augetur secundum rationem objecti sui. Ratio autem gaudendi in sanctis, de quibuscumque gaudent, est ipse Deus, de quo non possunt magis et minus gaudere, quia sic essentielle eorum praemium variaretur, quod consistit in hoc quod de Deo gaudeant. Unde ex hoc quod bona multiplicantur, de quibus gaudendi ratio eis Deus est, non sequitur quod intensius gaudeant, sed quod de pluribus gaudeant. Et ideo non sequitur quod operibus nostris juventur” (ad 3).

AD PRAXIM QUOD ATTINET:

1. *Nequit missa applicari in sensu proprio* (i.e. cum intentione ut subjectum inde percipiat fructum propitiatorium et impetratorium) pro his quos in foro externo constat esse in coelo, sive *ex natura rei*, ut

infantes baptizatos, sive ex solempni Ecclesiae declaratione saltem infallibili, ut sanctos canonizatos.

Unde licet missam applicare pro quolibet fidei mortuo in odore sanctitatis et pro quolibet etiam martyre antequam accedat solempne iudicium vel saltem canonica inquisitio S. Sedis.

Ad rem facit sequens responsum *S.C. de Prop. Fide* ad Vicarium Apostolicum Tunkini Occidentalis (6 augusti 1840): “Licet *Innocentius III* (in cap. ‘Martha, De celebr. Missarum’), dicat: ‘Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre’, id tamen ex *Benedicto XIV* (‘De Serv. Dei beatif.’, lib. II, cap. 2, n. 13 et 14, et lib. III, cap. 15. n. 8) intelligendum est de *martyre vindicato, seu postquam de ipsius pretiosa morte Summi Pontificis iudicium accesserit*. Ante iudicium igitur, vel certe ante Apostolicam inquisitionem super martyrio, possunt celebrari suffragia seu Missae iuxta consuetudinem vel conventionem de qua supra et ad libitum de die vel *de Requie*”.⁶⁶

Cum autem processus apostolicus, ducens ad canonizationem, triplicem comprehendat gressum, causae scilicet introductionem (ob quam olim quis Venerabilis, nunc vero Servus Dei nuncupatur), decretum de heroicitate virtutum vel de martyrio (ex quo quis nunc, juxta can. 2115, Venerabilis nominatur) et decretum beatificationis (unde constituitur Beatus), disputatur inter doctores an pro his missa applicari possit.

Quoad *Servum Dei* respondent affirmative, quamvis aliquod dubium quoad hoc provenire possit ex verbis citati Responsi S.C. de Prop. Fide “Vel certe ante Apostolicam inquisitionem”; per processus enim introductionem incipit apostolica inquisitio.

Quoad *Venerabilem*, quidam (ut *Cappello*) similiter affirmative respondent, quamvis de hoc etiam dubitari possit ob verba praefati Responsi “Ante iudicium”; decretum enim de virtutibus vel martyrio est solempne iudicium, quamvis non definitivum.

Quoad *Beatos*, *Cappello* (n. 616) respondet negative eo quod idem Responsum loquatur de martyre vindicato, talis autem quis esse potest antequam canonizetur, *Gasparri* vero (n. 482) rem insolutam relinquit: potest autem de hoc adhuc dubitari, quia decretum beatificationis non est definitivum iudicium, ut notat *Gasparri*, et memoratum Responsum intelligi potest de martyre vindicato per definitivum iudicium canonizationis.

2. *Potest missa applicari pro deunctis infantibus baptizatis et pro sanctis canonizatis, in sensu improprio, et quidem dupliciter: primo,*

⁶⁶ Collectanea S.C. de Prop. Fide, v. 1, n. 906.

in eorum favorem, seu ad incrementum eorum gloriae accidentalis tum extrinsecae tum intrinsecae (modo tamen supra dicto), et ita fideles stipendia offerre solent ut missa cuiuslibet diei currentis applicetur pro aliquo sancto determinato; *secundo*, magis directe *in eorum honorem et commemorationem*.

In his MISSIS IN HONOREM SANCTORUM, quae per magnum anni liturgici spatium distribuuntur quaeque in suis specialibus partibus (extra Canonem) ad sanctos ipsos referuntur, quadrupliciter attingitur *finis secundarius* honoris et commemorationis seu cultus sanctorum, juxta quadruplicem *primarium finem* ipsius sacrificii.

Primo enim, datur ipsi Deo honor *latreuticus* in nomine Sanctorum, qui meliorem honorem Deo persolverunt ac persolvunt, in eorum memoriam seu in memoriam virtutum ac religionis ipsorum, et in eorum honorem, nam honor Patris est decus filiorum. *Secundo*, *eucharisticae* gratiarum actiones Deo diriguntur pro beneficiis tum sanctis ipsis, tum nobis ex eorum intercessione collatis. *Tertio*, Dei propitiatio erga nos Sanctorum Martyrumque nomine invocatur, proposita memoria sanctorum satisfactionum et interposita appellatione illius sanguinis qui melius clamat quam Abel. *Quarto*, *impetrantur* nobis divini favores, intuitu meritorum Sanctorum, ipsisque gloria accidentalis atque eorum cultus incrementum, ut regnum Dei extendatur et glorificetur Deus in sanctis suis.

In honorem infantium post Baptismum dejectorum non celebrat Ecclesia speciale sacrificium (excepta Missa SS. Innocentium baptismo sanguinis ablutorum), ea fortasse ratione quod ad quadruplicem finem supra expositum minus conducit cultus eorum qui absque propriis meritis et ex solo opere operato salutem obtinuerunt. Potest tamen in obitu infantium missa pro eis celebrari, non quidem ad ipsorum suffragium, sed praecipue ad eorum commemorationem, ut laus et gratiae offerantur Deo pro aeterno Christi praemio absque meritis eis concesso ac simul in nostrum favorem appelletur illorum intercessio quorum etiam est regnum coelorum.

Non dicitur pro talibus infantibus Missa de Requie, saltem ea quae singulariter legitur pro aliis defunctis (quippe quae intenditur in suffragium illorum), sed vel missa diei currentis vel, si Rubrica permittit, aliqua missa votiva, congruentius missa de Angelis.

Legitimitatem et convenientiam Missae Sanctorum impugnarunt *Protestantes*, huiusmodi sacrificium vocantes romanam imposturam, supremo cultui qui soli Deo debetur derogantem, docuit vero ac definiit *Cone. Trid.*, sess. 22, ubi legitur:

“*Caput 3.* Et quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas

interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Unde nec sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium, Petre et Paule, sed, Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, 'ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris' " (Denz. 941).

"*Can. 5.* Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrari in honorem Sanctorum et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit: A.S." (Denz. 952).

Res probatur tum ex praxi Ecclesiae tum ex ratione theologica.

Praxis Ecclesiae, explicita et constans, fuit consociandi oblationi sacrificii memoriam et orationem Sanctorum, prius quidem martyrum, serius ceterorum. Id initio factum est sub simplici forma alicuius commemorationis seu nominationis, postmodum vero sub evolutiori forma liturgica explicitae orationis, additis etiam ex utroque testamento insignioribus textibus qui ad eam commemorationem aptius referuntur (Introitu, Epistola, Graduali, Evangelio, Postcommunione).

Haec testantur Patres et Liturgiae omnes, etiam antiquiores.

In *Martyrio S. Polycarpi*, 18, 2 sq., legitur: "Nos postea ossa illius gemmis pretiosissimis exquisitoria et super aurum probatiora tollentes, ubi decebat, deposuimus. Quo etiam loci nobis, ut fieri poterit, in exultatione et gaudio congregatis Dominus praebebit *natalem martyrii eius diem celebrare*, tum *in memoriam* eorum, qui certamina iam pertulerunt, tum *ut posteri exercitati sint* et parati ad eadem sustinenda" (Funk, 1, 303).

Tertullianus, De corona, 3: 'Oblationes . . . pro natalitiis [i.e. die obitus Martyrum] annua die facimus" (M.L. 2, 99).

Cyprianus, Epist. 34, 3: "Laurentius et Egnatius . . . palmas a Domino et coronas illustri passione meruerunt. *Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus* quoties martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus" (M.L. 4, 331).

Idem, Epist. 37, 2: "Dies eorum quibus excedunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus" (M.L. 4, 337).

Cyrillus Hier., Catech. 23, 9, supra cit. (p. 1059).

Augustinus, Serm. 159, 1, 1 et In Joan., tract. 84, 1, supra cit. (p. 1150).

Idem in opere contra *Faustum Manichaeum*, 20, 21 (cit. a *Cone. Trid.*, cap. 3), praxim Ecclesiae fuse defendit contra columnias Fausti, a *Protestantibus* renovatas:

"Nobis calumniatur Faustus, quod martyrum memorias honoramus,

in hoc dicens nos idola convertisse . . . nos vertisse idola in martyres, 'quos votis', inquit, 'similibus colitis, defunctorum umbras vino placatis et dapibus' . . . Populus autem Christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et *ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum, constituamus altaria*. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit, Offerimus tibi, Petre; aut, Paule; aut, Cypriane: sed quod offertur, offertur Deo qui martyres coronavit; ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exurgat, ad acuendam charitatem et in illos quos imitari possumus, et in illum quo adjuvante possumus. Colimus ergo martyres . . . cultu dilectionis et societatis. . . At illo cultu, quae Graece λατρεία dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quaedam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum qui hoc etiam idolis exhibent; nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum praecipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam sanctae animae, vel cuiquam angelo: et quisquis in hunc errorem delabatur, corripitur per sanam doctrinam, sive ut corrigatur, sive ut caveatur" (M.L. 42, 384 sq.).

Constit. Apost., circa a. 400 (Missa fidelium ex Liturgia quae dicitur Clementina), 8, 12, 43: "Adhuc offerimus tibi pro omnibus sanctis" etc., cit. supra (p. 1057).

Liturgia S. Basilii: "Ut [sancti tui] assiduas preces pro nobis tibi offerant, . . . ut quando nobis ipsi parum fidimus, memoria et legatione illorum protecti, per eos audeamus ad te accedere atque tremendo hoc et sacro munere defungi".

Liturgia S. Chrysostomi: "Quorum [sanctorum] supplicationibus, respice nos Deus. . . Stabili nostros gressus precibus et supplicationibus Deiparae et semper Virginis Mariae et omnium Sanctorum".

Sacramentarium Gelasianum, lib. 1, Missa in Natale S. Stephani, S. Joannis, Innocentium; lib. 2, Orationes et preces de Natalitiis Sanctorum (M.L. 74, 1059 sq. 1155 sqq.).

Sacramentarium Gregorianum, Missa Sanctae Anastasiae, Nativitas S. Stephani, Nativitas S. Joannis, Natalis Innocentium, Nativitas S. Silvestri, S. Fulgentii episcopi, Natalis S. Priscae virginis, S. Sebastiani martyris, etc. (M.L. 78, 30 sqq.).

Missale Romanum:

Ordo Missae, ad Offertorium: "Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus . . . in honorem . . . omnium Sancto-

rum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: et illi pro nobis intercedere dignentur in caelis, quorum memoriam agimus in terris.”

Missae in Vigiliis Apostolorum, Secreta: “Apostolici reverentia culminis offerentes tibi sacra mysteria, Domine, quaesumus: ut beati N. Apostoli tui suffragiis, cujus natalitia praevenimus; plebs tua semper et sua vota depromat, et desiderata percipiat.”

Missae pro pluribus Martyribus, Secreta: “Adesto, Domine, supplicationibus nostris, quas in Sanctorum tuorum commemoratione deferimus: ut, qui nostrae justitiae fiduciam non habemus, eorum qui tibi placuerunt, meritis adjuvemur.”

Missae pro Confessore non Pontifice, Secreta: “Laudis tibi, Domine, hostias immolamus in tuorum commemoratione Sanctorum: quibus nos et praesentibus exui malis confidimus, et futuris.”

Missae in Comm. S. Pauli (30 junii), Secreta: “Apostoli tui Pauli precibus, Domine, plebis tuae dona sanctifica: ut, quae tibi tuo grata sunt instituto, gratiora fiant patrocinio supplicantis.”

Ratio ipsa theologica, jam ab Augustino exposita, a Cone. Trid. declarata et in ipsa Liturgia missae continuo expressa, ostendit legitimitatem et convenientiam Missae Sanctorum.

Nam tale sacrificium *non offertur ipsis Sanctis*, ut calumniantur Protestantes, sed soli Deo cui latria debetur (propterea Sancti in missa directe invocari non solent), *nec etiam proprie offertur pro ipsis Sanctis*, quasi aliquo indigeant, sed *offertur in honorem Sanctorum* et quidem ad cultum Dei et ad nostram utilitatem.

Duplex igitur ibi intenditur finis: unus *principalis et essentialis* sacrificio qua tali, scilicet cultus Dei (honor et gratiarum actio: finis latreuticus et eucharisticus) et consequens utilitas nostra (finis propitiatorius et impetratorius), alter *secundarius et accessorius*, scilicet honor Sanctorum (memoria, laus, devotio, imitatio, meritorum et orationum consociatio), qui ideo eligitur ut, eo mediante, *ipse finis principalis jacilius et congruentius attingatur*, modo supra explicato (p. 1154 sq.).

Et in hoc ipso jacet *intima ratio totius cultus Sanctorum*, quam sic perbelle pandit S. Thomas, Suppi., q. 72, a. 2:

“Dicendum quod ‘iste ordo est divinitus institutus in rebus, secundum Dionysium [De eccl. hier. 5], ut per media ultima reducantur in Deum.’ Unde cum sancti qui sunt in patria, sint Deo propinquissimi, hoc divinae legis ordo requirit ut nos, qui manentes in corpore peregrinamur a Domino, in eum per sanctos medios reducamur: quod quidem contingit dum per eos divina bonitas in nos suum effectum

infundit. Et quia reditus noster ad Deum respondere debet processui bonitatum ipsius in nos, sicut mediantibus sanctorum suffragiis Dei beneficia in nos deveniunt, ita oportet nos in Deum reduci, ut iterato beneficia ejus sumamus, mediantibus sanctis. Et inde est quod eos intercessores pro nobis ad Deum constituimus, et quasi mediatores, dum ab eis petimus quod pro nobis orent.”

Ceterum, ut ultima praecludatur *Novatorum obiectio*, exinde non sequitur quidquam detrahi excellentiae virtutis Christi, primi mediatoris nostrarum orationum et principalis offerentis nostris sacrificii, quin potius insigniter ipsa manifestatur in subordinata cooperatione membrorum cum capite et in ea communione sanctorum, cuius hoc mirabile sacramentum est causa et exemplar (cf. *ibid.*, ad 1).⁵⁰

ART. 56. Utrum In Eucharistia Ratio Sacrificii Et Ratio Sacramenti, Adaequate Distinguantur Ac Perfecte Copulentur In Mirabili Synthesi Unius Mysterii Corporis Christi.

STATUS QUAESTIONIS

In fine art. 43 (p. 825-827) dictum est de differentia et convenientia inter sacrificium et sacramentum in genere. Restat ut ad calcem eorum quae de sacramento et sacrificio eucharistico in hoc tractatu disputavimus, gemina mysteria ad invicem comparentur, ut iterum utriusque indoles et characteres in mentem revocentur ac vitetur indebita confusio quae non raro incautos quosdam theologos ad inanes induxit conclusiones vel opiniones circa naturam et proprietates hujus sacramenti.

CONCLUSIO *affirmativa*

EXPLANANTUR VARIAE CONVENIENTIAE ET DIFFERENTIAE tum quoad quaestionem an sit (convenientiam scilicet, necessitatem et existentiam) tum quoad quaestionem quid sit (causas nempe intrinsecas et extrinsecas).

1. *QUOAD NOMEN.*

Utrumque, sacramentum nempe et sacrificium, in ipsis verbis consecrationis calicis *Mysterium Fidei* antonomastice nuncupatur. Sacrificium vocari solet *Missa* apud Latinos, *Liturgia* apud Graecos, sacramentum vero vocatur *Eucharistia*, quamvis in initio hoc nomen, juxta vim suam etymologicam (gratiarum actio), congruentius assumptum

¹⁴ Cf. *Billot*, De Euch., thcs. 55, coroll. 2, Romae, 1914, p. 644 sq.

fuerit ad significandam ipsam actionem sacrificalem, dum sacramentum frequentius apud Patres solemniter vocatur *Corpus Christi*.

Ipsae genericae voces *sacrificium* et *sacramentum* antonomastice conveniunt huic mysterio, quippe quod sit unicum sacrificium N.L. et potissimum sacramentum; utraque vox dicitur a sacro, a sacro nempe faciendo vel a sacro significando. Ceterum, ob utriusque mysterii intimam connexionem et utriusque vocis cognatam rationem, saepe apud antiquos theologos utraque voce utrumque mysterium promiscue designabatur.⁵⁷

2. QUOAD CONVENIENTIAM ET NECESSITATEM.

Maxime conveniens fuit ut ipse Deus in corpore Christi daretur homini in cibum per sacramentum ac vicissim homo per idem Christi corpus se offerret Deo in odorem suavitatis per sacrificium. Posita sacramentorum institutione, necesse fuit ut sacramentum Corporis Christi institueretur, tanquam origo et finis ceterorum, ad ostendendum omnem illorum efficacitatem a virtute corporis Christi pendere ac derivare. Maxime autem necesse fuit ut sacrificium eucharisticum institueretur, cum nequeat aliud existere sacrificium praeter ipsum sacrificium crucis in corpore Christi renovato.

3. QUOAD EXISTENTIAM.

Utrumque eodem tempore et eadem actione consecrativa, in ultima coena peracta, institutum est, dicente Christo: "Hoc facite in meam commemorationem"; utrumque similiter in eodem instanti et eadem consecratione in altari perficitur, dicente ministro Christi: "Hoc est corpus meum". Eadem actio consecrativa quoad sacramentum est suum fieri, quo in existentiam ponitur, quoad sacrificium vero est suum esse. Ceterum utrumque simul desideratur in coelo et evacuabitur in fine mundi, quando in ipsa veritate absorbentur signa et dissolventur umbrae.

4. QUOAD GENERICAM RATIONEM.

Utrumque pertinet ad essentiam religionis estque Mysterium Fidei per excellentiam, praecipue tamen sacrificium, quod persolvit officium hominis ad Deum, in quo essentia religionis compendiatur et ex quo sequitur domum Dei ad hominem per sacramenta, praecipue per Eucharistiam quae Deum ipsum convertit in donum hominis.

5. QUOAD ESSENTIAM METAPHYSICAM.

Utrumque est formaliter signum, et quidem symbolicum, diversum

⁵⁷ Cf. S. Thomam per totam q. 83; Doctores citatos in p. 960-962; *Capitula Theodori Cantuariensis*, 52-57, M.L. 99, 950-952; S. Egbertum, *Canones de remediis peccatorum*, 13, M.L. 89, 451.

tamen referens signatum. Sacrificium Missae significat seu potius repraesentat ipsum sacrificium crucis et ita identificatur cum ipso ad significandam interiorem devotionem Christi offerentis erga Divinitatem; sacramentum eucharisticum est signum corporis Christi physici praesentis sub speciebus et una cum ipso ulterius significat corpus mysticum quod per gratiam cibantem coalescit et augetur.

6. *QUOAD ESSENTIAM PHYSICAM.*

Hic maxime manifestatur convenientia et differentia inter utrumque. Utrumque enim consistit quodammodo in consecratione, sed haec est sacramentum in fieri et sacrificium in esse, ita ut sacrificium praecedat et quodammodo causet sacramentum.

Praeterea ad sacramentum sufficit una consecratio, ad sacrificium vero duplex consecratio requiritur.

Praeterea essentia sacrificii consistit partim in actione (oblatione immolativa), partim in re permanenti (victima corporis Christi), essentia vero sacramenti tota consistit in re permanenti (speciebus consecratis).

In sacrificio *materia* est ipsum corpus Christi sub speciebus mystice divisum, *forma* autem est oblatio immolativa (cf. art. 47, p. 1018 sq.); in sacramento vero *materia* sunt species consecratae continentes corpus Christi, *forma* autem ipsa verba consecrationis (cf. art. 29 et 30). Ad utrumque igitur tam corpus Christi quam species quodammodo concurrunt, sed in sacrificio corpus Christi concurrit directe, utpote ipsa eius *materia* oblata et immolata, species autem tantummodo indirecte et connotative, ut id in quo continetur corpus Christi mystice divisum (cf. art. 47, p. 1032), in sacramento vero corpus Christi concurrit indirecte et connotative, species autem directe et formaliter ut *materia* ex qua sacramenti (cf. art. 29).

Communio celebrantis se habet ut pars integralis sacrificii, relate vero ad sacramentum communio, tum celebrantis tum fidelium, se habet tantum ut finis extrinsecus et non pertinet ad rationem sacramenti neque ut eius intrinsecum complementum, cum hoc sacramentum, secus ac cetera, non consistat in usu sed in re permanenti (cf. art. 29, p. 593-595).

7. *QUOAD CAUSAM FINALEM.*

Finis utriusque est religiosus, seu bonum divinum obtentum per corpus Christi, sed in sacrificio directe et primario respicitur bonum divinum in se, seu infinita laus ad Deum ascendens per oblationem corporis Christi, et nonnisi secundario et consequenter fructus gratiae qui nobis contingit; in sacramento vero intenditur proxime et directe bonum divinum ut in nobis, seu infinitum donum gratiae ad nos descen-

dens cum corpore Christi, et non nisi consequenter honor Dei qui inde procedit.

Quapropter sacrificium sibi subicit sacramentum in ratione finalitatis et Christus sacramentatus ordinatur ad Christum sacrificatum.

8. QUOAD CAUSAM EFFICIENTEM.

Causa efficiens *institutionis* utriusque est Christus, qua Deus principaliter, qua homo instrumentaliter. Divina institutio competit sacramento absolute et necessario; competit vero sacrificio eucharistico, non necessario qua sacrificio, sed qua tali sacrificio, ut dictum est in art. 43 (p. 826). Institutio per Christum ut hominem competit Eucharistiae, qua sacramento et sacrificio novae legis, quae est fundata a Christo. Christus autem utrumque instituit eodem tempore et eadem actione in ultima coena.

Causa efficiens *conjectionis* seu ministerialis utriusque est Christus ut homo et sacerdos agens sub Christo et nomine Christi et Ecclesiae. Attamen fideles sunt cofferentes sacrificii, non vero conconsecrantes sacramenti. Aliunde autem nullus fidelis, praeter sacerdotem, esse potest immediatus offerens sacrificii, dum etiam alii (praecipue diaconi) possunt deputari ad administrandum sacramentum.

9. QUOAD EFFECTUM ET EFFICIENTIAM.

Ex praedicta differentia quoad finem sequitur differentia quoad effectum et modum efficacitatis, nam gratia per sacramentum causatur directe, efficienter et ex opere operato physico; per sacrificium vero indirecte, impetrative et ex opere operato morali, ut explicatum est in art. 43 (p. 827).

Praeterea per sacramentum Eucharistiae confertur propria gratia cibans, quae, ut talis, nequit sive per alia sacramenta sive etiam per sacrificium directe suppleri.

Ad particulares cjectus quod attinet, haec notentur:

Prima gratia et remissio peccati mortalis confertur a sacramento immediate, quamvis per accidens; a sacrificio vero tantum mediate, quamvis per se et ex ordinaria quadam intentione, quatenus sacrificium est per se ordinatum ad propitiationem et placationem Dei.

Gratia secunda, seu augmentum gratiae, confertur per sacramentum immediate; per sacrificium vero mediate tantum.

Gratiae actuales, seu auxilia correspondentia fini sacramenti et sacrificii, conferuntur per utrumque immediate, abundantius tamen per sacrificium juxta universaliores finem ipsius.

Peccata venialia ab utroque remittuntur per se sed mediate; per se quidem, quia sacramentum spiritualis cibationis est directe ordinatum ad reparandas vires spirituales quae per peccata venialia deperduntur,

et sacrificium est directe ordinatum ad expiationem; mediate tamen, quia peccata venialia nequeunt immediate removeri nisi per actum charitatis.

Poenā temporalis pro peccatis debita removetur per sacrificium directe et immediate; per sacramentum vero tantummodo consequenter et mediate, i.e. mediante fervore charitatis quae excitatur ex unione cum Christo ab hoc sacramento causata (cf. p. 466).

Bona temporalia quaelibet per sacrificium impetrantur, et quidem immediate et infallibiliter; sacramentum vero ordinatur ad causandos, et quidem immediate et infallibiliter, aliquos tantum peculiare effectus in corpore communicantis, scilicet eius reformationem, sanctificationem et resurrectionem. Tamen de facto minus certe obtinentur bona temporalia impetrata per sacrificium, quam praedicti fructus sacramenti, quia relate ad illos facilius contingit defectus dispositionis in subiecto vel defectus conditionis in obiecto, ita nempe quod, omnibus perpensis, hoc non conferat ad salutem.

Si quaeratur quid sit excellentius in causando, utrum sacramentum an sacrificium, respondetur quod *ex parte modi causandi excellit sacramentum*, quoniam hoc influit directe, efficienter et ex opere operato physico, dum sacrificium indirecte, imperative et ex opere operato morali, *ex parte vero rei causatae excellit sacrificium*, quoniam ad plures effectus et ad plura subiecta se extendit quam sacramentum, *simpliciter vero loquendo excellit sacrificium*, tum quia excellentia causae videtur potius diiudicanda ex termino ad quem tendit quam ex modo quo tendit, tum praecipue quia sacrificium ordinatur directe ad bonum divinum ex quo originatur bonum ipsius hominis, ac inde evadit universalior causa salutis ac veluti essentia totius religionis.

Geminata prodigia *sacramenti et sacrificii* ad unam matricem reducuntur, **PRAESENTIAM NEMPE IPSIUS CORPORIS CHRISTI**, ex qua propria utriusque ratio derivatur et in qua resolvitur **SYNTHESIS TOTIUS MYSTERII FIDEI**.

ART. 57. Utrum Convenienter Assignentur Caeremoniae Et Sacramentalia Eucharistiae In Celebratione Sacrificii Missae (q. 83, a. 2-5), 88

M Walafridus Strabo (ψ 849), De rebus ecclesiasticis (M.L. 114, 919 sqq.).

Micrologus (saec. 11) (M.L. 151, 977 sqq.).

Innocentius III (ψ 1216), De sacro altaris mysterio, l. 2-6 (M.L. 217, 801 sqq.).

Muratori, Dissertatio de rebus liturgicis (M.L. 74, 847 sqq.).

Hugo Menardus, Notae et observationes in Sacramentarium Gregorianum (M.L. 78, 263 sqq.).

Mabillonius, In Ordinem Romanum commentarius praevius (M.L. 78, 851 sqq.).

STATUS QUAESTIONIS

In praecedentibus articulis huius capituli actum est de ritu essentiali seu sacrificali sacramenti Eucharistiae. Jam breviter agendum est *DE RITU ACCIDENTALI SEU CAEREMONIALI* quo celebratio huius mysterii ab Ecclesia exornatur et extollitur.

Inter ea autem quae, intime ac mirabiliter conserta, hunc ritum constituunt, alia sunt proprie sacramentalia, alia sunt simplices caeremoniae, tam stricte dictae (ipsa verba et actiones liturgicae), quam late acceptae (ut vestes, vasa et templa), juxta definitiones traditas in tractatu De sacr. in gen., Cap. IX, art. 44 (p. 539-543).

Horum autem omnium complexus actionem liturgicam qua involvitur celebratio aliorum sacramentorum multum sua varietate et perfectione transcendit, nam, ut observat S. *Thomas*, “quia in hoc sacramento totum mysterium nostrae salutis comprehenditur, ideo prae caeteris sacramentis cum majori solemnitate agitur” (q. 83, a. 4).

Ex quo facile intelligitur obiectum huius articuli non esse considerationem omnium ecclesiasticarum observantiarum circa hoc mysterium, tam praecise ut sacramentum (quales sunt quae referuntur ad custodiam, cultum specierum, benedictiones, expositiones, processiones SS. Sacramenti), quam ut sacrificium; id enim infinitum foret et aliunde a *peritis Liturgiae* luculenter persolvitur. Sed mens est, ad imitationem ipsius S. *Thomae*, indolem et convenientiam solius *RITUS SACRIFICII MISSAE* ostendere, quoad caeremonias tum late dictas, i.e. circumstantias temporis, loci, vasorum, linguae (a. 2 et 3), tum stricte dictas, i.e. verba (a. 4) et actiones liturgicas (a. 5).

CONCLUSIO

Conclusio 1. Convenienter assignantur ab Ecclesia caeremoniae late dictae huius sacrificii, scilicet circumstantiae temporis, loci, vasorum et linguae (a. 2 et 3).

Marlène, De antiquis Ecclesiae ritibus, l. 1, c. 3, a. 5.

Benedictus XIV, De Missae sacrificio (Apud Migne, Theol. Cursus, t. 23).

Card. Bona, Rerum liturgicarum libri duo.

Le Brun, Explication littéraire, historique et dogmatique des prières et des cérémonies de la Messe, Paris, 1716.

J. Corblet, Histoire dogmatique, liturgique et archéologique du sacrement de l'Eucharistie, Paris, 1885.

N. Gehr, Le saint sacrifice de la Messe (versio L.-Th. Moccand, ex lingua germanica), t. 2, Paris (1901).

J. Fortescue, La Messe, étude sur la liturgie romaine (trad. A. Boudinhon), Paris, 1921.

F. J. Moreau, Les liturgies eucharistiques, Bruxelles, 1924.

I. *DE CIRCUMSTANTIA TEMPORIS* (a. 2).1. *DISCIPLINA hodierna* sic determinatur a *Codice J.C.*:

Can. 820: "Missae sacrificium omnibus diebus celebrari potest, exceptis iis qui proprio sacerdotis ritu excluduntur."

Can. 806: "§ 1. Excepto die Nativitatis Domini et die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quibus facultas est ter offerendi Eucharisticum Sacrificium, non licet sacerdoti plures in die celebrare Missas, nisi ex apostolico induito aut potestate facta a loci Ordinario.

"§ 2. Hanc tamen facultatem impertiri nequit Ordinarius, nisi cum, prudenti ipsius iudicio, propter penuriam sacerdotum die festo de praeepto notabilis fidelium pars Missae adstare non possit; non est autem in eius potestate plures quam duas Missas eidem sacerdoti permittere."

Can. 821: "§ 1. Missae celebrandae initium ne fiat citius quam una hora ante auroram vel serius quam una hora post meridiem.

"§ 2. In nocte Nativitatis Domini inchoari media nocte potest sola Missa conventualis vel paroecialis, non autem alia sine apostolico induito."

Dies sic dicti aliturgici, in quibus, ut jubet Codex, missa celebrari nequit, sunt: in *ritu romano*, Feria VI in Parasceve in qua celebratur tantum Missa Praesantificatorum (cuius indolem explicavimus in p. 542 sq. et 959-963; Feria autem V in Coena Domini et Sabbatum Sanctum, nonnisi improprie et secundum quid dicuntur dies aliturgici, quatenus nempe in eis celebratio quibusdam restrictionibus subicitur); in *ritu ambrosiano*, omnes feriae sextae in Quadragesima (ex induito tamen a S.C. Rituum concessa, 23 febr. 1897, celebrari potest Missa S. Joseph et Annuntiationis B.M.V. si haec festa incidant in feria sexta); in *ritu orientali*, omnes dies Quadragesimae (in quibus nempe dicitur Missa Praesantificatorum), exceptis sabbatis, dominicis et die festo Annuntiationis.

Ad rem *Concilium Quinisextum seu Trullanum II* (a. 692), can. 52: "In omnibus sanctae Quadragesimae ieiunii diebus, praeterquam sabbato et Dominica et sancto Annuntiationis die, fiat sacrum praesantificatorum ministerium" (Kirch, *Enchir. hist. eccles.* 1103).

Quoad priora saecula tempus et frequentia celebrationis certe et uniformiter determinari nequit.

Christus sacrificium eucharisticum celebravit Feria V; disputatur autem an haec feria contigerit die 13 vel 14 Nisan, ut dictum est in art. 2 (p. 67-69). *In triduo mortis* Apostoli non obtulerunt sacrificium, imo probabiliter nec offerre potuerunt (cf. p. 1048).

Initio Ecclesiae probabiliter *sola die dominica* missa celebrabatur,

saltem *publice*, ut colligi potest ex *Actibus Ap.* 20, 7 (cit. in p. 75; quotidiana tamen celebratio colligi videtur ex 2, 46: “Quotidie . . . frangentes circa domos panem”), *Didache*, 14, 1 (cit. in p. 894), *Ignatio*, Ad Magn. 9, 1, *Epistola Plinii ad Trajanum* (Epist. 10, 96, ubi dicitur christianos conventus suos habuisse “statuto die”, quod ad diem dominicam referendum est) et *Justino*, qui in Apol. 1, 67, post verba superius citata (p. 741 sq.) sic ostendit convenientiam dominicalis celebrationis:

“Die autem Solis omnes simul convenimus, tum quia prima haec dies est, qua Deus, cum tenebras et materiam vertisset, mundum creavit, tum quia Iesus Christus Salvator noster eadem die ex mortuis resurrexit. Pridie enim Saturni diei eum crucifixerunt, et postridie eiusdem diei, id est Solis die, apostolis suis et discipulis visus ea docuit, quae vobis quoque considerata tradidimus” (Kirch, Enchir. hist, eccles. 56).

Inde saltem ab ineunte *saec.* 3 pluribus jam diebus missa publica celebrabatur, quos *Tertullianus* (De Orat. 19, script, circa a. 200. cit. in p. 205; cf. De jejuniis, 10) “dies stationum” vocat, et in quibus, statutis jejuniis cum stationibus, adnexa fuit oblatio sacrificii, die scilicet dominica, feria IV et feria VI (cf. *Epiphanium*, Expositio fidei, 22). Praeterea annua celebratio fiebat in anniversaria die martyrii vel dormitionis fidelium, ut patet ex *Tertulliano* et *Cypriano* (supra cit., p. 1059 et 1155). Ex *Tertulliano*, De idol. 7 (cit. in p. 205: “Isti quotidie corpus ejus laccessunt”) probabiliter deduci potest fuisse tunc in usu *privatam* celebrationem quotidianam.

Subinde, saltem in Oriente, addita est publica celebratio in sabbato, ut testantur *Basilius* (cit. in p. 535) et *Socrates* (Hist. eccl. 4, 22).

Jam circa finem *saec.* 4 paulatim in variis ecclesiis invalere coepit *publica celebratio quotidiana*, teste *Chrysostomo* quoad Orientem (In ep. ad Ephes., hom. 4, n. 4), *Augustino* quoad Africam (Epist. 98, 9, script, circa a. 408, cit. in p. 908: “Christus . . . omni die populo immolatur”; Epist. 54, 2, script, circa a. 400, cit. in p. 535: “Alibi nullus dies praetermittitur, quo non offeratur”) et *Cone. Toletano I* a. 400 quoad Hispaniam (can. 5: “Presbyter . . . vel clericus . . . si ad ecclesiam ad sacrificium cotidianum non venerit, clericus non habeatur”, Kirch, Enchir. hist, eccles. 708). Ad rem faciunt quoque verba *Martyrii S. Andreae* citata in art. 44 (p. 909).

Ceterum adhuc initio *saec.* 5 quotidianam celebrationem non fuisse universalem sed variam extitisse ecclesiarum consuetudinem, patet ex *Augustino* (Eadem Epist. 54, 2), testante alibi celebratum esse quotidie, alibi die sabbato et dominico, alibi tantum die dominico.

Saec. 6 videtur quotidiana celebratio fuisse universalis, saltem in

Occidente. *Sacramentarium Gelasianum* habet “Orat, cotidianis diebus. Ad missas” (M.L. 74, 1199). Imo *saec. 7 Cone. Toletanum XII* (cit. in p. 553 sq.) memorat nec reprobatur praxim celebrandi *pluries in die*, quae perduravit usque ad tempus *Alexandri II* (1061-1073).

De hac consuetudine scribit *Walajridus Strabo* (f 849), De rebus eccles. 21: “Diversitas autem quaedam inter sacerdotes oboriri solet. Quia est talis qui semel tantum in die missam celebrare velit, nimirum credens idem mysterium passionis Christi cunctarum necessitatum esse generale subsidium. . . . Alius vero bis, ter, vel quotieslibet, eadem mysteria in die iterare congruum putat, credens tanto amplius Deum et misericordiam flecti quanto crebrius passio Christi commemoratur. Et fortasse consuetudinem suam inde confirmandam existimat, quia Romanorum usus habet duas vel tres interdum unius solemnitate facere missas, ut in Nativitate Domini salvatoris et aliquorum festis sanctorum. Siquidem Telesphorus, nonus in ordine Romanae sedis episcopus, in Natali Domini noctu tres missas celebrari constituit. . . . Fidelium relatione virorum in nostram usque pervenit notitiam Leonem papam, sicut ipse fatebatur, una die septies vel novies missarum solemnitate saepius celebrasse; Bonifacium vero, archiepiscopum et martyrem, semel tantum per diem missas fecisse; qui et longe ante nostra fuerunt tempora, et ambo tam scientia quam gradu praecipui. *Itaque ‘unusquisque in suo sensu abundet’* (Rom. xiv), dum fides conducet ut nec saepius offerentes aestiment Deum aliter petitiones non posse discernere; nec semel hostias per diem immolantes putent suae fidei subtilitatem potius quam superiorum devotionem divinis acceptam” (M.L. 114, 943).

Prima generalis prohibitio hujus praxis tribuitur *Alexandro II*; certe ac severius subinde facta est ab *Innocentio III* (f 1216). Ad rem *S. Thomas*: “Sicut habetur De consecrat, dist. 1 [cap. 53, M.L. 187, 1723], ex decreto *Alexandri II papae*, ‘sufficit sacerdoti unam missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, et totum mundum redemit; et valde felix est, qui unam digne celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, alteram de die, si necesse sit. Qui vero pro pecunia aut adulationibus saecularium, una die praesumunt plures celebrare missas, non aestimo evadere damnationem.’ Et Extra De celebrat, miss, dicit *Innocentius III* quod ‘excepto die Nativitatis dominicae, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare.’ ” (ad 5).

Ad diei horam quod attinet, Christus celebravit primum sacrificium eucharisticum hora serotina, pridie quam pateretur (Matth. 26, 20 et Mare. 14, 17: “Vespere autem facto”; Joan. 13, 30: “Erat autem

nox”; 1 Cor. 11, 23: “In qua nocte tradebatur”); hora similiter vespertina egit coenani et fractionem panis cum duobus discipulis in Emmaus (Luc. 24, 29: “Mane nobiscum, quoniam advesperascit”; cf. supra, p. 74 sq.).

S. *Paulus* fractionem panis Troade celebravit vespere, protrahens sermonem suum usque ad mediam noctem in quodam coenaculo lampadibus illuminato (Act. 20, 7 sq.); in naufragio constitutus, panem fregit et gratias egit hora matutina “cum lux inciperet fieri” (Act. 27, 33-35; cf. supra, p. 75).

Primis Ecclesiae temporibus, ratione persecutionum, missa potius nocte vel summo mane celebrabatur.

Ad rem faciunt verba *Plinii* in sua epistola ad Trajanum: “Adfirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae vel erroris, quod essent soliti *stato die ante lucem convenire* carmenque Christo quasi deo dicere secum invicem seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. Quibus peractis morem sibi discedendi fuisse rursusque *coeundi ad capiendum cibum*, promiscuum tamen et innoxium” (Kirch, Enchir. hist, eccles. 30).

Tertullianus in Apologetico, 2, epistolam *Plinii* referens, vocat conventus Christianorum “coetus antelucanos” (M.L. 1, 321) et in De corona, 3, ait: “Eucharistiae sacramentum . . . antelucanis coetibus . . . sumimus” (M.L. 2, 99).

In sic dictis *diebus stationum* seu jejuniorum (i.e. die dominico, feria IV et feria VI) Christiani summo mane in sacras aedes ad martyrum sepulchra congregabantur ibique in jejunio, oratione, exhortationibus et sacrorum librorum lectione perstabant usque ad *horam nonam, cum, celebrata Eucharistia* et osculo dato, jejunium et conventus solvebatur (cf. *Tertullianum*, De Orat. 18-19, et adnotationes Migne, P.L. 1, 1283-1288).

Post persecutionis tempora, privata missae celebratio fiebat qualibet diei hora, etiam vespertina; publica vero celebratio, in diebus absque jejunio, frequentabatur potius ante meridiem et maxime hora tertia (hora nona matutina); in diebus vero jejunii, fiebat post meridiem hora qua jejunium cessabat, adeoque in Quadragesima ad vesperam, aliis temporibus hora nona (tertia post meridiem).

Walajridus Strabo († 849), De rebus eccles., cap. 23 “De tempore Missae”, scribit: “Tempus autem missae faciendae secundum rationem solemnitatum diversum est. Interdum enim ante meridiem, interdum circa nonam, aliquando ad vesperam, interdum noctu celebratur. Nam Telesphorus papa constituit ut nullo tempore ante horae tertiae cursum

ullus praesumeret missam celebrare: qua hora Dominus noster secundum Marci Evangelium crucifixus asseritur” (M.L. 114, 951).

Decretum Gratiam, De consecr., dist. 1, cap. 48: “Nocte sancta Nativitatis Domini salvatoris missas celebrent presbyteri. . . Reliquis vero temporibus missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebrandae, quia et eadem hora Dominus crucifixus est, et super Apostolos Spiritus sanctus descendisse legitur” (M.L. 187, 1721).

Ibid., cap. 49: “Sacramenta altaris non nisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo coena Domini celebratur. Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, sive episcoporum sive ceterorum, commendatio facienda est solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt, jam pransi inveniantur” (ibid.).

S. *Thomas*: “Quia . . . dominica passio celebrata est a tertia hora usque ad nonam, ideo regulariter in illa parte diei solemniter hoc sacramentum in Ecclesia celebratur” (in corp.). “A nobis . . . celebratur hora dominicae passionis, scilicet *diebus festis in tertia . . .*; vel *diebus profestis in sexta . . .*, vel *diebus jejuniorum in nona . . .* Potest tamen tardari, maxime quando sunt ordines faciendi, et praecipue in sabbato sancto, tum propter prolixitatem officii, tum quia ordines pertinent ad diem dominicam, ut habetur in *Decret*, distinct. 75. Possunt tamen missae celebrari in prima parte diei propter aliquam necessitatem, ut dicitur *De consecrat*, distinct. 1” (ad 3).

2. *CONVENIENTIAM DISCIPLINAE ECCLESIAE* deducit S. *Thomas* ex ipsa indole huius sacrificii, seu ex duplici ratione quae in eo considerari potest:

“In celebratione huius mysterii attenditur repraesentatio dominicae passionis, et participatio fructus ejus. Et secundum utrumque oportuit determinare tempus aptum celebrationi huius sacramenti” (in corp.).

Exinde patet convenientia:

1. Hodiernae disciplinae *celebrandi quotidie*.

“Quia enim fructu dominicae passionis quotidie indigemus propter quotidianos defectus, quotidie in Ecclesia regulariter hoc sacramentum offertur. Unde et Dominus nos petere docet: ‘Panem nostrum quotidianum da nobis hodie’ ” (in corp.).

2. Concessionis *ter celebrandi in festo Nativitatis*.

Nam triplex distingui potest nativitas Verbi Incarnati, ex qua originem habuit humana redemptio in cruore passionis: prima est *aeterna nativitas ex Patre*, quae est nobis occulta, et ideo una missa cantatur in nocte, in cuius introitu dicitur: “Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te”; secunda est nativitas *spiritualis in nobis*,

secundum quam ex aeterna Dei praedestinatione de humana salute Verbum processit in mundum ut esset “lux vera illuminans omnem hominem” et oriretur tanquam “lucifer in cordibus nostris” (2 Petr. 1, 19), et propter hoc cantatur alia missa in aurora, in cuius introitu dicitur: “Lux fulgebit hodie super nos”; tertia est *nativitas temporalis ex niatre*, secundum quam visibiliter apparuit inter homines, et propterea canitur tertia missa in clara diei luce, in cuius introitu dicitur: “Puer natus est nobis, et filius datus est nobis” (ad 2).

3. *Concessionis ter celebrandi in die Commemorationis omnium fidelium dejunctorum.*

Nam in hac triplici celebratione non inepte figuratam vides militantem, purgantem et triumphantem ecclesiam, in sanguine Agni redemptam. Convenienter etiam haec triplex litatio fit in die commemorationis ecclesia purgantem post festum ecclesiae triumphantis et antequam consuetae celebrationes militantis ecclesiae resumantur; similiter convenienter triplex missae applicatio dirigitur ad caput ecclesiae militantis, ad membra purgantem et ad quemlibet legitimum finem qui redundat in gaudium et gloriam triumphantis ecclesiae.

4. *Prohibitionis litandi in Feria VI in Parasceve.*

Nam “veniente veritate, cessat figura. Hoc autem sacramentum est figura quaedam et exemplum dominicae passionis. . . Et ideo in die quo ipsa passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio huius sacramenti” (ad 2).

5. *Celebrationis horis diurnis.*

Nam “ipse Christus est praesens in hoc sacramento, qui dicit [Joan. 9, 4]: ‘Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari; quamdiu in mundo sum, lux sum mundi’ ” (ad 4).

6. *Antiquae disciplinae* tum celebrandi potissimum *in die dominico*, nam hac die Deus, tenebras in lucem vertens, mundum ad futuram redemptionem creavit, et Christus, mortem in vitam convertens, mundum renovavit (cf. Justinum, Apol. 1, 67, supra cit., p. 1165); tum celebrandi *inter horam tertiam et nonam*, nam hoc tempore celebratum est ipsum sacrificium passionis Christi, qui hora tertia ad crucem condemnatus, hora sexta crucifixus, hora nona mortuus est (ad 3).

II. *DE CIRCUMSTANTIA LOCI* (a. 3).

1. *DISCIPLINA hodierna*, determinata a *Codice J.C.*, can. 822 sq. (de loco Missae celebrandae), can. 1188-1196 (de oratoriis) et 1197-

1202 (de altaribus), duo essentialiter importat: ut nempe missa celebretur *in ecclesia*, vel oratorio consecrato aut benedicto, et *super altare* consecratum; duas tamen statuit exceptiones, i.e. privilegium *altaris portatilis*, seu facultatem celebrandi extra locum sacrum, in loco tamen honesto ac decenti, et privilegium *oratorii non consecrati aut benedicti*, divino tamen cultui reservati (oratorii semi-publici et privati).

Quoad *altare* plura praeterea determinat Codex in can. 1197-1202; ad eius compositionem quod attinet, haec statuit in can. 1198: "Tum mensa altaris immobilis tum petra sacra [altaris portatilis] ex unico constant lapide naturali, integro et non friabili. . . Tum in altari immobili tum in petra sacra sit, ad normam legum liturgicarum, sepulcrum continens reliquias Sanctorum, lapide clausum."

Pronum est *initio Ecclesiae* locum celebrationis indeterminatum fuisse, tum ob defectum templorum tum ratione persecutionis.

Christus ipse sacrificium eucharisticum celebravit in privato coenaculo et super communem mensam; fractionem autem panis cum discipulis Emmaus egit in communi domo illius castelli (Luc. 24, 28 sqq.). *Apostoli* cum discipulis orationes fundebant in templo sed panis fractionem celebrabant per varias domos (Act. 2, 46: "Frangentes circa domos panem"). *Paulus* Troade fractionem celebravit in superiori coenaculo cuiusdam domus (Act. 20, 9: "tertio coenaculo") et in naufragio constitutus fregit panem in navi "in conspectu omnium" (Act. 27, 35).

In honestis sed communibus domibus celebrabantur *coena Domini et agapae* primorum fidelium (de quibus dictum est supra, p. 74-77). Apostolus quidem in 1 Cor. 11, 17 sqq., narrans coenam corinthianam, distinguit inter ecclesiam in qua fit coena et domos fidelium, inquit: "Convenientibus vobis in *ecclesiam*, audio scissuras esse inter vos. . . Nunquid *domos* non habetis ad manducandum et bibendum? aut *ecclesiam Dei* contemnitis . . . ?"; attamen ex hoc deducitur tantum fideles simul convenisse in aliquem locum determinatum, non vero hunc locum fuisse soli cultui divino reservatum.

Subinde paulatim locus ecclesiasticorum conventuum magis determinari coepit.

Tempore persecutionum, praecipue *in coemeteriis ad martyrum sepulchra* actio eucharistica agebatur.

Justinus, Apol. 1, 67 (cit. in p. 741 sq.), pro paganis scribens, vago modo sed prudenter dicit "omnium sive urbes sive agros incolentium *in eundem locum* fieri conventum". Sub finem saec. 2 *Tertullianus* jam loquitur de "Ecclesia Dei" (De spectae. 25: "Quale est de Ecclesia Dei in diaboli Ecclesiam [i.e. amphitheatrum] tendere?") et de

“*ara Dei*” (De Orat. 19, cit. in p. 205). Saec. 3 *Cyprianus* appellat “Dominicum” locum celebrationis sacrificii (De opere et eleemosynis, 15, infra cit., p. 1191), frequenter vero loquitur de *altari* (Epist. 40, 5; 63, 5; 64, 1; 66, 1 sq.). Saec. 4, restituta pace Ecclesiae, sacra templa eriguntur et ab omni profano usu proteguntur (cf. *Cone. Laodicenum* et *Augustinum*, cit. in p. 77).

Ceterum *exceptionalis quaedam disciplina* quoad locum sacrificii semper late viguit, juxta temporum circumstantias et necessitatis causas.

Quoad tempus persecutionum legitur apud *Eusebium*, Hist, eccles., l. 7, c. 22: “*Quivis locus*, in quo varias aerumnas singillatim pertulimus, ager, inquam, solitudo, navis, stabulum, career, instar templi ad sacros conventus peragendos fuit” (M.G. 20, 688). Posterius mos fuit celebrandi in *castris* (cf. *Eusebium*, De Vita Constantini, 11, 12), in *cubiculis infirmorum* (cf. vetera *Sacramentaria*, v.g. Gelasianum, l. 3, c. 73), in *coemeteriis* (cf. ibid., c. 103), *sub dio ratione itineris* (cf. *Decretum Gratiani*, De consecr., dist. 1, c. 30, mox cit.).

Disciplina *mediaevalis* sic exponitur in Decreto Gratiani, De consecr., dist. 1, c. 1 sqq.:

Cap. 1. “Consecrationem ecclesiarum, et missarum celebrationes non alibi quam in sacratis Domino locis absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus, quibus sunt nota veteris et novi testamenti praecepta” (M.L. 187, 1703 sq.).

Cap. 3. “Omnes basilicae cum missa debent semper *consecrari*” (ibid., 1706; de consecratione et dedicatione ecclesiarum agitur in cap. 1-28).

Cap. 11. “Nec in aliis, quam Domino sacratis locis . . . missas cantare aut sacrificium offerre licet *nisi summa cogere necessitas* . . . quoniam necessitas legem non habet. . . In *domibus* tamen ab episcopis sive presbyteris oblationes celebrare nullatenus licet” (ibid., 1709).

Cap. 12. “Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab episcopo consecratis, vel *ubi ipse permiserit* celebranda esse censemus” (ibid., 1709 sq.; idem decernitur in cap. 14 et 15).

Cap. 25. “Nullus presbyter in ecclesia consecrata aliud *altare* erigat, nisi quod ab episcopo loci sanctificatum est” (ibid., 1713; cf. cap. 26).

Cap. 29. “Non oportet clericos ignaros et praesumptores super monumenta in campum ministeria portare, aut distribuere sacramenta; sed aut in ecclesia, aut in basilica, ubi martyrum reliquiae sunt depositae. ubi pro defunctis oblationes offerri” (ibid., 1714 sq.).

Cap. 30. “Concedimus etiam, ut sicubi (quod peccatis nostris exi-

gentibus per plurimum est factum) a Normanis, et Sclavis, ab Ungaris, et a malis Christianis seu alio qualicumque modo ecclesiae fuerint incensae et combustae, *in capellis cum tabula consecrata* missas interim celebrari permittimus donec ecclesiae ipsae restaurari queant. *In itinere vero positis*, si ecclesia defuerit, sub dio, seu in tentoriis, si tabula altaris consecrata ceteraque sacra ministeria ad id officium pertinentia ibi affuerint, missarum solemnitas celebrari concedimus. Aliter omnino interdiciamus” (ibid., 1715).

Cap. 31. “*Altaria*, si non fuerint lapidea, chrismatis unctione non consecrentur” (ibid., 1715).

Cap. 32. “*Altaria* placuit non solum *unctione* chrismatis, sed etiam sacerdotali *benedictione* sacrari” (ibid., 1715).

Cap. 33. “Unicuique fidelium *in domo sua oratorium* licet, habere, et ibi orare; missas autem ibi celebrare non licet” (ibid., 1716).

Cap. 34. “Clericos, qui ministrant vel baptizant in oratoriis, quae intra domos sunt, *cum consensu episcopi loci* hoc facere praecipimus. Si quis vero hoc non observaverit, deponatur” (ibid., 1716).

2. *CONVENIENTIA* reservandi ad usum sacrificii quosdam determinatos locos, profano usui interdictos ac solemniter unctione et benedictione consecratos, patet:

Primo, ex communi hominum sensu, qui manifestatur in ipsa *consuetudine paganarum religionum*.

Secundo ac praecipue, ex religione revelata seu *ex praxi antiquae legis*; nam Jacob, instinctu divino motus, erexit lapidem atque oleo perfudit in loco quem domum Dei vocavit (Gen. 28, 17 sq.); Moyses, Deo ipso praecipiente, ad eius cultum tabernaculum, altare, mensam et vasa consecravit (Exod. 40, 1 sqq.); David templum Deo aedificari voluit (3 Reg. 5, 3); Salomon templum aedificavit ac solemniter dedicatione consecravit (3 Reg. 8, 1 sqq.); Zorobabel illud reaedificavit (Agg. 2, 1 sqq.); Machabaei illud purificarunt ac restaurarunt (1 Mach. 4, 36 sqq.).

Tertio, ex duplici ratione quam sic assignat S. Thomas:

“In his quae circumstant hoc sacramentum duo considerantur: quorum unum pertinet ad *repraesentationem* eorum quae circa dominicam passionem sunt acta; aliud autem pertinet ad *reverentiam* huius sacramenti, in quo Christus secundum veritatem continetur, et non solum in figura. Unde et consecrationes adhibentur his rebus quae veniunt in usum huius sacramenti, tum propter sacramenti reverentiam, tum ad repraesentandum effectum sanctitatis quae ex passione Christi provenit” (in corp.).

Ex his etiam ostenditur convenientia ceterorum quae ad hanc materiam referuntur, scilicet:

Primo, quod *Christus sacrificium crucis* celebraverit sub dio. Nam “quia Ecclesia non erat concludenda sub finibus gentis judaicae, sed erat in universo mundo fundanda, ideo passio Christi non est celebrata intra civitatem Judaeorum, sed sub dio, ut sic totus mundus se haberet ad passionem Christi, ut domus” (ad 1).

Secundo, quod *Christus sacrificium eucharisticum* non celebraverit in speciali loco consecrato sed in communi coenaculo. Nam ibi praesens erat ipse Christus, cujus sanctitas significatur per consecrationem altaris et qui est causa sanctitatis Ecclesiae per consecrationem ecclesiarum significatae (ad 2).

Tertio, quod Ecclesia in casibus necessitatis permittat *celebrationem extra loca sacra*, non tamen sine altari portatili ab episcopo consecrato. Nam consecratio loci significat sanctitatem Ecclesiae, consecratio vero altaris significat sanctitatem ipsius Christi. “Quia [ergo] . . . sanctitas Christi fons est totius ecclesiasticae sanctitatis, ideo in necessitate sufficit ad peragendum hoc sacramentum altare sanctificatum. Propter quod etiam nunquam ecclesia sine altari consecratur. Tamen sine ecclesia quandoque consecratur altare cum reliquiis sanctorum, quorum vita ‘abscondita est cum Christo in Deo’ ” (ad 2).

Quarto, quod Ecclesia, aliter ac Sinagoga in A.T. (cf. Exod. 20. 25. 27), non consecret nisi *altare lapideum*. Nam hoc “competit significationi hujus sacramenti, tum quia altare significat Christum; dicitur autem I. Cor. x, 3: ‘Petra autem erat Christus’; tum etiam quia corpus Christi in sepulcro lapideo fuit reconditum. Competit etiam quoad usum sacramenti. Lapis enim et solidus est, et de facili potest inveniri ubique, quod non erat necessarium in veteri lege, ubi fiebat in uno loco altare. Quod autem mandatur altare fieri de terra, vel de lapidibus insectis, fuit ad idololatriam removendam” (ad 5).

III. DE CIRCUMSTANTIA VASORUM SACRORUM (a. 3).

1. *DISCIPLINA hodierna*. Duo sunt vasa quae ad sacrificium directe inserviunt, quippe quae continere debeant corpus et sanguinem Christi, scilicet *calix* et *patena*, de quibus haec habent *Rubricae Missalis Romani* (Ritus servandus in celebratione Missae, 1,1): “[Calix] debet esse vel aureus vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, et simul cum Patena itidem inaurata, ab Episcopo consecratus”. *Pixis seu ciborium*, de quo loquitur ipse *Codex J.C.*, can. 1270, non inservit ad sacrificium sed ad asservationem hostiarum in sacrificio consecratarum.

Quod *Christus* gessit in coena, vini nempe consecrationem in peculiari calice, Ecclesia inde a primordiis constantissime imitata est.

Apostolus, 1 Cor. 11, 20 sq., loquens de coena dominica a Corinthiis celebrata, usum calicis commemorat. Nec obstat quod ubi est sermo de fractione panis et agape primorum Christianorum calix quandoque non commemoretur (cf. p. 72 sqq.), nam his vocibus tota coena, constans ex pane et vino in calice contento, indicatur (cf. p. 55 sq.).

Didache, 9, 1 sq., statuit: “Quod ad eucharistiam attinet, sic gratias agite: Primum de calice: Gratias tibi agimus. . .” (Funk, 1, 20). *Ignatius*, Ad Philad. 4: “Unus calix in unitatem sanguinis ipsius” (Funk, 1, 227). *Justinus*, Apol. 1, 65 sq.: “Panis affertur, et poculum aquae et vini. . . Apostoli . . . tradiderunt [Christum] . . . poculo . . . accepto . . . dixisse: ‘Hic est sanguis meus’ ” (M.G. 6, 428 sq.).

Quoad materiam et formam calicis ac patenae varia fuit consuetudo antiquae Ecclesiae, de quo confer *Benedictum XIV* (De sacrosancto Missae sacrificio, l. 1, c. 4, n. 7 sqq.). De ciboriis seu de modo asservandi Eucharistiam post communionem dictum est supra (p. 582 sq.).

Walajridus Strabo († 849), De rebus eccles. 24, scribit: “Vasa quoque quibus praecipue nostra sacramenta imponuntur et consecrantur, calices sunt et patenae. Calix dicitur a Graeco nomine κυλίξ, patena a patendo, quod patula sit. Ampulla, quasi parum ampla. Zephirinus, Romanus pontifex vicesimus sextus, patenis vitreis missas celebrare constituit. Tum deinde Urbanus, octavus decimus papa, omnia ministris sacrata fecit argentea, et patenas viginti quinque. . . In hoc sicut et in reliquis cultibus, magis et magis incrementa temporum decus succrevit Ecclesiae. Bonifacius martyr et episcopus, interrogatus si liceret in vasis ligneis sacramenta conficere, respondit: ‘Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc e contra lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus’ ” (M.L. 114, 951).

Decretum Gratiani, De consecr., dist. 1, *disciplinam mediaevalem* sic exponit:

Cap. 41. “In sancta hac apostolica sede statutum est, ut sacra vasa non ab aliis, quam a sacratis Dominoque dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim valde est, ut sacra Domini vasa, quaecumque sint, humanis usibus serviant, aut ab aliis, quam a Domino famulantibus eique dicatis tractentur viris” (M.L. 187, 1719).

Cap. 44. “Vasa, in quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, calices sunt et patenae, de quibus Bonifacius martyr et episcopus, interrogatus, si liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere, respondit: Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc econtrario lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus. Zephyrinus XVI, Romanus

episcopus, patenis vitreis missas celebrari constituit. Tum deinde Urbanus Papa omnia ministeria sacra fecit argentea. In hoc enim, sicut et in reliquis cultibus, magis et magis per incrementa temporum decus succrevit ecclesiarum. Nostris enim diebus, qui servi patrisfamilias sumus, ne decus matris ecclesiae imminuatur, sed magis cumuletur et amplificetur, statuimus, ut deinceps nullus sacerdos sacrum mysterium corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi in ligneis vasculis ullo modo conficere praesumat, ne, unde placari debet, inde irascatur Deus” (ibid., 1719 sq.).

Cap. 45. “Ut calix Domini cum patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat. . . Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat. . . De aere aut orichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem aeruginem parit, quae vomitum provocat. . . Nullus autem in ligneo aut vitreo calice praesumat missam cantare” (ibid., 1720).

2. *CONVENIENTIA* praxis Ecclesiae commendatur tum ex ipsa communi aestimatione hominum, ut apparet ex simili consuetudine in *ritibus paganorum*, tum ex praxi *antiquae legis*, tum ex *observantia ipsius Christi*, tum ex *ratione reverentiae* hujus sacramenti, nam dignum est, ea quae divino cultui inserviunt, ab usu profano per consecrationem separare, et ex pretiosis atque solidissimis materiis vasa conficere quae pretiosum sanguinem cum magna cautela continere debent.

Propterea nonnisi ex auro et argento calix conficiendus est. Nam, ut observat S. *Thomas* circa verba praecitati Decreti Gratiani, si calix fieret v.g. ex aere vel aurichalco, periculum esset ne, ob vini virtutem, aerugo generetur, quod cederet in irreverentiam sacramenti et horrorem communicantium; si ex ligno, sanguis consecratus in eo remaneret ob ligni porositatem; si ex vitro vel etiam ex lapide, periculum fractionis et effusionis immineret (ad 6).

Nec obstat quod corporale, quo pretiosissimum corpus continetur, non fiat de pretiosissimo panno, puta de serico, sed de communiore panno lineo. Nam, “ubi potuit sine periculo fieri, Ecclesia statuit circa hoc sacramentum id quod expressius repraesentat passionem Christi. Non erat autem tantum periculum circa corpus, quod ponitur in corporali, sicut circa sanguinem, qui continetur in calice. Et ideo licet calix non fiat de petra, corporale tamen fit de panno lineo, quo corpus Christi fuit involutum” (ad 7).

IV. *DE CIRCUMSTANTIA SERMONIS LITURGICI*, seu de idiomate adhibendo et de voce moderanda.

1. *DISCIPLINA hodierna*.

Codex J.C., can. 819: “Missae sacrificium celebrandum est lingua liturgica sui cuiusque ritus ab Ecclesia probati.”

Lingua liturgica in ecclesia *Occidentali* est latina (excipitur lectio epistolae et evangelii in utraque lingua latina et graeca in solempni celebratione R. Pontificis); in ecclesia *Orientali* lingua liturgica est idioma nationale, ita tamen ut non mutetur lingua liturgica mutante idiomate vulgari, ac proinde facile contingat ut sermo liturgicus et sermo vernaculus non parum inter se differant (ut patet apud Graecos).

Ad *vocem moderandam* quod attinet, haec statuunt *Rubricae Missalls Romani*, Rubricae generales, 16, 1-3:

“*In missa privata*, clara voce dicuntur Antiphona et Psalmus ad Introitum, Confessio . . . [enumerantur variae preces et formulae]. Alia omnia dicuntur secreto.

“Sacerdos autem maxime curare debet, ut ea quae *clara voce* dicenda sunt, distincte et apposite proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit quae legit, nec nimis morose, ne audientes taedio afficiat; *neque etiam voce nimis elata*, ne perturbet alios, qui fortasse in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant; *neque tam submissa*, ut a circumstantibus audiri non possit, sed mediocri et gravi; quae et devotionem moveat, et audientibus ita sit accommodata, ut quae leguntur intelligant. *Quae vero secreto dicenda sunt*, ita pronuntiet, ut et ipsemet se audiat, et a circumstantibus non audiatur.

“*In Missa solemni* [quaedam intonantur vel cantantur, i.e. Gloria, Credo, Dominus vobiscum, Orationes, etc.]. . . Alia quae in Missa privata dicuntur clara voce, in Missa solemni a Celebrante dicuntur submissa voce.”

Christus in lingua aramaica, tunc temporis usitata, coenam celebravit; eadem lingua in sacrificio crucis exclamavit: “Eli, Eli, lamma sabacthani?” (Matth. 27, 46); titulus autem ab ipso Pilato positus super lignum hujus sacrificii fuit in triplici lingua, circumstantibus nota, hebraica nempe, graeca et latina (Joan. 19, 20). Verba consecrationis et subséquentes sermones eucharisticos Christus clara voce, ad adstantium Apostolorum institutionem, dicere debuit; durante autem sacrificio crucis submissa voce psalmum 21 recitasse creditur postquam “voce magna clamavit” primum ejusdem psalmi versum: “Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?” (Matth. 27, 46).

Ecclesia binas linguas toto orbe diffusas in sua actione liturgica assumpsit ac constanter retinuit, *latinam* nempe in Occidente, *graecam* vero in Oriente, ubi tamen paulatim concessa est facultas utendi aliis nationalibus idiomatibus. Item ab antiquo immutatam servavit con-

suetudinem quaedam submissa voce (praecipue Canonem), quaedam vero clariori voce recitandi.

De hac consuetudine scribit *Basilius*: “Reliqua autem quae fiunt in baptismo veluti renuntiare Satanae, et angelis ejus, ex qua scriptura habemus? Nonne ex minime publicata et arcana hac doctrina, quam patres nostri silentio quieto minimeque curioso servarunt? Quippe illud probe didicerant mysteriorum reverentiam silentio conservari. . . Ad eundem profecto modum, et qui initio certos ecclesiae ritus praescripserunt apostoli et Patres, in occulto silentioque mysteriis suam servavere dignitatem. Neque enim omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur” (De Spiritu S., 27, 66, M.G. 32, 188 sq.).

Concilium Tridentinum, sess. 22, non obstante dissensu quorundam Patrum qui putabant magis expedire ut nihil de lingua liturgica et de tono vocis statueretur, haec solemniter decrevit contra *Protestantes*:

Cap. 5. “Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit” (Denz. 943).

Cap. 8. “Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem, retento ubique cuiusque ecclesiae antiquo et a sancta Romana Ecclesia, omnium ecclesiarum matre et magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve ‘parvuli panem petant et non sit, qui frangat eis’ [cf. Thr 4, 4]: mandat sancta Synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios, ex his, quae in Missa leguntur, aliquid exponant atque inter cetera sanctissimi huius Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim Dominicis et festis” (Denz. 946).

Can. 9. “Si quis dixerit, Ecclesiae Romanae ritum, quo submissa voce pars canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem: A.S.” (Denz. 956).

Clemens XI damnavit sequentem propositionem *Quesnel*: “Eripere simplici populo hoc solatium iungendi vocem suam voci totius Ecclesiae, est usus contrarius praxi apostolicae et intentioni Dei” (Denz. 1436).

Pius VI similem errorem Concilii Pistoriensis condemnavit, inqui-

ens: “Propositio asserens, ‘fore contra apostolicam praxim et Dei consilia, nisi populo faciliores viae pararentur vocem suam iungendi cum voce totius Ecclesiae’; intellecta de usu vulgaris linguae in liturgicas preces inducendae: — falsa, temeraria, ordinis pro mysteriorum celebratione praescripti perturbativa, plurium malorum facile productrix” (Denz. 1566).

Ad usum *linguae latinae* quod attinet, notentur sequentes *exceptiones*:

In Occidente fere nunquam concessus est *usus linguae nationalis* prae latina. Haec facultas, quam saec. 15 inaniter sibi vindicarunt et a S. Sede reclamarunt *Hussitae Bohemi*, Protestantium praecursores, saec. 9 a Nicolao I concessa est 58. *Cyrillo et Methodio* in favorem ipsius Moravae seu Slavonicae gentis, testante Breviario Romano: “Deinde Cyrillus et Methodius de munere apostolico in quo essent sancte laborioseque versati ad Pontificem Maximum, assidente clero, referunt; cum autem eo nomine ab invidis accusarentur, quod sermonem Slavonicum in perfunctione munerum sacrorum usurpavissent, causam dixere rationibus tam certis tamque illustribus, ut Pontifex et clerus et laudarint homines et probarint.”⁵⁰

Per tria fere saecula lingua liturgica in ecclesia romana fuit lingua graeca. Post adoptionem linguae latinae, in quibusdam solemnitatibus romanae ecclesiae prophetia, epistola et evangelium legebantur in utraque lingua, latina et graeca; qui mos hodie servatur tantum *in missa solemni Romani Pontificis*.

In Missa ritus latini supersunt verba graeca “Kyrie eleison” et voces hebraicae “Amen”, “Alleluja”, “Hosanna”.

2. *CONVENIENTIA* consuetudinis *quaedam submissa voce legendi* (praecipue canonem et ipsa verba consecrationis) bene assignatur a *Basilio* (relato in pag. praec.); congruit scilicet indoli mysterii et ad eius dignitatem atque reverentiam confert ut verba, quae ipsum propinquius respiciunt, submissa ac veluti secreta voce proferantur nec vulgaribus auribus, sicut cetera, pateant.

Convenientia vero *excludendi vulgarem linguam* a missae celebratione multipliciter patet. Nam “1. . . Ex diversitate linguarum tolleretur communicatio ecclesiarum, et qui unum tantum idioma callerent non possent in aliis ecclesiis celebrare. Hinc unitas Ecclesiae solveretur, nascerentur dissensiones et schismata. 2. Ex mutatione idiomatis vulgaris forent saepe mutanda verba sacrificii, aut antiquata et ridicula, quae risum moverent, retinenda. 3. Quamvis omnes audientes

⁵⁰ Festum SS. Cyrilli et Methodii, 5 lectio ad Matutinum.

intelligerent verba, non tamen omnes assequerentur sensum verborum; multa enim in missa leguntur ex Prophetis, Psalmis et Epistolis Apostolorum inter quae plura sunt intellectu difficilia: unde contingeret quod plures audientes, sensus exoticos et falsos conciperent".⁶⁰

Ceterum inconvenienti quod ex ignorantia liturgicae linguae provenire posset fidelibus quoad intellectionem eorum quae in sacra celebratione leguntur, sufficienter occurritur per praeceptum, ab ipso *Concilio Tridentino* (relato in p. 1177) pastoribus impositum, ea intra missam exponendi ac declarandi, diebus praesertim dominicis et festis de praecepto.

Conclusio 2. Convenienter ab Ecclesia assignantur et disponuntur caeremoniae stricte dictae, seu verba et actiones, in celebratione missae (a. 4 et 5).

I. DISCIPLINA ECCLESIAE.

Ritus eucharistici sacrificii, prout minute exponitur in *Missali Romano*, in usu jam fuit per tredecim saecula, substantialiter immutatus descendens ex *Sacramentario Gregoriano*. Ceterum fundamentaliores eius lineae ad ipsos *Apostolos* ascendunt, imo ad ipsum ritum observatum a *Christo* in ultima coena.

In celebratione *Christi* notantur duae actiones principales, i.e. consecratio et communio (de communione ipsius *Christi* cf. art. 3, p. 77 sqq.), et duae secundariae, i.e. benedictio et fractio; item notantur verba principalia, seu consecratoria, et verba secundaria, seu gratiarum actio et sermo eucharisticus (Joan. 14-17), cui addendus est hymnus, probabiliter etiam ab ipsis *Apostolis* simul cum *Christo* recitatus (Matth. 26, 30: "Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti"). Ipsa ablutio pedum *Apostolorum* ante celebrationem coenae, in signum spiritualis purificationis ad sacrificium requisitae (cf. Joan. 13, 10), recte consideratur ut origo caeremonialis confessionis (Psalmus "Judica me" et Confiteor) quae nunc fit a celebrante ad pedem altaris.

In Emmaus, antequam recumberet cum discipulis ad panem benedicendum et frangendum, *Christus* explanavit eis sensum *Scripturarum*.

In *Actibus Ap.* (2, 42-47) cum celebratione fractionis panis commemorantur communio, doctrina, oratio, laus, gratiarum actio et oblationes (cf. p. 75); ibidem (20, 7. 11) in relatione coenae Troadis refertur fractio, communio et sermo. In 1 Cor. 11, 34 Paulus, admonitis Christianis de digna celebratione coenae dominicae, ait: "Cetera autem cum venero disponam".

® *Billuart*, De Euch., diss. 8, a. 12, Parisiis, 1904, p. 227.

Unde in communi schemate missae apostolicae quatuor inveniuntur: fractio (χλ<ισι) seu ipsa consecratio, communio, doctrina (διδαχή) et oratio (προσευχή).

Ad maiorem determinationem quod attinet, probabile est primam Anamnesim seu *Canonem* apostolorum constituisse praecipue oratione dominica; imo S. *Gregorius M.* non dubitavit asserere: “Mos apostolorum fuit ut ad ipsam solummodo orationem [dominica] oblationis hostiam consecrarent” (cf. supra, p. 142-144).

Ad rem etiam *Walajridus Strabo* (f 849): “Relatio majorum est ita primis temporibus missas fieri solitas, sicut modo in Parasceve Paschae (in quo die apud Romanos missae non aguntur) communicationem facere solemus, id est praemissa oratione Dominica; et sicut ipse Dominus noster praecepit, commemoratione passionis ejus adhibita, eos corpori Dominico communicasse et sanguini, quos ratio permittebat” (De rebus eccl. 12, M.L. 114, 944).

Item probabile est primum determinatum schema missae conditum fuisse Hierosolymis a S. *Jacobo*, fratre Domini, episcopo illius civitatis. Testatur enim *Cone. Quinisextum* seu Trullanum II (a. 692), c. 32, in Decreto Gratiani relato: “Jacobus frater Domini secundum carnem, cui primum credita est Hierosolymitana ecclesia, et Basilius, Caesariensis episcopus, cujus claritas per totum orbem circumfulsit, in scripturis addiderunt nobis missae celebrationem” (M.L. 187, 1720 sq.).

Sub finem saec. I Didache, 9, 1-4; 10, 1-6; 14, 1, commemorat duplicem actionem, scilicet consecrationem et communionem, duplicem orationem (tum gratiarum actionis, tum petitionis) quae utramque actionem comitabatur, et confessionem sacrificio praemittendam (cf. p. 201 sq. et 894). Quamvis hic liber exaratus fuerit in Oriente, tamen, ob suam propinquitatem ad tempus apostolicum, ostendit qualis fuerit etiam in Roma primitivus ritus missae, ab ipso S. Petro institutus.

Quaestio de existentia *agapes* eucharisticae, seu an apud primos christianos celebrationi eucharisticae coniunctum esset convivium communitatis, disputatur inter eruditos, ut supra dictum est (p. 72 sq.).

Primitivus ille ritus, a *Didache* delineatus, postmodum in singulis ecclesiis, tam orientalibus quam occidentalibus, magis determinatus ac evolutus est, donec originem dederit *distinctis liturgiis*, quarum auctores praecipui habentur S. Basilius et Chrysostomus quoad ritum *graecum*, S. Hilarius quoad ritum *gallicanum*, S. Ambrosius quoad ritum *ambrosianum* seu mediolanensem, S. Gregorius M. quoad ritum *romanum*.

Romani ritus excellentiam recte extollit *Walajridus Strabo*, inquit: “Multi . . . apud Graecos et Latinos missae ordinem ut sibi visum

est statuerunt. Et Romani quidem usum observationum a Beato Petro principe apostolorum accipientes, suis quique temporibus, quae congrua iudicata sunt, addiderunt. Quorum morem ideo in sacris rebus tam multae gentes mirantur, quia et tanti magisterii ex apice apostolico primordiis clarent, et nulla per orbem Ecclesia aequae ut Romana ab omni faece haereseon cunctis retro temporibus pura permansit” (De rebus eccl. 12, M.L. 114, 944).

Ceterum aliorum rituum convenientiam et utilitatem ipse *Gregorius M.* ultro agnoscit in Epist. 64 ad Augustinum Anglorum episcopum, in qua interroganti Augustino: “Cum una sit fides, cur sunt Ecclesiarum consuetudines tam diversae; et altera consuetudo missarum est in Romana Ecclesia, atque altera in Galliarum Ecclesiis tenetur?”, Papa respondet: “Novit fraternitas tua Romanae Ecclesiae consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet ut sive in Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, et in Anglorum Ecclesia, quae adhuc in fide nova est institutione praecipua quae de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca nobis amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis quae pia, quae religiosa, quae recta sunt elige, et haec quasi in fasciculum collecta apud Anglorum mentes in consuetudinem deponere” (M.L. 77, 1186 sq.).

ROMANUM RITUM ab ipso S. *Petro* incoeptum fuisse merito creditur; quid tamen in particulari Apostolus in eo determinaverit, praeter generalem et communem consuetudinem expressam in *Didache*. certo assignari non potest, quamvis *Innocentius I* in sua Epistola (Ep. 25) ad *Decentium Eugubinum* a. 416 non cunctetur asserere: “Quis enim nesciat aut non advertat, id quod a principe Apostolorum *Petro* Romanae Ecclesiae traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari . . . ? . . . Saepe dilectionem tuam ad Urbem venisse, ac nobiscum in ecclesia convenisse, non dubium est, et quem morem vel in consecrandis mysteriis, vel in caeteris agendis arcanis teneat, cognovisse” (M.L. 20, 552).

Saec. 1 labente, *Clemens Rom.* (inter 90 et 99), tertius post *Petrum* papa, Ep. ad *Corinthios*, 40, 1 (cit. in p. 895 sq.), generice ait sacrificium agendum esse secundum *statutum ordinem*.

Medio saeculo 2, *Justinus*, *Apol.* 1, 65-67, Romae commoratus ibique martyrium passus, exponens ea quae agebantur in conventibus Christianorum, commemorat lectionem Scripturae antiquae vel novae, sermonem, communem orationem, adductionem panis et vini consecrandorum, consecrationem, prolixas preces et gratiarum actiones cum

populi acclamatione (“Arnen”), distributionem communionis ad praesentes eiusque missionem ad absentes, fidelium oblationes (cf. p. 203. 537. 741 sq.). Hic jam apparet schema duarum partium missae quae in posteriori Ecclesiae liturgia agebatur, *Missae scilicet Catechumenorum* (i.e. lectionis Scripturae, sermonis, orationis) et *Missae Fidelium* (i.e. celebrationis ipsius sacrificii).

Circa initium saec. 3, S. *Hippolytus*, presbyter romanus, in sua Traditione Apostolica (nam hic liber merito ei tribuitur)⁶¹ affert unum ex antiquioribus documentis liturgiae romanae, ex quo apparet jam eo tempore ritum missae fuisse valde determinatum, juxta ipsas essentielles lineas quae in hodierna celebratione observantur.

Juxta ea quae, praecipue in cap. 1 et 16, S. Doctor exponit de missa fidelium (tacet enim de missa catechumenorum), datur primo osculum pacis; dein diaconus affert dona seu materiam consecrandam; episcopus extendit manus super eam (Offertorium); sequuntur formulae “Dominus vobiscum — Sursum corda — Dignum et justum est” et oratio (Praefatio et initium Canonis); fit consecratio; sequitur Anamnesis (similis hodiernae orationi “Unde et memores”); additur Epiclesis seu invocatio Spiritus S. super oblata (quae deest in hodierno ritu); sequuntur variae orationes inter quas pronuntiatur trina formula “Sanctus, sanctus, sanctus”; intonatur canticum et distribuitur communio; sequitur oratio gratiarum actionis; fit impositio manus cum ratione deprecativa (sicut hodie fit benedictio ante ultimum Evangelium); ultimo dimittitur populus (sicut hodie fit per verba *Ite Missa est*).

Inter saec. 3 et saec. 6, i.e. a tempore S. *Hippolyti* († 235) ad pontificatum S. *Gregorii I* (590-604), per successivas determinationes paulatim efformatus est ritus missae romanae qui in hodierna liturgia observatur.

Huiusce evolutionis tres praecipui designari solent auctores, progressu tum temporis tum, ut videtur, meriti, sibi invicem succedentes, scilicet *Leo M.* († 461) qui ritum instauravit {*Sacramentarium Leonianum*, M.L. 55, 21 sqq.; quod tamen a quibusdam adscribitur tempori Felicis III vel eius successoris ipsius Gelasii), *Gelasius I* († 496) qui illum ordinavit {*Sacramentarium Gelasianum* sive Liber Sacramentorum Romanae Ecclesiae a S. Gelasio Papa, M.L. 74, 1049 sqq.) et *Gregorius M.* († 604), qui illum perfecit {*Sacramentarium Gregorianum*, i.e. Liber Sacramentorum S. Gregorii M., M.L. 78, 25-28).⁶²

* Cf. tractatus De Bapt. et Confirmatione, art. 4, p. 322.

† De tribus his Sacramentariis confer *Muratori*, Dissertatio de rebus liturgicis (in M.L. 74, 861 sqq.).

Ad rem *Joannes diaconus* in sua Vita S. Gregorii, 2, 17: “[Gregorius] Gelasianum Codicem de missarum solemnibus, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla vero superadjiciens, pro exponendis evangelicis lectionibus in unius libri volumine coarctavit. In canone apposuit: Diesque nostros in tua pace dispone, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari” (M.L. 75, 94; cf. *Innocentium III*, De sacr. ait. myst. 2, 22).

Ritus secundum formam gregorianam *immutatus perseveravit* et usque ad hodiernum diem observatur; evolutio, si quae fuit, respicit additionem rituum minoris momenti et novorum festorum, ipse vero essentialis Ordo Missae, ac praecipue Canon, nunquam mutatus est. Permissa olim fuit in particularibus ecclesiis, ubi ritus romanus observabatur, quaedam *accidentalis varietas*, consistens praecipue in additione orationum, sequentiarum et festorum; sed post Concilium Tridentinum omnes ecclesiae occidentales (salvis quibusdam ritibus, ut Ambrosiano et Mozarabico) ad perfectam ritus unitatem revocatae sunt, cui unitati non obstant quaedam liturgicae peculiaritates observatae ab aliquibus religiosis ordinibus, cum parum pro nihilo reputetur.

In ipso *SACRAMENTARIO GREGORIANO* sic exponitur ritus missae romanae:

“In primis ad introitum Antiphona, qualis fuerit statutis temporibus, sive diebus festis, seu quotidianis. Deinde, *Kyrie eleison*. Item dicitur, *Gloria in excelsis Deo*. Si episcopus fuerit, tantummodo die Dominico, sive diebus festis. A presbyteris autem minime dicitur, nisi solo in pascha. Quando vero litania agitur, neque *Gloria in excelsis Deo*, neque *Alleluia* canitur. Postmodum dicitur Oratio; deinde sequitur Apostolus. Item Graduate, seu *Alleluia*. Postmodum tegitur Evangelium, deinde Offertorium, et dicitur oratio super oblata. Qua completa, dicit sacerdos excelsa voce: *Per omnia saecula saeculorum*”, etc. (sequuntur, absque ulla rubricali explicatione, Praefatio communis et totus Canon, ut in hodierno Missali; M.L. 78, 25).

Antiquissimum tamen documentum, in quo *ipse ordo* seu ritualis ordinatio missae gregorianae complete exponitur, est *ORDO ROMANUS T³* (M.L. 78, 937 sqq.) qui ascendit saltem ad saec. 8 (cum de eo occupetur Amalarius, auctor saec. 9) et a quibusdam adseribitur ipsis Gregorio M. et Gelasio I.

Quaedam adnotare juverit ad singulas partes missae romanae.

1. “*INTROIBO*” seu *Confessio ad pedem altaris* (Psal. 42 “Judica me” et Confiteor).

^o Primus inter 15 Ordines Romanos a *Mabillon* a. 1689 editos.

Hic ritus, qui est quaedam duplicatio Introitus, deest in missa gregoriana atque paulatim ac incerto tempore introductus est in medio aevo, ita ut jam observaretur saec. 13, ut constat ex expositione tum *Micrologi* (saec. 12; M.L. 151, 979) tum *Innocenta III* (f 1216), De sacro altaris mysterio, l. 2, c. 13 (M.L. 806, 217). 5. *Thomas* huius ritus mentionem omittit hic in corp. a. 4 dum exponit formulas missae ac de eo transeunter tantum mentionem facit in a. 5, ad 1.

Inde a saec. 13 ipsum Confiteor semper ad pedem altaris recitatum est, dum quoad Psal. "Judica me" non una fuit consuetudo ante editionem Missalis Pii V, ut patet ex Missali Pauli III (a. 1550), in quo sacerdoti permittitur ut Psalmum recitet, submissa vel alta voce, dum procedit ad altare.

Huius caeremoniae praecursores ritus dici possunt tum ablutio pedum a *Christo* in coena observata in signum spiritualis purificationis, tum verba Apostoli 1 Cor. 11, 28: "Probet autem seipsum homo", tum verba *Didache*, 14, 1: "Frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis", tum sic dictae *Apologiae* seu confessiones, frequentes apud doctores ritus gallicani saec. 9-11 (cf. v.g. *Micrologum*, 22, M.L. 151, 992), tum processio cum cantu antiphonae "Introibo" et Psal. "Judica me" quae in ecclesia *ambrosiana* fiebat a neobaptizatis accedentibus pro prima vice ad altare ut missae et communioni participarent.

2. INTROITUS.

Hic ritus, introductus post tempus persecutionum a *Coelestino I* (t 432) juxta Librum Pontificalem (1, 230), offert veluti thema totius secuturae celebrationis. Consistit in antiphona (desumpta vel ex subsequent! psalmo vel ex alia parte Scripturae), psalmo et Gloria Patri. Antiquitus canebatur totus psalmus, dum episcopus solemniter procedebat ex sacristia, prope januam Ecclesiae, ad altare sacrificii; paulatim vero numerus versorum psalmi reductus est usque ad unicum qui nunc legitur, dum ritus alterius introitus ad pedem altaris suum momentum usurpavit.

3. KYRIE.

Kyrie eleison est quaedam reliquia vel Litaniarum quae, sicut adhuc observatur in ritu orientali, cantabantur ante missam (ita quidam eruditi), vel cantus processionis quae in sic dictis diebus stationis fiebat ab una ecclesia (ecclesia collecta) ad aliam (stationem) in qua missa celebrabatur (ita alii). Usus ipsius formulae *Kyrie eleison* in ecclesia latina ascendit saltem ad saec. 4, quando graecum idioma erat adhuc liturgica lingua in Occidente. Eius incorporatio in ipsam litur-

giam missae tribuitur *Gregorio I* (cf. Epist. 12, ad Joannem Syracusanum, M.L. 77, 956). “Beatus Gregorius, scribit Innocentius III, ‘Kyrie eleison’ ad missam cantari praecepit a clero, quod apud Graecos ab omni populo cantabatur” (De sacr. ait. myst. 2, 19, M.L. 217, 810).

Kyrie eleison toties repetebatur quoad pontifex finem imponeret (cf. Ordinem Romanum I, M.L. 78, 942). Determinatio tamen trinae repetitionis ad saec. 7-8 ascendere videtur.

Cum litaniae ante missam cantabantur, Kyrie eleison in missa omittebatur, ut etiam nunc fit a celebrante in Sabbato Sancto.

4. GLORIA.

Hic hymnus, vel potius accumulatio quaedam acclamationum in honorem praecipue Patris et Filii, addita cantico Angelorum in Nativitate Christi (Luc. 2, 14), ascendit saltem ad saec. 4, cum primo breviter memoratur a S. *Athanasio* (De virginitate; circa a. 370). Completus textus graecus (latino amplior) invenitur in ipsis *Constitutionibus Apostolorum* (7, 47; circa a. 400); antiquissimus textus latinus apparet saec. 7 in *Antiphonario Bcnchorensi* (Bangor, Ireland; cf. M.L. 72, 608); hodiernus textus, inde a saec. 11 universaliter acceptus, invenitur jam saec. 9 in *Psalterio Woljcoz S. Galli*.

De auctore hymni ait *Innocentius III*: “Hymnum Telesphorus novus a beato Petro ad missam nocturnam Natalis Domini (quam idem constituit) cantari praeceperat. Et in eo, ea quae sequuntur ad verba angelorum adjecit; quamquam a pluribus asseratur, quod ea beatus Hilarius Pictaviensis adjecerit” (M.L. 217, 811 sq.).

Introductio hymni in ipsam missam est antiquior saec. 6. Liber Pontificalis (qui clauditur saec. 6) ait id primo factum esse a *Telesphoro* Papa (f 136), qui praecepit ut hymnus cantaretur ante sacrificium in sola missa Nativitatis, subinde vero *Symmachum* Papam (t 514) permisisse ut legeretur etiam diebus dominicis et in festis martyrum. *Sacramentarium Gregorianum* (cit. in p. 1183) usum Gloriam concessit solis episcopis, excepto die Paschatis quo eadem facultas etiam sacerdotibus extendebatur.

Postmodum a quibusdam facultas dicendi Gloria die dominica et in natalitiis sanctorum pro omnibus sacerdotibus coepit vindicari; talis facultatis acerrimus defensor se exhibet *Bcrno Augicnsis* (t 1048) in suo libello De officio Missae, c. 2 (M.L. 142, 1058 sqq.). Ceterum inde a saec. 12 Gloria legitur ab omnibus celebrantibus in omnibus missis, exceptis his quae moeroris vel poenitentiae characterem prae se ferunt.

5. DOMINUS VOBISCUM.

Haec est Christiana salutatio, descendens ex Scriptura tum antiqua tum nova (cf. Ruth, 2, 4; Jud. 6, 12 sqq.; Luc. 1, 28: "Dominus tecum"; 2 Tim. 4, 22), fundata in ipsa prophetia Isaiae de nomine Messiae (7, 14: "Vocabitur nomen ejus Emmanuel"; Matth. 1, 23: "Quod est interpretatum: Nobiscum Deus"), quam celebrans *octies* intra missam ad assistentes tanquam ad cofferentes dirigit, ut tanti officii memores ac digni sese exhibeant. Episcopus utitur etiam formula digniori "Pax vobis".

Ad rem *Innocentius III*: "Pontifex ergo salutationem praemittit ad populum dicens: 'Pax vobis'; illius utens eulogio, cujus fungitur pontificio. Minor autem sacerdos cum salutat populum, ait: 'Dominus vobiscum'. Quod utique verbum Booz legitur (Ruth ii) dixisse messoribus; quod intelligitur Booz quoque figuram Salvatoris expressisse. Quia Ruth Moabitidem duxit uxorem. Chorus autem utrique respondet: 'Et cum spiritu tuo'. Quod sumptum ex Epistola Pauli ad Timotheum: 'Dominus, inquit, Jesus Christus cum spiritu tuo' (II Tim. iv). Ut autem episcopus ostendat Christi vicarium, prima vice dicit: 'Pax vobis'. Quoniam haec fuit prima vox Christi ad discipulos, cum eis post resurrectionem apparuit. Ad instar vero sacerdotum caeterorum dicit postea: 'Dominus vobiscum'; ut se unum ex ipsis ostendat. Caeterum, septem vicibus populus salutatur in missa, quatenus exclusis septem vitiis capitalibus, suscipiat gratiam septiformem" (De sacr. ait. myst. 2, 24, M.L. 217, 812; cf. S. *Thomam*, a. 5, ad 6).

6. COLLECTA.

Collecta est antiquum nomen precis quae nunc dicitur simpliciter Oratio. In antiquis liturgiis collecta non habebatur, vel potius prolixa quaedam oratio (oratio fidelium) solvebatur post lectionem Scripturarum (ut adhuc servatur in ritu romano Feriae VI in Parasceve). In liturgia romana, jam ante tempus *Gregorii M.*, oratio fidelium suppressa est, et introducta est collecta (quae primo apparet in Sacramentario Leoniano), probabiliter ut locum sumeret orationis quae dicebatur, tempore quo stationes celebrabantur, in ecclesia collecta (i.e. super populum collectum).

Ad rem apte *Innocentius III*: "Orationes quae circa principium missae dicuntur, collectae vocantur, eo quod sacerdos qui fungitur ad Deum legatione pro populo, petitiones omnium in eis colligat et concludat. Proprie tamen collectae dicuntur, quae super collectam populi fiunt, dum colligitur populus, ut ad stationem faciendam, de una ecclesia procedant ad alteram" (De sacr. ait. myst. 2, 22, M.L. 217. 814).

In *Sacramentario Leoniano* saepe duae inveniuntur collectae (cf.

M.L. 55, 23 sqq.), quarum una dicebatur ante, altera post primam lectionem, cum duae lectiones Scripturae praeter evangelium legebantur. In *Sacramentario vero Gregoriano* et in *Ordine Romano I* unica refertur collecta.

Saec. 4 et 5 pontifex ipse celebraturus, collectam pro variis circumstantiis componebat, donec inde a saec. 6 privatus iste ac extemporalis compositionis modus paulatim extinctus est. Ad rem *Innocentius III*: ‘Orationum vero plures et varii fuerunt auctores, ut in tantum earumdem numerus et diversitas excrescebat, quod octavum Africanum concilium, cui beatus Augustinus interfuit, ita constituit: nullae preces vel orationes, vel missae, vel praefationes, vel commendationes, vel manus impositiones dicantur, nisi in concilio fuerint approbatae’ (ibid., 814).

Ad numerum orationum quod attinet, praeter collectam pro festo determinatam, statuebat *Innocentius III*: “Quidam vero modum et ordinem excedentes, in tantum orationes multiplicant, ut auditoribus suis taedium generent et fastidium. . . Hujus ergo orationis formam [i.e. Pater noster] sequentes sacerdotes in missa septenarium numerum non excedant. Nam Christus septem petitionibus omnia corporis et animae necessaria comprehendit. Quia vero. . . ‘Numero Deus impari gaudet’ (Virg.), summopere quidam observant, ut impares dicant orationes in missa, vel unam, vel tres, vel quinque, vel septem. Unam vel tres, propter unitatis sacramentum vel mysterium Trinitatis; quinque vel septem, propter quinquepartitam Domini passionem, vel Spiritum gratiae septiformem” (ibid., 814).

7. *EPISTOLA VEL LECTIO.*

Haec, una cum Evangelio, efformat principalem partem antiquae missae catechumenorum, cuius missae praecursor fuit ipsum officium Synagogae (i.e. duplex lectio legis Moysis et Prophetarum, interpositis cantu, sermone et oratione) quaeque hodie est tantummodo pars praeparatoria ad celebrationem ipsius sacrificii.

In antiqua liturgia etiam Romana et in modernis liturgiis Orientali, Ambrosiana et Mozarabica, plures habentur lectiones praeter Evangelium (communiter duae); liturgia romana inde a saec. 6 retinuit unicum lectionem (paucis exceptis missis, ut ad quatuor Tempora et in Feria VI in Parasceve), quae vocatur Epistola si desumitur ex epistolis Apostolorum, secus simpliciter lectio.

8. *GRADUATE — ALLELUJA CUM VERSU — TRACTUS.*

Inter duplicem lectionem Epistolae et Evangelii fit quaedam duplex intermissio, ipsi humanae psychologiae apprime congruens, scilicet Graduate (a gradu ambonis ex quo canebatur) et Alleluja cum versu

(quibus substituitur Tractus in die moeroris vel poenitentiae). Hae liturgicae partes, consistentes in versibus psalmorum, nihil aliud sunt nisi copulatae reliquiae eorum quae olim separatim canebantur post primam et secundam lectionem vel Epistolam.

Intermissioni Gradualis et Alleluja inter Epistolam et Evangelium obstiterunt aliquando Hispani et ipsum *Cone. Toletanum* (cap. 11; cf. in M.L. 130, 468). Ad rem *Bcrno Augiensis*, De officio Missae, c. 1: "Postea cum gradualia et *alleluia* inter apostolicam et evangelicam lectionem coeperunt frequentari. Hispani quasi novitate rei perclusi multum restiterunt dicentes [in *Cone. Tolet.*, cap. 11]: In quibusdam Hispaniarum ecclesiis laudes post apostolum decantantur priusquam Evangelium praedicetur, dum canones praecipiant post Apostolum non laudes, sed Evangelium annuntiare. Praesumptio enim est ut anteponant ea quae sequi debent. Nam laudes ideo Evangelium sequuntur, propter gloriam Christi, quae per idem Evangelium praedicatur. Verumtamen ex auctoritate sanctae Romanae Ecclesiae, postea est constitutum ut responsoria et *alleluia* canantur ante sanctum Evangelium" (M.L. 142, 1057 sq.).

Antiquitus Alleluja cantabatur tantum tempore decurrente a Paschate ad Pentecosten; consuetudo illud cantandi etiam extra hoc tempus videtur introducta a *Gregorio I* scribente in Ep. 12, ad Joannem Syracusanum: "Veniens quidam de Sicilia mihi dixit quod aliqui amici ejus ... de meis dispositionibus murmurarent, dicentes ...: Quia alleluia dici ad missas extra Pentecostes tempora fecistis. . . Cui ego respondi quia in nullo eorum aliam Ecclesiam secuti sumus [quam Romanam]. Nam ut alleluia hic diceretur, de Jerosolymorum Ecclesia ex beati Hieronymi traditione tempore beatae memoriae Damasi papae traditur tractum" (M.L. 77, 95 sq.). Abusum quorundam Hispaniorum cantandi Alleluja etiam in Quadragesima extirpavit *Cone. Toletanum*, cap. 10 (M.L. 130, 468).

In Hispania mos fuit, a *Cone. Toletano* (cap. 11) sancitus (M.L. 130, 469), cantandi hymnum "*Trium puerorum*". Ad rem *Walajridus Strabo*: "In ejusdem loci concilio statutum est ut etiam hymnus trium puerorum ad missam omni Dominica in pulpito cantaretur. Quod *Romani* propter multipliciter officiorum non faciunt nisi quatuor per annum diebus, quibus lectionum duodecim numerus adimpletur" (De rebus eccl. 22, M.L. 114, 947).

9. EVANGELIUM.

Est culmen missae catechumenorum, seu partis praeparatoriae ad celebrationem sacrificii.

Liber Pontificalis refert *Anastasium Papani* (f 401) constituisse ut

cum Evangelium legeretur sacerdotes non sederent sed curvi starent (cf. Decretum Gratiani, De consecr., dist. 1, c. 68). *Innocentius III* scribit: "Stans ergo populus, quod ante non fuerat, cum epistola legeretur, devotus et attentus respondet: 'Et cum spiritu tuo'. Statimque diaconus . . . subdit: 'Sequentia sancti Evangelii'" (De sacr. ait. myst. 2,46, M.L. 217, 826).

10. *SERMO AD POPULUM.*

Cone. Trid., sess. 22, cap. 8 (cit. in p. 1177), jubet ut pastores frequenter "inter Missarum celebrationem" concionem ad populum habeant, "diebus praesertim Dominicis et festis." Quod praeceptum determinatius reiterat *Codex J.C.*, can. 1344.

Haec observantia, quae considerari potest ut complementum doctrinae in lectione Evangelii solemniter traditae, ascendit ad aetatem apostolicam. S. *Paulus* in coena Troadis prolixum sermonem habuit (Act. 20, 7 sqq.); S. *Justinus* distinguit inter lectionem Scripturae et sermonem, inquit: "Commentaria apostolorum, aut scripta prophetarum leguntur, quoad licet per tempus. Deinde, ubi lector desiit, is qui praest admonitionem verbis et adhortationem ad res tam praeclaras imitandas suscipit" (Apol. 1, 67, Kirch, Enchir. hist, eccles. 56).

Ad posteriora saecula quod attinet, "*post Evangelium aut Symbolum* nonnunquam pontifex sermonem ad populum habebat, quod a *Leone Magno* primum fieri coeptum colligitur, tum ex eo quod nullae pontificum Romanorum ante eum homiliae exstant, tum ex *Sozomeni* lib. vii, cap. 19, ubi, de Roma agens: 'In eadem Urbe, inquit, nec episcopus, nec alius quisquam in ecclesia populum docet; sed apud Alexandrinos solus civitatis Alexandrinae episcopus concionatur. Quam consuetudinem, cum antea introducta non fuisset, introductam esse ferunt ex quo Arius presbyter, de doctrina fidei disserens, nova dogmata invexit.' . . . Verumtamen *Prudentius*, Leone Magno et Sozomeno antiquior, in hymno 11, de coronis, ubi Romanam sancti Hippolyti basilicam describit, Pontificem in tribunali ad populum verba facere solitum fuisse testatur: 'Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal tollitur, antistes praedicat unde Deum'. Verum id fortasse rarius. Certe post *Gregorium Magnum* paucas habemus Romanorum pontificum homilias; tametsi nonnulli aliquando concionati sunt, quos inter *Innocentius III*, et post eum *Clemens VI* multas conciones habuit."⁶⁴

11. *CREDO.*

Cantus Symboli intra missam (ad Offertorium post osculum pacis) fuit antiqua consuetudo ecclesiae Orientalis, quam serius imitata est

⁶⁴ *Mabillonius*, In Ordinem Romanum commentarius praevious, M.L. 78, 873 sq.

ecclesia Occidentalis, prius Gallicana et Hispana, subinde Romana, addens Symbolum immediate post Evangelium.

Cone. Toletanum, cap. 2, occasione haeresis Arianæ, decrevit: "His igitur incommodis occurrendi causa, ut erroris nubes longe repellantur . . . consultu piissimi et gloriosissimi Reccaredi regis constituit synodus, ut per omnes ecclesias Hispaniae et Gallaeciae secundum formam orientalium ecclesiarum concilii Constantinopolitani, hoc est centum quinquaginta episcoporum symbolum fidei recitetur et priusquam Dominica dicatur oratio, voce clara praedicetur, quo fides vera manifesta sit et testimonium habeat, et ad Christi corpus et sanguinem praelibandum pectora populorum fide purificata accedant" (M.L. 130, 453 sq.).

Verba Concilii "Symbolum fidei recitetur . . . priusquam Dominica dicatur oratio" non significant Symbolum esse recitandum immediate ante Pater Noster; certum est enim id immediate post Evangelium factum esse. Ad rem *Berno Augiensis*: "Symbolum quoque fidei catholicae post Evangelium recitatur, ut per sanctum Evangelium corde credatur ad justitiam, per symbolum autem ore confessio fiat in salutem (Rom. x)" (M.L. 142, 1058).

Tempore S. *Gregorii* Symbolum *in missa romana* non canebatur, ut patet ex silentio supra citatae (p. 1183) rubricae Sacramentarii Gregoriani. Quandonam autem introductum fuerit non constat.

Quidam dicunt id factum esse a *Benedicto VIII* a. 1014 ad petitionem imperatoris *Henrici II*. Ad quod probandum adducunt sequens explicitum testimonium *Bcrnonis Augiensis* (f 1048): "Nam si ideo, ut saepe dictum, illum angelicum hymnum [Gloria] prohibemur in festivis diebus canere eo quod Romanorum presbyteri non solent eum canere, possumus simili modo post Evangelium symbolum reticere, quod Romani usque ad haec tempora divinae memoriae Henrici imperatoris nullo modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati cur ita agerent, *me coram assistente, audivi* eos huiusmodi responsum reddere, videlicet, quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla haereseos faece infecta, sed secundum sancti Petri doctrinam in soliditate catholicae fidei permaneret inconcussa: et ideo magis his necessarium esse illud symbolum saepius cantando frequentare, qui aliquando ulla haeresi potuerunt maculari. At dominus imperator non antea desiit quam omnium consensu id domino *Benedicto* apostolico persuasit, ut ad publicam missam illud decantarent. Sed utrum hanc consuetudinem servent adhuc affirmare non possumus, quia certum non tenemus" (De officio Missae, cap. 2, M.L. 142, 1060 sq.).

Attamen Symbolum *ante illud tempus in missa romana introductum*

esse patet tum ex *Ordine Romano II* (n. 9: "Post lectum Evangelium, ... ab Episcopo 'Credo in unum Deum' cantatur", M.L. 78, 972), tum ex *Anialario Metensi* (saec. 9) qui in sua Egloga de officio Missae commentatur hunc locum Ordinis Romani II ("De Credo in Deum", M.L. 105, 1323), tum ex *Ordinibus Romanis V et VI* (ante saec. 9; cf. M.L. 78, 987. 992), tum ex *Walajrido Strabone* († 849) scribente: "Notandum Graecos illud Symbolum, quod nos ad imitationem eorum intra missas assumimus, potius quam alia in cantilenae dulcedinem ideo transtulisse, quia Constantinopolitani concilii proprium est, et fortasse aptius videbatur modulis sonorum quam Nicaenum, quod tempore prius est; et ut contra haereticorum venena, in ipsis etiam sacramentorum celebrationibus, medicamenta apud regiae suae urbis sedem confecta fidelium devotio replicaret: *ab ipsis ergo ad Romanos ille usus creditur pervenisse. Sed apud Gallos et Germanos*, post dejectionem Felicis haeretici, sub gloriosissimo Carolo Francorum rectore damnati, idem Symbolum *latius et crebrius* in missarum coepit officiis iterari" (De rebus eccl. 22, M.L. 114, 947).

Unde *jalsa est Bernonis assertio* "Romani usque ad haec tempora divae memoriae Henrici imperatoris [Symbolum] nullo modo cecidere". Ad id autem, quod dicit se audivisse ab ipsis Romanis responderi potest quod Romae ante Henricum imperatorem minus frequenter ac regulariter quam in Gallia et Germania Symbolum cantatum fuit (quod patet ex Strabone nuper citato et innuitur in ipsis verbis Bernonis "saepius cantando frequentare") aut quod usus Symboli inter saec. 9 et saec. 11 totaliter obsoleverit (ut putat Mabillonius).⁵⁵

12. OFFERTORIUM.

Oblatio populi ad altare, ex qua originem habet ipsa vox "Offertorium", fuit antiquissima Ecclesiae consuetudo, a pluribus tamen saeculis prorsus obsoleta, cum paulatim successerit moderna forma pecuniariae oblationis sine accessu populi ad altare.

In *agapis* primitivae ecclesiae cibaria a fidelibus afferebantur, ex quibus videtur aliquid reservatum esse pro consecratione, dum cetera inter Christianos, praecipue pauperes, commutabantur vel distribuebantur (cf. 1 Cor. 11, 17 sqq.; *Justinum*, Apol. 1, 67, Kirch, Enchir. hist, eccles. 56).

Cyprianus (saec. 3), De opere et eleemosynis, 15, sic increpat divitem ad sacrificium absque donis accedentem: "Locuples et dives es. et Dominicum celebrare te credis, quae corban omnino non respicis, quae in Dominicum sine sacrificio venis, quae partem de sacrificio quod pauper obtulit sumis" (M.L. 4, 636).

^w In Ordinem Romanum commentarius praevius, M.L. 78, 873.

Constit. Apost. (circa 400) : “Quibus peractis diaconi dona ad altare admoveant episcopo” (Kirch, *Enchir. hist, eccles.* 680).

Canones Apost. (circa 400), can. 2: “Si quis episcopus aut presbyter praeter Domini constitutionem ad sacrificium spectantem obtulerit ad altare Dei alia quaedam, seu mei seu lac seu pro vino siceram confectam seu aves seu animalia aliqua seu legumina contra constitutionem, deponatur” (Kirch, *Enchir. hist, eccles.* 693).

Ordines Romani I, II, III, V, VI (M.L. 78, 943. 944. 972. 973. 980. 987. 988. 992), exponunt rationem et ordinem quo accipiebantur oblationes tum episcopi, tum ceterorum clericorum, tum laicorum. *Ordo Romanus II*, n. 9: “Deinde transit sacerdos ad suscipiendas oblationes. Interim cantores cantant Offertorium cum Versibus, et populus dat oblationes suas, id est, panem et vinum, et offerunt cum fanonibus candidis, primo masculi, deinde feminae, novissime vero sacerdotes et diaconi offerunt, sed solum panem, et hoc ante altare. Subdiaconus vero cum calice vacuo sequitur archidiaconum, et pontifice oblationes populorum suscipiente, archidiaconus suscipit post eum amulas, et refundit in calicem majorem, tenente eum subdiacono, quem sequitur cum scypho super planetam acholythus, in quem calix impletus refunditur” (M.L. 78, 972 sq.).

Jam in medio aevo oblationes populi suam solemnitatem et momentum paulatim amiserunt, quamvis particularia Concilia praeceptum huiusmodi oblationis frequenter inculcaverint.

Cone. Romanum a. 1078 (sub Gregorio VII), cap. 12, statuit: “Ut omnis Christianus procuret ad missarum solemnia aliquid Deo offerre, et ducat (et duci) ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit: ‘Non apparebis in conspectu meo vacuus’ (Exod. xxiii). Etenim in collectis sanctorum Patrum liquido apparet quod omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu sanctorum Patrum debent” (M.L. 148, 802; cf. *Decretum Gratiani*, *De consecr.*, dist. 1, c. 69).

De pane et vino in sacrificio adhibitis dictum est in art. 5 et 6 (p. 84 sqq.). Item *de admixtione aquae vino* consecrando late dictum est in art. 7 (p. 108 sqq.).

Pulchrae preces ad Offertorium, formulis ipsius Canonis tam similes ut a quibusdam antiquioribus vocarentur “parvus canon”, additae sunt posteriori aetate, probabiliter ad complendum vacuum paulatim relictum a praedicta caeremonia oblationum populi quae in desuetudinem abibat. In ea forma, quam nunc obtinent, hae preces descendunt ex saec. 14. Voces “*Dominus vobiscum*” et “*Oremus*” quae eas praecedunt

sunt quaedam reliquia sic dictae Orationis fidelium quae antiquitus dicebatur initio Missae Fidelium postquam catechumeni dimittebantur.

Ex his patet quam inepte quidam theologi, ut *Scotus*, tantopere exaggeraverint momentum Offertorii ut in eo *partem essentialem ipsius sacrificii* reposuisse videantur (cf. in p. 931 sq.).

Manuum ablutio est antiquissimus ritus, necessario connexus cum ipsa oblatione fidelium, quae erat causa immunditiae in manibus ministrorum; ceterum ipse symbolismus puritatis animi, ad oblationem requisitae, huic caeremoniae inde ab initio adnectebatur atque posterius per recitationem Psalmi 25 vividius expressus est. Jam in *Constit. Apost.* (circa 400), 8, 11, legitur: “Unus autem subdiaconus det sacerdotibus aquam ad lavandum manus, quae res signum est puritatis animarum Deo consecratarum” (Kirch, *Enchir. hist, eccles.* 679; cf. *Cyrillum Hier.*, *Catech.* 23, 2, *ibid.*, 529).

13. ORATE FRATRES — SECRETA.

Orate est mera exhortatio ad devotam oblationem orationis immediate subsequentis, i.e. *Secretae*, quae antiquitus erat unica oratio ipsius Offertorii. Hanc memorat *Sacramentarium Gregorianum* sub expressione “Oratio super oblata”, *Sacramentarium vero Gelasianum* sub nomine “Secreta”, quod forte subintelligit vocem “Ecclesia”, ita ut significet orationem ecclesiae secretae, quae nempe catechumenis non patebat.

14. PRAEFATIO.

Ut ostendit ipsa vox, ex *Sacramentario Gregoriano* deducta, praefatio est quaedam preparatio seu introductio ad Canonem, ac pro tanto veluti prima pars seu vestibulum ipsius Canonis. Incipit vers, et resp. (Per omnia saecula saeculorum — Dominus vobiscum — etc.), prosequitur per hymnum acclamatorium, concluditur in cantu “Sanctus” et “Benedictus”.

Antiquitas hujus orationis patet ex *Constit. Apost.* (circa 400). 8, 12 (Kirch, *Enchir. hist, eccles.* 680 sq.), ex *Cyrillo Hier.*, *Catech.* 23, 4-6 (Kirch, *ibid.*, 531 sqq.) et ex ipso *Cypriano* († 258), *De oratione Dominica*, 31 (M.L. 4, 557).

Praefationes romanae, sua brevitate Orientalibus praecellentes, in *Sacramentario Leoniano* multiplicantur pro varietate et numero festorum (cf. M.L. 55, 21 sqq.), in *Gelasiano* vero reducuntur ad quatuordecim et in *Gregoriano* ad decem, qui numerus, hodie servatus, iterum nunc ad quatuordecim ascendit ob additionem Praefationum Defunctorum, S. Joseph, Christi Regis et SS. Cordis.

15. *CANON.*

Cone. Trid., sess. 22, cap. 4 et can. 6, contra Protestantium calumnias haec generaliter de Canone decernit:

“Et cum Sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium: Ecclesia catholica, ut digne reverenterque offerretur ac perciperetur, sacrum canonem multis ante saeculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quandam redoleat mentesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus” (Denz. 942).

“Si quis dixerit, canonem Missae errores continere ideoque abrogandum esse: A.S.” (Denz. 953).

Canon vocatur totus ritus (praecipue tamen ipsa verba), in quo ipsum sacrificium celebratur, incipiendo a formula “Te igitur” usque ad ultimum Evangelium (cf. Missale Romanum, Ordo Missae), strictius usque ad Communionem, in qua sacrificium aliquo modo consummatur, strictissime usque ad “Pater Noster”, quo absolvuntur preces respicientes consecrationem, in qua essentia sacrificii consistit (cf. Missale Romanum, Ritus servandus in celebratione Missae, viii. ix).

Ad *ipsum nomen* quod attinet, hic ritus in primitiva ecclesia vocatur Eucharistia (cf. supra, p. 7), posterius vero Oratio (Cyprianus), prex (Innocentius I, Vigilius, Gregorius I), canonica prex (Vigilius), actio (etiam in hodierno missali: “Infra actionem”; cf. Walafridum Strabonem, l. c., 12), anaphora (apud Graecos), secreta (a modo quo recitatur), *canon* (“propter regularem sacramentorum confectionem”, ut ait Micrologus, 12, M.L. 151, 984).

Hoc ultimum nomen, nunc communius et ab Ecclesia veluti officialiter in Missali Romano adhibitum (cf. Ordinem Missae et Ritus serv. in cel. Missae), primo apparet tempore *Gregorii I*, vulgatur deinde per Ordines Romanos (cf. M.L. 78, 945. 974. 981).

Christus in ultima coena haec quinque observavit quae ad canonem referuntur: benedictionem, fractionem, gratiarum actionem, verborum consecrantium prolationem, communionem.

Apud *Didache* (9-10) et *Justinum* (65-67; cf. p. 201-203. 537. 741 sq. 1204) eucharistica oratio, quae comitatur consecrationem, apparet magis explicita et amplificata. Inde a saec. 3 inveniuntur determinatae formulae hujus orationis, seu sic dictae *Anaphorae*. Antiquiora et insigniora exempla sunt: anaphora contenta in Traditione Apostolica S. *Hippolyti* († 235) (cf. p. 1182), de cujus tamen

auctore et antiquitate adhuc disputatur; *Anaphora Serapionis* Thmuensis (circa 339-360), quae est antiquissimus canon missae cujus aetas certe cognoscatur (cf. supra, p. 911 sq.); anaphora contenta in *Constitutionibus Apostolorum* (circa 400) (supra cit., p. 128 sq. et 911).

Ex his originem habuerunt varii ecclesiarum canones, quorum praecipui sunt: in *Oriente*, canones duarum liturgiarum S. *Basilii* et S. *Chrysostomi*, in Occidente vero, *canon romanus* qui directe connectitur cum anaphora Hippolyti. Quamvis autem impossibile sit hujus canonis evolutionem usque ad tempus Gregorii I (quo immutabiliter secundum praesentem formam determinatus est) particulariter et certitudinaliter assignare, tamen ex his quae in variis monumentis, praecipue in opere De sacramentis (Pseudo-Ambrosii) et in Libro Pontificali sparsim referuntur, sequentia colligi possunt:

Preces quae consecrationem comitabantur, assumpserunt characterem *secretae orationis* a solo celebrante recitatae. *Epiclesis*, quae juxta anaphoram Hippolyti (cf. p. 1182) probabiliter inveniebatur in canone romano (sicut in anaphoris orientalibus), paulatim suppressa est, vel attenuata, vel ex proprio loco remota (cf. supra, p. 129 et 148). *Petitiones* non amplius simul colliguntur, sed sparsim interpolantur in decursu precis ita ut quaedam praecedant, aliae vero subsequantur consecrationem. Plures *orationes* paulatim additae sunt, signanter Memento seu commemoratio pro defunctis.

Nonnulla *DE SINGULIS CANONIS PARTIBUS* observare juverit:

16. *“TE IGITUR”*.

Est solemnis introductio canonis. Oblata, jam semel benedicta in Offertorio, ter iterum benedicuntur; in ipsis verbis hujus orationis magna habetur similitudo cum orationibus Offertorii.

17. *MEMENTO* seu commemoratio *triplex* habetur in canone: prima est *PRO VIVIS* ac praecedit consecrationem; altera quae dicitur “Communicantes” est *IN MEMORIAM SANCTORUM*, nominatim martyrum, ac iterum praecedit consecrationem sed quodammodo renovatur etiam post consecrationem in oratione “Nobis quoque peccatoribus”; tertia quae subsequitur consecrationem est *PRO DEFUNCTIS*.

Triplex haec commemoratio fuit antiquissima additio primitivo canoni; duplex Memento pro vivis et defunctis additum est saec. 4 (jam *Cyprianus*, t 258, ad Memento vivorum se refert cum ait: “Ad communicationem admittuntur et offertur nomen eorum”, Ep. 9, 2, M.L. 4, 258); commemoratio vero sanctorum accessit circa finem saec. 5, probabiliter opera *Symmachi Papae* (f 514).

De commemoratione defunctorum statuit *Cone. Mabillonense* a. 813, can. 39 (relato in Decreto Gratiani, De consecr., dist. 1, cap. 72): “Visum praeterea nobis est, ut in omnibus missarum solemnibus pro defunctorum spiritibus loco competenti Dominus deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro viventibus et pro quibuslibet necessitatibus Dominus deprecetur: ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces domino in missarum solemnibus fundantur. Antiquitus igitur hunc morem sancta tenet ecclesia, ut et in missarum solemnibus, et in aliis precibus Domino spiritus quiescentium commendet, dicente *Augustino* [De cura pro mortuis gerenda, cap. 4]: ‘Non sunt praetermittendae supplicationes pro spiritibus defunctorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana et catholica societate laudamus. Defunctorum etiam tacitis nominibus eorum, quos sub generali commemoratione suscepit ecclesia, ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicumque cognati vel amici, ab una eis exhibeantur pia matre communi’ ” (M.L. 187, 1730).

Innocentius I († 417) in Epist. (25) ad Decentium Eugubinum prohibuit memento pro vivis fieri ante canonem, inquiens: “De nominibus vero (De consecr. dist. 1, c. ult.) recitandis, antequam precem sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit, et ipse pro tua prudentia recognoscis, ut cujus hostiam necdum Deo offeras, ejus ante nomen insinues, quamvis illi incognitum sit nihil. Prius ergo oblationes sunt commendandae, ac tunc eorum nomina, quorum sunt, edicenda; ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, quae ante praemitimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus” (M.L. 20, 553 sq.).

Contrarium tamen frequentabatur in Oriente et actum est etiam in ecclesia gallicana et hispanica (ut patet ex Ordine Gallicano et Mozarabico), donec constitutio Innocentii I fuerit recepta in *Capitulari Aqziisgranensi* a. 789.

Memento tam vivorum quam mortuorum olim secum ferebat publicationem singulorum nominum, quae inscribebantur in duobus tabulis seu in sic dictis “*Diptycha*”TM Inclusionem vel exclusionem nominis a Diptychis significasse communionem cum Ecclesia vel *excommunicationem* dictum est in art. 55 (p. 1123).

Adhuc saec. 11 nomina in utroque Memento recitabantur (cf. *Micrologum*, 23, M.L. 151, 993 sq.).

Ad quaestionem quare soli martyres nominentur in *Commemoratione*

“Cf. *Chrysostomum*, In Act., hom. 18, n. 5; *Augustinum*, Serm. 172, 2; *F. Cabrol*, art. Diptyques (Liturgie) in *Diet. d’Archologie chrétienne et de Liturgie*.

sanctorum scribit *innocentius III*, De sacr. ait. myst. 10: “Illud autem oportet inquiri, cur in canone nulla sit commemoratio confessorum, cum inter sanctos eorum memoriam magnifice veneretur Ecclesia? Sed ad hoc potest probabiliter responderi. Quod canon prius fuit editus, quam memoriam sanctorum confessorum Ecclesia celebraret. Nam omnes fere sancti, qui commemorantur in canone, praecesserunt Silvestrum, praeter Joannem et Paulum, Marcellinum et Petrum, qui proxime successerunt. Ecclesia vero post tempus beati Silvestri coepit sanctorum confessorum memoriam venerari” (M.L. 217, 849).

18. “*HANC IGITUR*” et “*QUAM OBLATIONEM*”.

Utraque formula est valde antiqua, praecipue tamen secunda quae ascendit ad saec. 4 (invenitur enim in opere De sacramentis Pseudo-Ambrosii).

Altera pars orationis “*Hanc igitur*”, i.e. verba “Diesque nostros in tua pace, etc.”, addita est a *Gregorio I*, testante Joanne diacono supra citato (p. 1183), forte ob barbarorum migrationes aliasque calamitates illius temporis. In Sacramentario *Leoniano* habentur sex variantes orationis “*Hanc igitur*”, in *Gelasiano* triginta quatuor, in moderno *Missali Romano* variatur oratio in festis Paschae et Pentecostes.

Ad “*quam oblationem*” sacerdos tertia vice benedicit oblata quintuplici benedictione et, quod majus est, invocat a Deo prodigium mox secuturae consecrationis (“Ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui”); propterea haec oratio considerari potest ut abbreviata quaedam *epiclesis*, imo a quibusdam dicitur revera fuisse antiqua romana epiclesis (cf. supra, p. 129 et 148).

19. Verba narrativa “*QUI PRIDIE*” et verba consecratoria “*HOC EST CORPUS MEUM, etc.—HIC EST SANGUIS MEUS, etc.*”

Priora non pertinere ad ipsam formam consecrationis (contra Scotum), circa vero posteriora haberi aliquam controversiam inter theologos, dictum est art. 9 et 10 (p. 127 sqq.).

De necessitate perficiendi utramque consecrationem dictum est in art. 32 et 46 (p. 631 sqq.; 928 sqq.).

De ratione concelebrationis dictum est in art. 41 (p. 754 sqq.).

20. *ANAMNESIS*, seu tres formulae “*Unde et memores*”, “*Supra quae propitio*”, “*Supplices te rogamus*”, efformant, una cum subsequent! Memento mortuorum et Commemoratione Sanctorum, complexum quemdam mirifice correspondentem, tum quoad sensum tum etiam quoad ordinem (inverso tamen modo dispositum), tribus formulis recitatis ante consecrationem (*Hanc igitur, Quam oblationem, Qui pridie*) necnon Memento vivorum et Commemorationi Sanctorum.

Prima formula "*Unde et memores*", cuius binae sequentes sunt quaedam appendix, proprie dicitur *Anamnesis* seu formula Memoriae vel recordationis passionis Christi.

Ipsa constituit primum et antiquissimum nucleum cuiuslibet canonis; invenitur in Constitutionibus Apost. (circa 400; cf. supra, p. 128 sq.), in opere De sacramentis (saec. 4), in Anaphora Serapionis (circa 339-360; cf. supra, p. 911) et in anaphora Hippolyti (t 235; cf. supra, p. 1182); probabiliter est originis apostolicae; nec ceterum in ea aliud fit quam solemnior et explicatior obtemperatio commendationi Apostolicae: "Quotiescumque . . . manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat" (1 Cor. 11, 26) necnon praecepto Christi in ultima coena: "Hoc facite in meam commemorationem" (Luc. 22, 19; 1 Cor. 11, 24 sq.).

Formulae "*Supra quae propitio*" et "*Supplices te rogamus*" ascendant saltem ad saec. 4, cum inveniantur in opere De sacramentis Pseudo-Ambrosii, inverso quidem ordine inter se dispositae. Verba "Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam" apposita sunt a *Leone I*, juxta Librum Pontificalem, ut retunderetur calumnia Manichaeorum dicentium usum vini in missae sacrificio esse illicitum.

In Orientalibus liturgiis loco orationis "*Supplices te rogamus*" habetur *Epiclesis* de qua disputatum est in art. 9 (p. 127 sqq.). Hinc quidam eruditi volunt hanc ipsam formulam "*Supplices te rogamus*" esse latinam epiclesim; alii vero dicunt epiclesim esse formulam "*Supra quae propitio*", alii utramque simul, alii formulam "*Quam oblationem*" (ante consecrationem), alii epiclesim fuisse suppressam, alii eam nunquam extitisse (cf. p. 129 et 148).

In art. 9 (p. 127 sqq.) negatum est sive epiclesim sive ullam *Anamnesis* orationem pertinere ad formam consecrationis.

21. *FINIS CANONIS STRICTISSIME ACCEPTI*, i.e. trina benedictio oblatores ("Per quem omnia"), trina professio fidei in Christum Mediatorem ("Per ipsum, et cum ipso, et in ipso"), laus Trinitatis et *minor elevatio hostiae et calicis*.

Benedictio oblatores, quae nunc fit super ipsam materiam sacrificii, est reliquia quaedam seu conclusio longioris benedictionis quae in hoc ipso celebrationis momento fiebat super oblationes fidelium, ex quibus pars pro consecratione deducta jam erat quaeque remanebant super prothesin seu mensam oblationum quousque pauperibus distribuerentur. Juxta Sacramentarium *Leonianum* die Pentecostes benedicebantur lac, mei et aqua; juxta *Gelasianum* in die Ascensionis fiebat benedictio super novas fruges (cf. M.L. 74, 1124); juxta *Gregorianum*

uvae benedicebantur quarto nonas augusti (cf. M.L. 78, 129); *in hodierno ritu pontificali* hoc ipso celebrationis momento benedicitur Oleum Infirmorum in Feria V in Coena Domini.

Minor elevatio hostiae et calicis est conclusio canonis. Antiquitus haec erat unica et quidem alta elevatio corporis et sanguinis Christi, quae ostendebantur populo in hoc momento quasi ad finem sacrificii. Orientales hanc elevationem faciunt paulo ante communionem. *Micrologus*, hanc elevationem commemorans (cap. 23), prorsus tacit de elevatione post consecrationem, quippe quae fuerit multo serius in medio aevo introducta (ad finem saec. 11). Haec paulatim tantum obtinuit momentum ut altera ad rationem minoris cuiusdam elevationis deciderit.

22. *PATER NOSTER* seu *Oratio Dominica*.

Haec oratio est veluti secunda praefatio qua solemniter introducitur *altera pars Canonis de complemento sacrificii quod in ipsa communionem consistit*. In verbis enim "Panem nostrum quotidianum da nobis hodie" petitur praecipue panis ille supersubstantialis, quem ipse Christus solemniter Judaeis promiserat, inquiens: "Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita" (Joan. 6, 52) ac in coena propriis manibus Apostolis distribuit, dicens: "Accipite et comedite: Hoc est corpus meum" (Matth. 26, 26).

Gregorius I (supra cit., p. 143 sq.) non cunctatur affirmare primum proprie dictum canonem ipsorum Apostolorum sola oratione dominica constituisse. Quidquid sit, merito haec oratio computatur inter antiquiores partes canonis, etiam romani, cum inveniatur in omnibus liturgiis tam orientalibus quam occidentalibus. Non constat tamen quo tempore introducta sit.

Deest in canone Hippolyti et in Constit. Apost. eiusque prima mentio habetur in Oriente apud *Cyrillum Hier.* (Catech. 23, 11, Kirch, Enchir. hist, eccles. 538) et in Occidente apud *Pseudo-Ambrosium*, qui in opere De sacramentis, 5, 4, 24, ait: "[Post consecrationem] jam non panis dicitur sed corpus appellatur. Quare ergo in oratione Dominica quae postea sequitur, ait: 'Panem nostrum' . . . , hoc est supersubstantialem" (M.L. 16, 471); ei distincte concinit *Augustinus* in Serm. 58, 10. 12, inquiens: "In ecclesia . . . ad altare Dei quotidie dicitur ista Dominica oratio, et audiunt illam fideles" (M.L. 38, 399).

Verba quidem *Gregorii I* (loco nuper memorato) videntur prima fronte innuere hunc papam introduxisse recitationem orationis dominicae in missam romanam; cum tamen ex dictis id omnino inverisimile videatur, potius dicendum est Gregorium suo tempore hanc orationem

canoni restituisset vel forte tantummodo abusum quorundam, eam omittentium, provide coercuisse.

Quod etiam confirmatur ex simili dispositione lata in Hispania a *Cone. Toletano* statuente: "Nonnulli sacerdotum in Hispaniis reperiuntur, qui Dominicam orationem quam Salvator docuit, et praecepit non quotidie, sed tantum die Dominica dicunt. Et quia sine intermissione ut oremus, Christus praecepit dicens, cum autem oratis, dicite: 'Pater noster qui es in coelis (Matth. vi, 9).' Quomodo ergo quotidie non dicitur, quod sine intermissione dici jubetur? Nam in tantum quotidie haec oratio dicenda est, ut etiam ipso titulo utatur. Nam vocatur oratio quotidiana, sic eam sancti Patres nuncupaverunt. . . Quid enim tam vult Deus quam ut quotidie Christus habitet in nobis, qui est panis vitae et panis e caelo, et quia quotidiana oratio est, quotidie quoque ut detur oratur? . . . Quisquis ergo sacerdotum vel subiacentium clericorum hanc orationem Dominicam quotidie, aut in publico, aut in privato officio praeterierit propter superbiam, iudicatus ordinis sui honore privetur" (cap. 9, M.L. 130, 467 sq.).

23. "LIBERA".

Haec oratio est quaedam appendix vel continuatio ipsius Orationis Dominicae satis antiquae originis. *Gregorius I* in eam introduxit verba "Da propitius pacem in diebus nostris" et nomen S. Andreae, quem peculiari devotione prosequabatur.

24. *FRACTIO ET COMMIXTIO SPECIERUM.*

Juxta *Ordines Romanos* (I, II et III, M.L. 78, 945. 975. 981 sq.) antiquitus in missa pontificali *tres fiebant fractiones et duae mixtiones*. Primo enim pontifex miscebat vino particulam panis relictam ex priori sacrificio; secundo separabat unam particulam ex novo sacrificio ut servaretur pro subsequente litatione; tertio frangebatur (per ministros) panem distribuendum fidelibus: ultimo ex particula, in qua ipse communicabat, separabat partem et vino miscebat.⁸⁷ Cessante usu reservandi particulam in novum sacrificium et antiquo modo distribuendi communionem, remansit sola fractio et commixtio ultimo descripta.

Fractio et mixtio non semel *discussionibus theologorum* ansam dederunt, ut patet ex dictis superius (p. 369 et 430 sq.; 933 sq. et 950-953; 983 et 986 sq.).

Apud Orientales, etiam catholicos, observatur curiosus ritus *miscendi vino consecrato aquam calidam ante communionem*.

Ad rem *Jugie*: "Usus infundendi parum aquae calidae in calicem ante communionem in ritu byzantino perantiquum est, jamque tem-

⁸⁷Cf. *Mabilloit*, In *Ordinem Romanum* commentarius praevius, in M.L. 78, 879-881.

pore Mauritii imperatoris (582-602) vigebat; cuius mystica significatio non una et eadem a diversis auctoribus affertur. Ex sacrae liturgiae contextu, illa probabilior ac praeponenda videtur, quam *Nicolaus Cabasilas* tradit in cap. 37 'Expositionis Liturgiae': Το ζῆλον significat Sancti Spiritus descensum et adventum in Ecclesiam, qui Pentecostes die, peracto dominicae incarnationis mysterio, factus est: 'Haec enim aqua, cum et aqua sit, et ignis sit particeps, significat Spiritum Sanctum, qui et aqua dicitur et tanquam ignis apparuit, in Christi discipulis dilapsus. . . Per mysteria autem significatur Ecclesia, quae et tunc accepit Spiritum Sanctum, et postquam Christus in caelos assumptus est, etiam nunc accipit donum Spiritus' [M.G. 150, 452]. Unde sacerdos το ζῆλον benedicens, dicit: 'Benedictus sanctorum fervor . . . et diaconus aquam illam infundens, addit: 'Fervor fidei plenus Spiritu Sancto. . . Duplicem aliam hujus ritus mysticam rationem proferunt *Theodorus Balsamon*TM et *Simeon Thessalonicensis*TM. Το ζῆλον est symbolum tum illius aquae calidae, quae ex Christi mortui latere effluxit, tum ipsius divinitatis, quae a corpore Christi etiam exanimi nunquam separata est, sed ei semper hypostatice unita remansit. . .

"Medio Aevo, *Latini* ritum τοῦ ζέοντο haud semel reprehenderunt, auctoritate *sancti Thomae*, ut videtur, innixi, qui dicit (Sum. Theolog., Illa p., q. Ixxxiii, art. 6 ad quartum; cf. ejusdem p., q. Ixxvii, art. 8 ad quartum): 'Nullo modo debet aqua vino jam consecrato misceri, quia sequeretur corruptio sacramenti pro aliqua parte.' Unde etiam in concilio Florentino, post subsignatum unionis decretum, Graeci de hujusmodi ritu a Latinis interrogati sunt probatamque responsionem dederunt; neque deinceps Ecclesia romana hunc usum unquam damnavit; quem, ipsa approbante, Catholici ritus byzantini communiter observant, saltem quotiescumque hoc commode fieri potest."⁷⁰

Alius ritus, ab Orientalibus observatus, est mixtio τῶν μεριδιῶν vino consecrato.

Ad rem *Jugie*: "In celebrando missae sacrificio, Byzantini hoc peculiare servant quod non unam tantum hostiam principalem, quam Agnum (τὸν Ἄμνον) vocant, sed etiam alias hostias minores seu particulas, μερίδα graece nuncupatas, offerunt; quas jam in praeparatione materiae sacrificii quae in altari τῆ προβεσσο fit, circa *Agnum* in disco seu patena certo ordine disponunt. Secundum usum communiter receptum, quinque panes integri, qui *προσφορά!* (= oblationes) appellantur, ad altare τῆ προθήσσο afferuntur. In prima *prosphora*, celebrans τὸν Ἄμνον (Agnum), qui Christum ipsum repraesentat, incidit; ex secunda

⁷⁰ Responsum 18 ad interrogationes Marci Alexandrini, M.G. 138, 969-972.

⁷¹ De divino templo, 94, M.G. 138, 741-744; Rosp. 58 ad Gabrielem, M.G. 138, 912.

⁷² Theologia Orientalium, t. 3, Parisiis, 1930, p. 223-225.

prospora, excidit particulam (μερίδα) in honorem et memoriam beatissimae Mariae Virginis; ex tertia excidit novem μερίδαν in honorem angelorum et sanctorum omnium, ex quibus aliqui nominatim designantur; ex quarta excidit μερίδαν pro vivis, quorum nomina recitantur; ex quinta demum μερίδαν pro defunctis, qui pariter nominatim commemorantur, relicta caeteroquin facultate celebranti offerendi specialiter sacrificium pro illo, aut illis, quos ipse maluerit. Similiter et reliqui sacerdotes celebranti adsistentes, et diaconi ipsi, si velint, tollunt particulas pro iis quoque nominatim qui sibi commendati sunt. Usque ad saeculum xviii, hujusmodi particulae, ante communionem fidelium, in calicem una cum aliis particulis ex magna hostia seu *Agno* decisis ubique immittebantur. Recentiori vero tempore, in plerisque Ecclesiis dissidentibus, propter rationem mox afferendam usus invaluit eas nonnisi post communionem fidelium pretioso sanguini Christi uniendi. Hujus ritus mysticus sensus facile detegitur: Particulae siquidem totum corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia in tres partes nunc divisa (triumphans, patiens ac militans), repraesentant suo capiti Christo in oblatione sacrificii conjunctum et sacrificii fructus diverse percipiens.

“Jam vero, ut hujus modi sensus mysticus distinctius servaretur, communior semper fuit inter theologos dissidentes quum antiquos tum recentiores haec sententia: τὰν μερίδαν scilicet in corpus Christi non converti, sed tantum aliquam sanctificationem (τον αγιασμόν) ex sua tum cum corpore tum cum sanguine Christi conjunctione participare; eodem fere pacto, quo sancti per gratiam non quidem in ipsam divinitatem transmutantur, sed participative (κατὰ μετοχήν) tantum dii efficiuntur.”⁷¹

25. “*PAX TECUM*” seu *osculum pacis*.

Mixtioni specierum, quae est symbolum unionis Ecclesiae in Christo, sequitur signum unionis inter christifideles in osculo pacis.

Apostolica commendatio “Salutate invicem in osculo sancto” (Rom. 16, 16; cf. 1 Cor. 16, 10; 2 Cor. 13, 12; 1 Thess. 5, 26; 1 Petr. 5, 14) practicam applicationem connaturaliter habuit in ritu eucharistico qui est maximum symbolum Christianae societatis.

Juxta *Justinum*, Apol. 1, 65, in primitivo ritu osculum dabatur ante sacrificium, immediate post missam catechumenorum; ait enim: “Invicem osculo salutamus, ubi desiimus precari. Deinde ei, qui fratribus praeest, panis affertur, et poculum aquae et vini; quibus ille acceptis laudem et gloriam universorum Parenti per nomen Filii et Spiritus Sancti emittit, et eucharistiam (sive gratiarum actionem) pro his ab

ⁿ Theologia Orientalium, t. 3, Parisiis, 1930, p. 219-221.

illo acceptis donis prolixè exsequitur” (Kirch, Enchir. hist, eccles. 54). Idem mos refertur a *Cyrillo Hier.* (Catech. 23, 3, infra cit., p. 1217) et adhuc hodie servatur *in ecclesia orientali*.

In ecclesia vero occidentali osculum pacis ante acceptionem communionis tradi consuevit inde saltem ab initio saec. 5, jubente *Innocentio I* († 417): “Pacem igitur asseris ante confecta mysteria quosdam populis imperare (De consec. dist. 2, c. 9), vel sibi inter se sacerdotes tradere, cum post omnia, quae aperire non debeo, pax sit necessario indicenda, per quam constet populum ad omnia, quae in mysteriis aguntur atque in ecclesia celebrantur, praebuisse consensum, ac finita esse pacis concludentis signaculo demonstrantur” (Epist. 25, ad Decentium, 1, 4, M.L. 20, 553).

Hanc consuetudinem testatur *Augustinus* († 430) in Serm. 227 (ad Infantes), inquit: “Ecce ubi est peracta sanctificatio dicimus orationem dominicam, quam accepistis et reddidistis. Post ipsam dicitur, Pax vobiscum: et osculantur se Christiani in osculo sancto. Pacis signum est: sicut ostendunt labia, fiat in conscientia. Id est, quomodo labia tua ad labia fratris tui accedunt, sic cor tuum a corde ejus non recedat” (M.L. 38, 1101).

Antiquitus tamen osculum pacis praecedebat fractionem et mixtionem (quae fiebant dum cantabatur Agnus Dei) ac dabatur post pronuntiata ante mixtionem verba “Pax Domini sit semper vobiscum” (cf. *Ordines Romanos* I, II, III, M.L. 78, 945. 975. 981 sq.).

Tertullianus († 222), De Oratione, 18, testatur in Africa in Parasceve et Sabbato Sancto, quibus diebus jejuniū publicum indicabatur, omisum fuisse osculum pacis: “Sic et die Paschae, quo communis et quasi publica jejunii religio est, merito deponimus osculum” (M.L. 1, 1284; cf. ibidem adnotationes ad hunc textum).

Antiquitus mos fuit ut episcopus *benedictionem populo* impertiret immediate ante communionem.⁷²

26. COMMUNIO.

Christus sacrificium consecratione perfecit et communionem complevit, durante celebratione paschalis coenae Judaeorum (cf. art. 2 et 3, p. 62 sqq.).

Ad huius coenae imitationem probabile est *primos Christianos* in celebratione communis coenae agaparum sacrificium obtulisse et corpori Christi communicasse. Certum est id fecisse Christianos Corinthios, quorum coena refertur ab Apostolo in 1 Cor. 11, 17 sqq.

ⁿ Cf. *Ilugoncm Mcnardum*, Notae et observationes in Sacramentarium Gregorianum, MX. 78, 286-289.

Circa finem aetatis apostolicae, seu saeculi primi, invenimus in *Didache* (9, 5; 10, 1-6) primam descriptionem ritus communionis in duplici specie, orationibus gratiarum actionis circumdati:

“Nemo autem edat neque bibat a vestra eucharistia, nisi qui baptizati sunt in nomine Domini; de hoc etenim dixit Dominus: ‘Ne date sanctum canibus’. Postquam autem impleti estis, sic gratias agite: Gratias tibi agimus, Pater sancte, pro sancto nomine tuo, quod fecisti ut habitet in cordibus nostris, et pro scientia et fide et immortalitate, quam indicasti nobis per lesu[m] puerum tuum; gloria tibi in saecula. Tu, Domine omnipotens, *creasti omnia* propter nomen tuum, et cibum potumque dedisti hominibus ad fruendum, ut tibi gratias agant, nobis autem largitus es spiritualem cibum et potum et vitam aeternam per puerum tuum. Ante omnia gratias tibi agimus, quod potens es; gloria tibi in saecula. Recordare, Domine, ecclesiae tuae, ut eam liberares ab omni malo eamque perficias in caritate tua, *et collige eam a quattuor ventis* sanctificatam in regnum tuum quod ei parasti, quoniam tua est virtus et gloria in saecula. Adveniat gratia et praetereat mundus hic. *Hosanna Deo David*. Si quis sanctus est, accedat; si quis non est, paenitentiam agat. *Maranatha*. Amen” (Funk, 6 sq.).

Saec. 2 *Justinus*, Apol. 1, 65, sic ritum communionis breviter describit: “Postquam preces et eucharistiam absolvit, populus omnis acclamat, ‘Arnen’. Arnen autem Hebraea lingua idem valet ac ‘Fiat’. Postquam vero is, qui praeest, preces absolvit, et populus omnis acclamavit, qui apud nos dicuntur diaconi panem et vinum et aquam, in quibus gratiae actae sunt, unicuique praesentium participanda distribuunt, et ad absentes perferunt” (M.G. 6, 428).

Saec. 3 *Hippolytus* in sua anaphora distinctius describit orationes ante et post communionem, accessum populi ad communicandum, cantum hymni laudatorii durante communionem, porrectionem calicis per sacerdotes vel diaconos assistentes, formulam celebrantis in tradenda communionem.

Saec. 4 mediante *Cyrillus Hier.*, Catech. 23, 19-22, scribit: “His peractis dicit sacerdos: ‘Sancta sanctis.’ Sancta sunt, quae in altari proposita iacent, recepto Spiritus Sancti superventu. Sancti vos quoque, Spiritus Sancti dono dignati. Sancta igitur sanctis conveniunt. Deinde vos subicitis: ‘Unus sanctus, unus Dominus Iesus Christus.’ . . . Auditis deinde vocem *psallentis* divina quadam melodia vos ad sanctorum mysteriorum communionem invitantis ac dicentis: ‘Gustate et videte, quod bonus est Dominus’. Ne corporeis faucibus huius rei iudicium aestimationemque permittite; non, inquam, sed fidei omnis dubitatio-

nis experti. Qui enim gustant, non panem et vinum degustare iubentur, sed antitypum [seu signum et sacramentum] corporis et sanguinis Christi. Adiens igitur ne expansis manuum carpis neque disiunctis digitis accede, sed *sinistram velut thronum subiciens dexteræ, utpote Regem suscepturæ, et concava manu suscipe corpus Christi respondens: 'Anien.'*

“Postquam autem caute oculos tuos sancti corporis contactu sanctificaveris, illud percipe, advigilans, ne quid ex eo tibi depereat. Quod enim interciderere patieris, id tibi tamquam ex propriis membris deminutum puta. Dic enim, quaeso: si quis tibi auri ramenta dedisset, nonne summa cautione ac diligentia teneres, providus, ne quid horum tibi periret ac damnum paterere? Nonne multo cautius ac vigilantius curabis, ne ex eo tibi vel mica intercيدات, quod est auro ac gemmis longe pretiosius?

“Tum vero post communionem corporis Christi accede et ad *sanguinis poculum*; non extendens manus, sed pronus et adorationis ac venerationis in modum, dicens ‘Arnen,’ sanctificeris, ex sanguine Christi quoque sumens. Et cum adhuc labiis tuis adhaeret ex eo mador, manibus attingens et oculos et frontem reliquos sensus sanctifica. Postremo, *expectans orationem, gratias age Deo*, qui te tantis mysteriis impertire dignatus est” (Kirch, Enchir. hist, eccles. 539-542).

Circa finem eiusdem saeculi *Constitutiones Apostolorum*, 8, 13-15, ritum orientalem sic describunt:

“Ac episcopus ita ad populum proloquatur: Sancta sanctis. Populusque respondeat: Unus sanctus, unus Dominus, Iesus Christus, in gloriam Dei Patris ‘benedictus es in saecula, amen. Gloria in altissimis Deo, et in terra pax, in hominibus bona voluntas. Hosanna Filio David; benedictus, qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, et apparuit in nobis; hosanna in altissimis’.

“Post hoc sumat et *communicet episcopus, deinde presbyteri, diaconi, subdiaconi, lectores, cantores et ascctac*, et in feminis diaconissae, virgines et viduae; postea pueri, tuncque *omnis populus* ordine cum pudore et reverentia absque strepitu. Et episcopus quidem tribuat oblatam dicens: *Corpus Christi*; et qui recipit, respondeat: *Arnen. Diaconus vero teneat calicem* et tradendo dicat: *Sanguis Christi*, calix vitae, et qui bibit respondeat: *Amen*.

“*Psalmus* autem tricesimus tertius dicatur, dum reliqui omnes communicant.

“Cumque universi et universae communicaverint, accipientes diaconi, quae supersunt, *inferant in pastophoria*.

“Et diaconus, quando qui psallit fecerit finem, pronuntiet: Percepto

pretioso corpore et pretioso sanguine Christi agamus gratias ei [prosequitur oratio diaconi]. . .

“Atque episcopus *gratiarum actionem* proferat: Domine Deus omnipotens, Pater Christi tui [prosequitur longa oratio episcopi]. . .

“Et diaconus dicat: Deo per Christum eius inclinate et accipite *benedictionem*. Tum episcopus precetur dicens: Deus omnipotens [prosequitur alia episcopi oratio]. . . Et diaconus dicat: *Ite in pace*” (Kirch, Enchir. hist, eccles. 688-691).

Ex his et aliis quae sparsim inveniuntur in operibus Patrum, apparent *generales lineae antiqui ritus*, qui tam in Oriente quam in Occidente frequentabatur, scilicet:

Omnes praesentes communicabant, exceptis poenitentibus (seu non sanctis). Episcopus celebrans communionem distribuebat, adiuvante sacerdote vel diacono praesertim quoad calicis porrectionem. Particula panis a communicante in manu suscipiebatur. Psalmus vel canticus laudis solvebatur durante ipsa distributione. Formula quaedam a distribuyente pronuntiabatur, solemniter annuntians praesentiam corporis Christi (“Corpus Christi”), cui communicans respondebat: Arnen; formulae autem hodiernae sunt multo recentioris aetatis, nam verba “Corpus D.N.J.C. custodiat . . .” introducta sunt saec. 11, Confiteor vero, Absolutio, Ecce Agnus Dei, Domine non sum dignus, descendunt ex saec. 14.

RITUS COMMUNIONIS QUI OBSERVABATUR IN ECCLESIA ROMANA ANTE SAEC. 9 quique latius describitur in libellis seu *Ordinibus Romanis* (M.L. 78, 937 sqq.) sic perstringi potest cum *Mabillonio in suo Commentario praevio in Ordinem Romanam* (M.L. 78, 880-883):

“In primo . . . Ordine Romano legitur nomenclatorem (cujus officium erat pransuros ad convivium invitare, eorumque nomina describere), saccellarium (qui saccello seu thesauro fisci praefectus erat) et notarium vicedomini seu oeconomi, postquam inter sese *Agnus Dei* dixissent, ascendisse ad altare *ante jacent pontificis, ut annueret eis scribere nomina eorum qui invitandi erant, sive ad mensam pontificis per nomenclatorem, sive ad vicedomini per notarium ipsius; quorum nomina postquam descripserant, descendebant ad invitandum eos, ac deinde redibant ad sedem* ubi pontifex consistebat.

“*Accedebant deinde subdiaconi sequentes cum acolythis, qui sacculos portabant, a dextris et a sinistris altaris; et acolythi quidem extendebant brachia cum sacculis, quorum sinus subdiaconi, stantes a fronte, explicabant ad recipiendas oblationes ab archidiacono, qui eas in sacculos demittebat. Evacuato oblationibus altari, archidiaconus,*

scholae cantorum innuebat ut canerent *Agnus Dei*, quod in confractione corporis Domini a clero et populo decantari Sergius papa I constituisse fertur. . . Acolythy, oblationibus in sacculos acceptis, in duas partes divisi, pars ad episcopos qui ad dextram pontificis erant, pars ad presbyteros qui ad sinistram accedebant, praecedentibus hinc inde duobus subdiaconis regionariis, qui suam uterque patenam portabat, ut ad nutum pontificis oblationum confractio super illas patenas fieret, tum per episcopos, tum per presbyteros atque diaconos. Patenae propterea amplissimae erant. . .

“Expleta confractione, canebatur antiphona ad communionem cum suo psalmo; tumque diaconus minor a subdiacono accipiebat patenam, in qua repositae erant, duae particulae post confractionem Hostiae factam a pontifice, eamque deferebat *ad sedem pontificis, 2d communicaret corpore dominico*, et quidem stans conversus ad Orientem, quod habemus ex quinto libello nostro. . . Deinde in primo pontifex *confirmatur ab archidiacono*, accipiendo scilicet sanguinem *pro complemento communionis*. . .

“Absoluta communionem pontificis archidiaconus futuram *stationem annuntiabat*. . . Post communionem pontificis fiebat etiam jejunii quatuor temporum denuntiatio, cuius rei formulas refert eminentissimus cardinalis Bona.

“Confirmato pontifice, archidiaconus *rejiindebat parum de calice* seu de sanguine consecrato *in scyphum*, quem tenebat acolythus. Hic est scyphus seu calix ministerialis, in quem vinum oblatum ex majori calice refusum fuisse superius notavimus; ac proinde sanguis refusus in illum scyphum cum vino jam in eum refuso commiscebatur ad populum confirmandum, ut mox dicemus. In aliis locis et Ecclesiis non infundebatur vinum cum sanguine consecrato, nisi ubi advertabant ministro non suffecturum sanguinem purum communicaturis. . .

“Mox accedebant episcopi et presbyteri, ut a pontifice communionem acciperent, episcopi quidem stantes ad sedem pontificis, presbyteri vero ad altare genibus flexis. . . Utrosque archidiaconus sanguine dominico: episcopus vero sequentes Ordines stans in cornu altaris confirmabat. Presbyteri et diaconi manu, subdiaconi ore Eucharistiam accipiebant, ex libello sexto. At in quinto subdiaconus calicem praebet primo presbytero communicanti, *qui et tribuat S2ibsequenti*, et sic de aliis successive.

“Post haec archidiaconus, recepto de manu episcopi calice, reliquum sanguinis refundebat in scyphum acolythi, supra cuius meminimus, aut certe in calicem majorem, in quo pariter vinum ex oblatione contentum esset. Haec secunda refusio in duobus primis libellis diserte exprimitur, sed unica in tertio. . . Sic evacuatus calix sacer tradebatur

primum subdiacono, qui mox calamum archidiacono tribuebat ad confirmandum populum; tum acolytho, qui eundem calicem *inparatorium*, seu in thecam suam recondebat.

“Post hanc secundam refusionem pontifex e sede descendebat in senatorium, ubi magnates Eucharistia reficiebat; et in adversam partem, ubi matronae consistebant, eisdem communionem praebiturus, subséquente archidiacono cum scypho praedicto ad utrosque confirmandos. Primis temporibus Eucharistia etiam laicis tribuebatur in manus, qua de re testis est in primis Augustinus, tum in lib. ii contra epistolam Parmeniani cap. 7, tum in lib. item xi adversus litteras Petiliani cap. 23. Verum apud Romanos jam ante Gregorii Magni pontificatum in os immittebatur a sacerdote, ut probat lib. iii Dialogorum, cap. 3, ubi Agapitus papa cuidam muto et claudo *corpus dominicum in os misisse* perhibetur.

“Interim episcopi et presbyteri, annuente primicerio, populum hinc et inde sacrae communionis participem faciebant, diaconis ex scypho confirmantibus. . .

“His omnibus demum succedebat Psalmi, qui praemissa Antiphona ad communionem canebatur, clausula per Versus *Gloria Patri* et *Sicut erat*, annuente subdiacono regionario per signum crucis impressum fronti suae. . .

“Hactenus communionis generalis ordinem ac seriem, qualis ante saeculum nonum in Ecclesia Romana servabatur, exhibuimus; in quo quidem ritu si qua remanent obscura, id temporum longinquitati et rituum desuetudini tribuendum est.”

In decursu tractatus dictum est de praxi Ecclesiae tum quoad administrationem *communionis parvulis* (p. 487 sqq.), tum quoad *obligationem communicandi* (p. 533 sqq.), tum quoad *communionem sub utraque specie* (p. 537 sqq.).

27. *ASSERVATIO EUCHARISTIAE* ad varios usus tum cultus, tum utilitatis fidelium, est antiquissimus mos, ut constat ex dictis in art. 28 (p. 581 sqq.), ubi dictum est etiam de variis finibus et modis talis asservationis.

Hanc primus explicite memorat *Justinus*, Apol. 1, 67 (cit. in p. 742), dicens Eucharistiam post assistentium communionem “absentibus per diaconos mitti”; quae specierum missio, per diaconos facta, non est confundenda cum missione “fermenti” ad alias ecclesias, de qua dictum est supra (p. 461).

28. *ABLUTIO CALICIS*, purificatio patenae ac corporalis et con-

comitantes orationes “Quod ore sumpsimus”, “Corpus tuum”, prout efficiunt unum ritum, ascendunt ad medium aevum.

Ceterum *ablutio* et purificatio est antiquissimus ritus, necessario et ex natura rei connexus cum usu vasorum sacrorum et reverentia sacramenti (cf. Tertullianum, Origenem et Cyrillum Hier., cit. in p. 587). Oratio “*Quod ore sumpsimus*” est valde antiqua, cum jam inveniatur in Sacramentario *Leoniano*, non quidem ut oratio ipsius ritus purificationis sed ut Postcommunio (ita et nunc adhibetur quoad sensum in Missa Feriae V in Coena Domini); saec. 10-11 adhibebatur ut fixa quaedam Postcommunio cui addebatur alia variabilis oratio (cf. *Ordinem Romanum* IV, M.L. 78, 984). Oratio “*Corpus tuum*” primo apparet saec. 11.

29. COMMUNIO — POSTCOMMUNIO — ITE MISSA EST — BENEDICTIO — ULTIMUM EVANGELIUM.

Communio, consistens ex brevi textu Scripturae, est quaedam reliquia longioris hymni qui canebatur non a sacerdote sed a populo vel choro.

Postcommunio (seu, ut dicebatur, Oratio ad Complendum vel Complenda; cf. Walafridum Strabonem, De rebus eccl. 22), est ultima oratio sacrificii, atque, una cum Collecta et Secreta, constituit antiquissimum nucleum orationum missae, qui jam invenitur in Sacramentario *Leoniano*. In ritu orientali haec oratio est invariabilis, secus ac in romano.

Ite Missa est significat dimissionem populi quae inde ab antiquo fiebat a diacono. In *Constit. Apost.* (supra cit., p. 1206) habetur: “Et diaconus dicat: *Ite in pace.*” *Innocentius III* († 1216) formulam latinam prodet: “Diaconus ait: *Ite Missa est*” (De sacr. ait. myst. 6, 12, M.L. 217, 913); de qua jam abbas *Rupertus* († 1135) scribebat: “Nostrae salutis missio celebrata est, et diaconus dalmatica indutus . . . dicit: ‘*Ite missa est.*’ Haec . . . populi sollemnis dimissio est” (De divinis off., 1. 2, c. 2, M.L. 170, 46; cf. *Micrologum*, 21, M.L. 151, 790 et 1011).

Benedictio ad populum et oratio *Placeat* introductae sunt saec. 11 (cf. *Micrologum*, 21, M.L. 151, 790).

Ultimum Evangelium est novissima additio facta paulatim inde a saec. 13. Usque ad tempus *Pii V* recitabatur potius dum fiebat regressus ad sacristiam, sicut etiam disponitur nunc in missa pontificali (Caerem. Episc. 2, 23, 9). Prologus S. Joannis in medio aevo considerabatur ut quoddam sacramentale; hinc saepe celebrans, discedens ab altari, illum recitabat, ad fidelium petitionem, eo fine ut a

variis morbis protegerentur; sic paulatim transivit in ipsum ritum missae.

II. *CONVENIENTIA TOTIUS RITUS MISSAE*, quem hucusque potius disciplinaliter et historice consideravimus, multipliciter et ingeniose exponitur a modernis *Liturgistis* et a pluribus theologis mediæ ævi, præcipue ab *Innocentio III* (De sacro altaris mysterio, l. 2-6, M.L. 217, 801 sqq.), quorum doctrinae medulla sequenti modo perstringi potest cum S. *Thoma* hic in a. 4 et 5:

MODO GENERALI convenientia tum verborum tum actionum huius ritus, patet ex eorum significatione, quæ ad duo refertur, i.e. ad *mysterium ipsum* et ad *nostram reverentiam* erga illud; hæc enim duo aptissime significantur ac veluti ad oculos exprimuntur per ea quæ in missa dicuntur vel aguntur.

Ad rem S. *Thomas*, a. 5: “Sicut supra dictum est (quaest. lx, art. 5 et 6), in sacramentis dupliciter aliquid significatur, scilicet verbis et factis, ad hoc quod sit perfectior significatio. Significantur autem verbis in celebratione hujus sacramenti quaedam pertinentia ad passionem Christi, quæ repræsentatur in hoc sacramento, vel etiam ad corpus mysticum, quod significatur in hoc sacramento; et quaedam pertinentia ad usum hujus sacramenti, qui debet esse cum devotione et reverentia. Et ideo in celebratione hujus mysterii quaedam aguntur ad repræsentandam passionem Christi, vel etiam dispositionem corporis mystici, et quaedam aguntur pertinentia ad devotionem et reverentiam hujus sacramenta.” Idem principium appellat *Cone. Trid.* (cap. 4 et 5) contra *Protestantes*.

CONVENIENTIA VERBORUM MISSAE sic apte proponitur a S. *Thoma*, a. 4:

“Quia scriptum est Eccle. iv, vers. 17: ‘Custodi pedem tuum ingrediens domum Domini’; et Eccli. xviii, 23: ‘Ante orationem præpara animam tuam’, ideo ante celebrationem hujus mysterii *primo* quidem *PRAEMITTITUR PRAEPARATIO QUAEDAM* ad digne agenda ea quæ sequuntur.

“Cujus præparationis *prima pars* est laus divina, quæ fit in *introitu*, secundum illud Psalmi xlix, 23: ‘Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei’; et sumitur hoc ut pluries de psalmis, vel saltem cum psalmo cantatur, quia, ut Dionysius dicit [De eccl. hier. 3], ‘Psalmi comprehendunt per modum laudis quidquid in sacra Scriptura continetur.’

“*Secunda pars* continet commemorationem præsentis miseriae, dum

misericordia petitur, dicendo *Kyrie eleison*, ter quidem pro persona Patris, ter autem pro persona Filii, cum dicitur: *Christe eleison*, et ter pro persona Spiritus sancti, cum subditur: *Kyrie eleison*, contra triplicem miseriam ignorantiae, culpae et poenae; vel ad significandum quod omnes personae sunt in se invicem.

“*Tertia autem pars* commemorat caelestem gloriam ad quam tendimus post praesentem vitam et miseriam, dicendo: *Gloria in excelsis Deo*; quod cantatur in festis, in quibus commemoratur caelestis gloria; intermittitur autem in officiis luctuosis, quae ad commemorationem miseriae pertinent.

“*Quarta autem pars* continet *orationem* quam sacerdos pro populo facit, ut digni habeantur tantis mysteriis.

“*Secundo autem PRAEMITTITUR INSTRUCTIO FIDELIS POPULI*, quia hoc sacramentum est mysterium fidei. . .

“Quae quidem instructio *dispositive* quidem fit per *doctrinam prophetarum et apostolorum*, quae in Ecclesia legitur per lectores et subdiaconos; post quam lectionem cantatur a choro *Graduate*, quod significat profectum vitae, et *Alleluja*, quod significat spiritualem exultationem, vel *Tractus* in officiis luctuosis, qui significat spiritualem gemitum; haec enim consequi debent populo ex praedicta doctrina.

“*Perfekte* autem populus instruitur per doctrinam Christi in *Evangelio* contentam, quae a summis ministris legitur, scilicet a diaconis; et quia Christo credimus tanquam divinae veritati, . . . lecto Evangelio. *Symbolum* fidei cantatur, in quo populus ostendit se per fidem Christi doctrinae assentire. Cantatur autem hoc Symbolum in festis de quibus fit aliqua mentio in Symbolo, sicut in festis Christi, et B. Virginis, et apostolorum qui hanc fidem fundaverunt, et aliis hujusmodi.

“Sic igitur populo praeparato et instructo, *consequenter acceditur ad CELEBRATIONEM MYSTERII*, quod quidem et *offertur* ut sacrificium, et *consecratur* et *sumitur* ut sacramentum. Unde *primo* peragitur oblatio; *secundo* consecratio materiae oblatae; *tertio* ejusdem perceptio.

“*Circa oblationem* vero duo aguntur: scilicet laus populi in cantu *Offertorii*, per quod significatur laetitia offerentium, et *oratio* sacerdotis, qui petit ut oblatio populi sit Deo accepta. Unde et dixit David [1 Paralip. 29, 17]: ‘Ego in simplicitate cordis mei laetus obtuli universa haec, et populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria’; et postea orat dicens: ‘Domine Deus . . . , custodi hanc voluntatem. . .’

“*Deinde circa consecrationem*, quae supernatural! virtute agitur.

primo excitatur populus ad devotionem in *Praejatione*, unde et mone-
tur *sursum corda habere ad Dominum*, et ideo, finita Praefatione,
populus devote laudat divinitatem Christi, cum angelis dicens: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, et humanitatem cum pueris dicens: *Benedictus qui venit*, etc. *Deinde* sacerdos secreto *commemorat*, primo quidem pro quibus hoc sacrificium offertur, scilicet pro universali Ecclesia, et 'pro his qui in sublimitate sunt constituti' [1 Tim. 2], et specialiter quosdam qui offerunt, vel pro quibus offertur. Secundo commemorat sanctos, quorum patrocinia implorat pro praedictis, cum dicit: *Communicantes et memoriam venerantes*, etc. Tertio petitionem concludit, cum dicit: *Ut haec oblatio sit illis pro quibus offerretur salutaris*. *Deinde* accedit ad ipsam *consecrationem*, in qua primo petit consecrationis effectum, cum dicit: *Quam oblationem tu, Deus*, etc. Secundo consecrationem peragit per verba Salvatoris, cum dicit: *Qui pridie*, etc. Tertio excusat praesumptionem per obedientiam ad mandatum Christi, cum dicit: *Unde et memores* etc. Quarto petit hoc sacrificium peractum esse Deo acceptum, cum dicit: *Supra quae propitio*, etc. Quinto petit hujus sacrificii et sacramenti effectum, primo quidem quantum ad ipsos sumentes, cum dicit: *Supplices te rogamus*; secundo quantum ad mortuos, qui jam sumere non possunt, cum dicit: *Memento etiam, Domine*, etc.; tertio specialiter quantum ad ipsos sacerdotes offerentes, cum dicit: *Nobis quoque peccatoribus*, etc.

"*Deinde agitur de perceptione sacramenti*, et *primo* praeparatur populus ad percipiendum, primo quidem per orationem communem totius populi, quae est *oratio dominica*, in qua petimus panem quotidianum nobis dari, et etiam privatam, quam specialiter sacerdos pro populo offert, cum dicit: *Libera nos, quaesumus, Domine*, etc. *Secundo* praeparatur populus per pacem, quae datur dicendo: *Agnus Dei*, est enim hoc sacramentum unitatis et pacis. . . In missis tamen defunctorum, in quibus sacrificium offertur non pro pace praesenti, sed pro requie mortuorum, pax intermittitur. *Deinde* sequitur *perceptio sacramenti*, primo percipiente sacerdote, et postmodum aliis dante, quia, ut Dionysius dicit [De eccles. hier. 3], 'ille qui aliis divina tradit, primo debet ipse particeps esse.'

"*Ultimo autem tota MISSAE CELEBRATIO IN GRATIARUM ACTIONE TERMINATUR*, populo exultante pro sumptione mysterii (quod significat *cantus post communionem*), et sacerdote per *orationem* gratias offerente, sicut et Christus celebrata coena cum discipulis, hymnum dixit, ut dicitur Matth. xxvi."

OBJECTIONES NON PAUCAE HIC AFFERUNTUR A PROTESTANTIBUS, qui nihil intentatum reliquerunt ut ostenderent

missam romanam esse incongruentem, ridiculam et abrogandam abominationem (cf. supra, p. 831 sqq.).⁷³

Sufficiat considerare objectiones quas affert ac resolvit S. *Thomas* (a. 4).

1. In narratione evangelica non refertur Christum oculos in coelum levasse, nec dixisse: “Accipite et manducate ex hoc omnes” sed tantum “Accipite et comedite”.

2. In aliis sacramentis non fit oratio pro fidelibus defunctis nec instruitur populus; ergo inconvenienter haec fiunt in celebratione huius sacramenti.

3. Inconvenienter oratio pro defunctis fit post absolutum sacrificium per consecrationem.

4. Corpus Christi dum adest sacrificialiter in altari non cessat esse in coelo; ergo inconvenienter celebrans orat: “Jube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinae majestatis tuae”.

RESPONDETUR.

1. “Sicut dicitur Joan, ult., multa sunt a Domino facta vel dicta, quae Evangelistae non scripserunt; inter quae fuit hoc quod Dominus in coena oculos levavit in caelum; quod tamen Ecclesia ex traditione apostolorum habuit. Rationabile enim videtur ut qui in suscitatione Lazari, ut habetur Joan, xi, et in oratione quam pro discipulis fecit [Joan. 17], oculos levavit ad Patrem, in hujus sacramenti institutione multo magis hoc fecerit, tanquam in re potiori. Quod autem dicitur: *Manducate*, et non, *comedite*, non differt quantum ad sensum, nec multum refert quid dicatur, praesertim cum verba illa non sint de forma. . . Quod autem additur, *omnes*, intelligitur in verbis Evangelii, licet non exprimatur, quia ipse dixerat [Joan, vi, 54]: ‘Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis’ (et quia porrigendo calicem dixit: ‘Bibite ex hoc omnes’)” (ad 2; cf. supra, p. 150 et 560 sq.).

2. Eucharistia est proprium sacramentum ecclesiae unitatis, et ideo convenienter in hoc sacramento, potiusquam in aliis, fit mentio omnium qui ad hanc unitatem pertinent, scilicet vivorum, defunctorum et beatorum. Ceterum defuncti in Purgatorio nequeunt esse participes effectus aliorum sacramentorum ex opere operato, dum possunt percipere fructum sacrificii; ergo convenienter per orationem hic fructus eis imploratur. Instructio fidei in duplici sacramento convenienter fit, scilicet in Baptismo, qui est “Sacramentum Fidei”, ad catechumenos

⁷³ Praecipuas Novatorum objectiones particulariter exponit et apte refellit *Muratori* in sua Dissertatione de rebus liturgicis, c. 20-24 (M.L. 74, 1013 sqq.).

instruendos in fide, et in Eucharistia, quae est “Mysterium Fidei”, ad fideles confirmandos in fide (ad 3 et 4).

3. De indole orationis seu commemorationis pro defunctis dictum est in art. 46 (p. 947 sq.).

4. “Sacerdos non petit neque quod species sacramentales deferantur in caelum, neque corpus Christi verum, quod ibi esse non desinit; sed petit hoc pro corpore mystico, quod scilicet in hoc sacramento significatur, ut scilicet orationes sacerdotis et populi angelus assistens divinis mysteriis Deo repraesentet, secundum illud Apoc. viii, 4: ‘Ascendit fumus incensorum de oblationibus sanctorum de manu angeli’. Sublime autem altare Dei dicitur vel ipsa Ecclesia triumphans, in quam transferri petimus, vel ipse Deus, cujus participationem petimus. . . Vel per angelum intelligitur ipse Christus, qui est magni consilii angelus, qui corpus suum mysticum Deo Patri conjungit et Ecclesiae triumphanti; et propter hoc etiam missa nominatur, quia per angelum sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotem; vel quia Christus est hostia nobis missa a Deo; unde et in fine missae diaconus in festivis diebus populum licentiat, dicens: *Ite missa est*, scilicet hostia ad Deum per angelum, ut scilicet sit Deo accepta” (ad 9).

CONVENIENTIA ETIAM ACTIONUM MISSAE facile detegitur, attento supradicto principio significationis mysterii et reverentiae sacramenti (a. 5).

Variae gesticulationes, uti brachiorum extensio, junctio manuum, complicatio digitorum, inclinatio capitis et corporis, non sunt quid ridiculum et hystrionicum, ut incusant Protestantes, sed maxime conveniunt, praecipue ad significationem huius mysterii.

“Quod enim sacerdos brachia extendit post consecrationem, significat extensionem brachiorum Christi in cruce. Levat etiam manus orando, ad designandum quod oratio ejus dirigitur pro populo ad Deum, secundum illud Thren. iii, 41: ‘Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in coelos’; et Exodi xvii, 11 dicitur quod ‘cum levaret Moyses manus, vincebat Israel’. Quod autem manus interdum jungit, et se inclinatur, est suppliciter et humiliter orantis, et designat humilitatem et obedientiam Christi, ex qua passus est. Digitorum autem junctio post consecrationem, scilicet pollicem cum indice, quibus corpus Christi consecratum tetigerat, ut si qua particula digitis adhaeserit, non dispergatur; quod pertinet ad reverentiam sacramenti” (ad 5).

Conjessio seu Confiteor ad pedem altaris significat emundationem spiritualem quae requiritur ad hoc sacrificium celebrandum (ad 1).

Nec inconvenienter veniam suorum peccatorum petit celebrans, quamvis censeatur ad sacrificium mundus accedere suamque puritatem jam consecutus esse ex praecedenti sacramento Poenitentiae; nam, ob constantem humanae naturae fragilitatem, facile et ipse cum veniali animi immunditia ad celebrandum accedit, ad quam tollendam convenienter ad limen sacrificii recitat Confessionem et utitur hoc sacramentali Ecclesiae, quemadmodum et ipsi fideles ante communionem. Ad rem faciunt verba *Augustini*, Enarr. in Psal. 99, 16 et *Innocenta III*, De sacro altaris mysterio, 2, 13.

Conversio et salutatio celebrantis ad populum mysticam habet significationem.

Nam "*quinq̄ies* se sacerdos vertit ad populum, ad significandum quod Dominus die resurrectionis quinq̄ies se manifestavit, ut supra dictum est in tractatu de resurrectione Christi (quaest. Iv, art. 3, arg. 3). Salutatur autem *septies* populum, scilicet quinque vicibus, quibus se convertit ad populum, et bis, quando se non convertit, scilicet cum ante Praefationem dicit: 'Dominus vobiscum', et cum dicit: 'Pax Domini sit semper vobiscum', ad designandam septiformem gratiam Spiritus sancti. Episcopus autem celebrans in festis in prima salutatione dicit: 'Pax vobis', quod post resurrectionem discipulis dixit Dominus, cujus personam repraesentat praecipue episcopus" (ad 6).

Admixtio aquae vino consecrando insignem et antiquissimam habet significationem, de qua dictum est in art. 7 (p. 115 sq.; cf. p. 111-114, ubi de Patribus).

"*Ablutio manuum* fit in celebratione missae propter reverentiam hujus sacramenti, et hoc dupliciter: *primo* quidem quia aliqua pretiosa tractare non consuevimus nisi manibus ablutis; unde indecens videtur quod ad tantum sacramentum aliquis accedat manibus etiam corporaliter inquinatis. *Secundo* propter significationem, quia, ut Dionysius dicit [De eccles. hier. 3], extremitatum ablutio significat emundationem etiam a minimis peccatis, secundum illud Joan, xiii, 10: 'Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet'. Et talis emundatio requiritur ab eo qui accedit ad hoc sacramentum; quod etiam significatur per confessionem, quae fit ante introitum missae.

"Et hoc idem significabat ablutio sacerdotum *in veteri lege*, ut Dionysius dicit [l. c.]. Nec tamen Ecclesia hoc servat tanquam caeremoniale veteris legis praeceptum, sed quasi ab Ecclesia institutum, sicut quiddam secundum se conveniens, et ideo non eodem modo observatur sicut tunc: praetermittitur enim pedum ablutio, et servatur ablutio manuum, quae potest fieri magis in promptu, et quae sufficit

ad significandam perfectam mundationem: cum enim manus sit *organum organorum*, ut dicitur [De anima, lib. iii, text. 38], omnia opera attribuuntur manibus; unde Psalmo xxv, 6 dicitur: 'Lavabo inter innocentes manus meas' " (ad 1).

Crucesignationi super materiam sacrificii (quae est unica in Offeritorio, triplex ad "Te igitur", quintuplex ad "Quam oblationem", duplex ad consecrationem, quintuplex ad "Unde et memores", duplex ad "Supplices", triplex ad "Per quem", quintuplex ad "Per ipsum", triplex ad "Pax Domini") varii varias assignant significationes, ad passionem Christi relatas, quibus diffuse explicatis, S. *Thomas* concludit: "Potest . . . brevius dici quod consecratio hujus sacramenti, et acceptatio hujus sacrificii, et fructus ipsius procedit ex virtute crucis Christi, et ideo ubicumque fit mentio de aliquo horum sacerdos crucesignatione utitur" (ad 3).

Nec ceterum inconveniens est *crucesignatio stiper ipsum sacramentum* post consecrationem; nam sacerdos non intendit benedicere Christum praesentem, quod esset ridiculum et praesumptuosum, cum maior non benedicatur a minori (cf. Hebr. 7, 7), nec intendit quasi sanctificare et consecrare ipsum sacramentum, quod est jam sanctificatum et consecratum, sed solum commemorat virtutem crucis et passionem Christi (ad 4).

Fractionis panis significatio explicata est in art. 46 (p. 950-953).

Addit S. *Thomas*: "Sicut Sergius papa dicit [cf. De consecr., dist. 2, cap. 22], 'triforme est corpus Domini: pars oblata in calicem missa corpus Christi, quod jam resurrexit, monstrat,' scilicet ipsum Christum, et B. Virginem, vel si qui alii sancti cum corporibus jam sunt in gloria; 'pars comesta ambulantes adhuc super terram,' quia scilicet viventes in terra sacramento utuntur, et passionibus conteruntur, sicut et panis comestus conteritur dentibus; 'pars in altari usque ad finem missae remanens est corpus jacens in sepulcro, quia usque in finem saeculi corpora sanctorum in sepulcris erunt'; quorum tamen animae sunt vel in purgatorio, vel in caelo. Hic tamen ritus non servatur modo, ut scilicet una pars servetur usque in finem missae, propter periculum; manet tamen eadem significatio partium, quam quidam metricè expresserunt dicentes: 'Hostia dividitur in partes, tincta beatos plene, sicca notat vivos, servata sepultos'. Quidam tamen dicunt quod pars in calicem missa significat eos qui vivunt in hoc mundo; pars autem extra calicem servata significat plene beatos, scilicet quantum ad animam et corpus; pars autem comesta significat caeteros" (ad 8).

Admixtio particulae fractae cum vino “respicit corpus mysticum, sicut admixtio aquae significat populum” (a. 6, ad 6).

Haec corporis mystici significatio dupliciter attendi potest; nam “per calicem duo possunt significari: uno modo ipsa passio Christi, quae repraesentatur in hoc sacramento, et secundum hoc per partem in calicem missam significantur illi qui adhuc sunt participes passionum Christi; alio modo potest significari fruitio beata, quae etiam in hoc sacramento praefiguratur: et ideo illi quorum corpora jam sunt in plena beatitudine, significantur per partem in calicem missam” (hic, ad 9).

Ablutio calicis et digitorum in vino inde conveniens ostenditur quod “vinum ratione suae humiditatis est ablutivum, et ideo sumitur post susceptionem hujus sacramenti ad abluendum os, ne aliquae reliquiae remaneant, quod pertinet ad reverentiam sacramenti. . . Et eadem ratione [sacerdos] perfundit vino digitos, quibus corpus Christi tetigerat” (ad 10).

Pluralis allocutio celebrantis ad assistentes (Et vos, fratres — Misereatur vestri — Dominus vobiscum — Orate fratres — Sit semper vobiscum — Ite Missa est) conveniens est etiam in missa privata, cui assistat unicus fidelis, ut inserviens seu minister; nam hic “gerit personam totius populi Christiani, ex cuius persona sacerdoti pluraliter respondet” (ad 12).

Thurificatio in missa solemni “pertinet ad duo: primo quidem ad reverentiam hujus sacramenti, ut scilicet per bonum odorem depellatur, si quid corporaliter pravi odoris in loco fuerit, quod posset provocare horrorem; secundo pertinet ad repraesentandum effectum gratiae, qua, sicut bono odore, Christus plenus fuit, secundum illud Genes, xxvii, 27: ‘Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni’; et a Christo derivatur ad fideles officio ministrorum, secundum illud II. Cor. ii, 14: Odorem notitiae suae spargit per nos in omni loco’; et ideo, undique thurificato altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem” (ad 2).

Osculum pacis, seu juxta Missale Romanum *Datio Pacis*, est convenientissima expressio illius Christianae charitatis et ecclesiasticae unitatis, cuius hoc ipsum sacramentum est praestantissimum signum.

Ad rem *Cyrillus Hier.*, Catech. 23, 3: “Deinde clamat diaconus: ‘Vos invicem suscipite osculemurque mutuo.’ Ne osculum illud arbitrere eiusdem ordinis ac moris esse, qualia illa sunt, quae inter communes amicos in foro frequentantur. Non est huiusmodi osculum istud.

Animas enim mutuo conciliat et miscet atque omnem illis iniuriarum oblivionem spondet. Signum igitur est osculum hoc, animas sibi invicem admisceri et omnem iniuriarum memoriam ablegare. Propterea Christus aiebat: 'Si offeras munus tuum ad altare et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ad altare et vade prius ac reconciliaris fratri tuo, et tunc accedens offer munus tuum'. Igitur osculum reconciliatio est et propterea sanctum, sicut alicubi beatus Paulus clamabat dicens: 'Salutate invicem in osculo sancto', et Petrus: 'in osculo caritatis' " (Kirch, Enchir. hist, eccles. 530).

Ex hucusque disputatis circa mirabile hoc sacramentum, manifeste apparet ipsum esse *CENTRUM ET FINEM OMNIUM SACRAMENTORUM*, spectato triplici elemento sacramentali, i.e. sacramento tantum, re et sacramento, re tantum.

Susceptio enim ipsius *exterioris sacramenti*, cibatio nempe sacrarum specierum panis et vini, manifestat non tantum simplicem hominis aggregationem ad ecclesiasticam societatem, puta in ratione civis vel militis, quemadmodum in Baptismo et Confirmatione, sed intimam unionem ac veluti intussusceptionem in corpus mysticum, per modum cellulae viventis vita Christi. *Res vero et sacramentum* non est tantum quaedam participatio virtutis vel potestatis Christi, sed ipse Christus, cum tota sua virtute et potestate residens in sacramento et descendens in hominem. *Res tantum* non est quomodolibet gratia Christi, sed ipsa "mystica caro Christi",⁷⁴ per quam "anima de Deo saginatur"⁷⁵ et ad veram *Divinitatis Communionem* attrahitur.

Ceterum non in sola ratione *sacramenti* absolvitur excellentia hujus "Mysterii Fidei" *κατ'ἰξοχην*, nam ex geminato alio prodigio quod in eo involvitur, ipsa nempe *praesentia reali* et *ratione sacrificii* novi aeternique testamenti, ostenditur ipsum esse *COMPENDIUM TOTIUS RELIGIONIS ET CONSUMMATIONEM OPERIS HUMANAЕ REDEMPTIONIS*.

Finis enim *religionis* est commercium cum Divinitate, "neque . . . [autem] est, aut fuit aliquando tam grandis natio quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster".⁷⁰ Essentia vero religionis est reverentia divini domini, praecipue per sacrificium, nec major ad Divinitatem dirigi potest honor aut reverentia quam ea quae

⁷⁰ *Petrus Lombardus*, Sent., l. 4, dist. 8; cf. supra, p. 680-682.

⁷¹ *Tertullianus*, De resurr. 8, C.V. 47, 36.

⁷² *Thomas*, Officium in Festo Corporis Christi, lect. 4.

ascendit ex altari illius humanitatis in qua ipse Deus fit sacerdos et victima.

Opus humanae redemptionis incoepit in ipso paradiso voluptatis, quando Deus post esum ligni vetiti, qui mortem generavit, promisit homini salutem in Semine Venturo, ex quo Arbor Crucis fructificaret in Eucharisticum Panem Vitae, juxta illud Joan. 6, 51 sq.: “*Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*”

Hinc perpende, o anima Christiana, *monitum Augustini*: “Vis ergo et tu vivere de Spiritu Christi? In corpore esto Christi. . . Inde est quod exponens nobis apostolus Paulus hunc panem, ‘Unus panis, inquit, unum corpus multi sumus’ (I Cor. x, 17). *O Sacramentum pietatis! o signum unitatis! o vinculum charitatis!* Qui vult vivere, habet unde vivat. Accedat, credat; incorporetur, ut vivificetur. Non abhorreat a compage membrorum, non sit putre membrum quod resecari mereatur, non sit distortum de quo erubescatur: sit pulchrum, sit aptum, sit sanum; *haereat corpori, vivat de Deo: nunc laboret in terra, ut postea regnet in coelo.*”⁷⁷

⁷⁷ In Joan., tract. 26, 13, M.L. 35, 1613.

INDEX BIBLICUS*

(Numeris paginarum ordinariis indicatur simplex mentio, italicis vero explicita citatio, crassioribus tandem aliquid notabilius)

GENESIS		6, 15	867
4, 3-5	794. 795	6, 17-23	822
4, 4	846. 849. 868. 1063	7, 1-7	822
7	802	7, 9	868
8, 20	794. 795. 846. 849	7, 11	822
12, 8	846. 849	7, 20	902
14	856. 857	8, 14	868
14,11. 12. 16.23.24	857	14, 17	874
14, 18	795. 845. 854. 908	17	804. 821
14, 18-19	855-858	17, 11	874
15, 14	863	22, 17-25	822
18, 17-18	1172	24, 5-9	795
22	846	24, 7	796. 867
22, 2 sqq.	849	24, 8-9	795
22, 5	869	24, 9	796
22, 13	821		
28, 12	827		
EXODUS		NUMERI	
12, 1 sqq.	845	9, 12	951
12, 3-4	849	15, 1-6	822
12, 27	850	15, 4	868
12, 46	951. 966	15, 18	804
17, 11	1214	18, 17	874
20, 25. 27	1173	28	856
23	1192		
24, 8	874. 875. 883	DEUTERONOMIUM	
29, 38	883	12, 27	874
32, 6	868	16, 1-2	849
40, 1 sqq.	1172	16, 2	850
LEVITICUS		JUDICES	
1, 1-17	822	3, 15	868
1, 9. 17	866	6, 12 sqq.	1186
1, 17	804	6, 18-19	855
2, 1-2	868	6, 19	868
2, 1. 15	867		
2, 8	868	RUTH	
3, 1. 6. 9	822	2, 4	1186
3, 11. 16	866		
4, 1-35	822	I REGUM	
4, 10. 35	866	2, 17	868
5, 1-13	822	10, 27	868
5, 14-26	822	15, 22	825
6, 1-6	822		
6, 7. 13	868	II REGUM	
6, 8 sqq.	794	8, 18	855
6, 10	822		

i In indicibus ordinandis amice collaboravit Dominus *H. J. Ziegler*, ex Typographia Bruce.

III REGUM

5,3 1122
8, 1 sqq. 11'2

IV REGUM

17, 4 868

I PARALIPOMENON

29, 17 1211

II PARALIPOMENON

26, 16 sqq. 821

I ESDRAE

6 1U8

PSALMI

4, 6 824
21 849
21, 1 1176
21, 23 sqq. **850**
21, 28 863
25 1193
33, 21 951
39, 7 907
45, 13 868
49, 1 862
49, 8-14 859
49, 14 789
49, 23 1210
50, 19 789. 824
71, 10-11 863
72, 28 825
76, 10 1144
109, 4 845.854.856. 857. 908
109, 4-5 854
112, 3 862
140, 2 789.824. 825. 865. 866
148, 8 866

PROVERBIA

9, 17 901
15, 8 859
27, 9 866
28, 9 1064

ECCLESIASTES

4, 17 1210

CANTICA CANTICORUM

3, 6 866

SAPIENTIA

3, 6 824. 825

ECCLESIASTICUS

18, 23 1210
35, 2 865
35, 4 824. 825. 865

ISAIAS

1, 11. 13. 16 825
1, 13-15 859
7, 14 863
9, 5 863
11, 9 863
19 849
19, 19-21 **850 sq.**
19, 24 851
45, 5 864
45, 6 862
49, 6 863
53 935
53, 7 811
53, 7. 10. 12 796
59, 19 862
60, 9 863
65, 11 889
66 849
66, 19 683
66, 19-21 **851 sq.**
66, 20 855
66, 21 864

JEREMIAS

3, 16 863

THRENI

3, 41 1214
4, 4 1177

BARUCH

2, 31 1119

EZECHIEL

41, 22 889
44, 16 889
45, 17 822
46, 12 822

DANIEL

2, 39-40 866
3 849
3, 39-40 852
12, 11 852

OSEE

6, 6 825
10, 6 868
14, 3 824

AMOS

5, 21 859
5, 25 868
9, 12 863

MICHAELAS

4, 2 863
7, II 863

HABACUC

1, 16 866. 867

SOPHONIAS

2, 11 851

AGGAEUS

2, 1 sqq. 1172

ZACHARIAS

2, 7 863

13 962

MALACHIAS

1, 1-5 859

1, 6 — 2, 9 859

1, 6-7 859

1, 7-8 868

1, 7. 12 889

1, 10 898

1, 10-11 859-869. 900. 1055

1, U 846. 859. 894. 1067

2, 10 — 4, 6 859

2, 13 868

3, 3 868

3, 3-4 864

I MACHABAEORUM

4, 36 sqq. 1172

12, 11 1118

II MACHABAEORUM

3, 32-34 1118

12, 39-46 1134

12, 43 1126

12, 43. 46 1126

MATTHAEUS

1, 23 1186

5, 23 794

5, 23-24 889. 894

6, 9 1200

6, 30 877

8, 4 794

13, 9 1119

20, 28 874

22, 41-46 855

23, 18-20. 35 889

23, 19 794

25, 46 1145

26 1212

26, 20 1166

26, 23-24 877

26, 25 877

26, 26 872. 899. 1199

26, 27 954. 956. 963

26, 28 872. 883. 1101

26, 29 962

26, 30 1179

27, 46 1176

MARCUS

10, 45 874

12, 35-37 855

12, 42-44 1063

14, 17 1166

14, 22 872

14, 24 872

LUCAS

11 889

1, 28 1186

2, 14 1185

5, 16 880

18 880

11, 51 889

20, 41-44 855

1063

22, 19 845. 847. 872. 873.

882. 919. 1198

22, 20 872. 876. 878

22, 21 ■877

23, 43 1135

24, 28 sqq. 1170

24, 29 1167

JOANNES

1, 29 877

3, 16 874

3. 36 1145

4 869

4 21-23 861. 869 sq.

23 894

6 869. 906

6 871

6, 51 1219

6, 51-52 870-872. 874. 1199

6, 52 1213

6, 54 1169

9, 4 874

10, 11 796

10, 11 sqq. 1213

12, 20 860

13, 10 1179. 1215

13, 11 877

13, 30 1166

14, 17 1179

15 906

17 1213

17 881

17, io 877

18, 2 1176

19. 20 951

•19, 33. 36 1101

20. 23 877

21, 20

ACTUS APOSTOLORUM

2, 34-35 855

2, 42 951

2, 42-47 1170

2, 46 1165. 1170

8, 27 869

17, 22-23	861. 864		
17, 25	894		
17, 28	1055		
20, 7	1165		
20, 7 sqq.	1189		
20, 7-8	1167		
20, 7. 11	1179		
20, 9	1170		
20, 28	874		
27, 33-35	1167		
27, 35	1170		
AD ROMANOS			
1, 12	869		
I, 21-25	864		
3, 25	874		
5, 6. 7. 8	874		
5, 9	874		
6, 4	805		
8, 32	874		
9, 4	875		
II, 3	889		
11, 27	875		
12, 1	824. 861		
14	1166		
14, 15	874		
15, 16	824. 825		
16, 16	1202		
I AD CORINTHIOS			
1, 13	874		
9, 13	889		
10	869		
10, 3	1173		
10, 14-21	883		
10, 14-22	887-889		
10, 16	888. 933. 965		
10, 16-21	869		
10, 17	1219		
10, 18	888. 889. 955. 958		
10, 18. 21	888		
10, 19	888		
10, 19-20	888		
10, 20	864. 888		
10, 20-21	885. 886		
10, 21	846. 887. 889		
11, 17 sqq.	1170. 1191. 1203		
11, 20	951		
11, 20-21	1174		
11, 23	1167		
11, 24	847. 872. 934		
11, 24 sqq.	845		
11, 24-25	882. 883. 1198		
11, 25	872		
11, 26	873. 919. 1198		
11, 28	1184		
11, 34	1179		
15, 3	874		
15, 25	855		
16, 10	1202		
II AD CORINTHIOS			
3, 6. 14	875		
5, 14. 15. 21	874		
13, 12	1202		
AD GALATAS			
I, 4	874		
2, 20	874		
3, 13	874		
3, 15	875		
3, 17	875		
4, 24. 26	875		
5, 6	1060. 1150		
AD EPHESIOS			
1, 7	874		
2, 12	875		
2, 13	874		
5	926		
5, 2	796		
AD PHILIPPENSES			
2, 17	824.825		
AD COLOSSENSES			
1, 13	845		
1, 14. 20	874		
2, 17	852		
I AD THESSALONICENSES			
5, 26	1202		
I AD TIMOTHEUM			
2, 1 sqq.	1119		
2, 1-6	1118		
2, 6	874		
II AD TIMOTHEUM			
4, 22	1186		
AD TITUM			
2, 14	874		
AD HEBRAEOS			
1, 13	855		
4, 16	846		
5, 1	857. 1045. 1058		
5, 1-3	1109		
5, 1-4	821		
5, 1-6	821		
5, 3	1077		
5, 4	852		
5, 6. 10	854		
5, 11	858. 883		
6, 1	794. 858. 883		
6, 20	854		
7	852. 857 sq. 1040		
7, 1	856		
7, 1 sqq.	854. 855		

7, 4-5	856	I PETRI	
7, 7	1216	1, 2. 19	874
7, H	845	2, 5	861
7, 12	852	2, 9	1039
7, 12 sqq.	822	5, 14	1202
7, 13	885. 889		
7, 24	845	II PETRI	
7, 27	1077	1, 19	1169
8, 3	851. 857		
8, 3-I	794	I JOANNES	
S, 8	883	1, 7	874
9, 9	704		
9, 14	883	APOCALYPSIS	
9, 15	883	1, 4	879
9, 15. 17	875	1, 5	879
9, 15. 18. 20	875	2, 20	879
9, 16	875	4, 1	879
9, 20	874. 883	4, 7-8	879
9, 22	874	5, 6	879
9, 28	846	5, 8	866
10	835	6, 9	889
10, 1-10	916	8, 3. 5	889
10, 10	883	8, 4	1214
10, 13	855	9, 13	879. 889
10, 14	845. 915	9, 14	879
10, 14. 18	916	11, 1	889
10, 16-18	883	11, 4	879
10, 29	883	13, 8	926
11, 4	794	13, 11-14	879
12, 24	883. 1058. 805	14, 12	879
13	869	14, 18	889
13, 9	885	14, 19	879
13, 10	858. 883-887. 889	16, 1. 2. 4. 8. 10	879
13, 12-13	884	16, 7	889
13, 13	884	17, 3	870
13, 15	824. 885	19, 1	870
13, 16	824. 825	21, 9	870
13, 20	883	21, 22	914
		»	
JACOBI			
2, 21	889		
5, 1	877		

INDEX EXEGETICUS

(Textus citantur juxta ordinem quo referuntur in hoc tractatu)

METAPHORICA ACCEPTIO SACRIFICII pro interiori animi dispositione (p. 789. 824. 825): Psal. 49, 14; 50, 19; 140, 2; Osce, 14, 3; Hebr. 13, 15; Eccli. 35, 4; Hebr. 13, 16; Psal. 4, 5; Sap. 3, 6; Rom. 12, 1; 15, 16; Phil. 2, 17; 1 Reg. 15, 22; Isai. 1, 11. 13. 16; Osce, 6, 6.

PRIMA SACRIFICIA COMMÉMORATA IN SCRIPTURA (p. 794. 846. 849): Gen. 4, 3-5; 8, 20; 12, 8; 22, 2 sqq.

In eis nulla habetur mentio convivii, sed solius oblationis (p. 794): Gen. 4, 3-5 (cf. Hebr. 11, 4); 8, 20.

In quibusdam ex ipsis sacrificiis Leviticis nullae relinquebantur epulae sacrificales (p. 794): Lev. 6, 8 sqq.

SACRIFICIUM CONSISTIT ESSENTIALITER non in convivio sed in *oblatione* (p. 794): Gen. 4, 3-5 (cf. Hebr. 11, 4); 8, 20; Lev. 6, 8 sqq.; Matth. 5, 23; 23, 19; 8, 4; Hebr. 6, 1; 8, 3-4; 9, 9; 11, 4.

Sacrificium consistit essentialiter etiam in *destructione* victimae; nec obstat Gen. 4, 3-5; 14, 18; Lev. 24, 5-9 (p. 795 sq. 802. 804. 810. 812).

MINISTRIS A DEO ELECTIS reservata est in omni lege oblatio sacrificii (p. 821): Gen. 22, 13; Lev. 17; 2 Paral. 26, 16 sqq.; Hebr. 5, 1-6.

QUADRIFARIA DISTINCTIO SACRIFICII est fundata in Scriptura (p. 822): sacrificium *latreuticum*, praecipue in holocausto, Lev. 1, 1-17; 6, 1-6; 22, 17-25; *eucharisticum*, Lev. 7, 11; *inipetratorium*, seu hostia pacifica, Lev. 3, 1. 6. 9; Num. 15, 1-6; Ezech. 45, 17; 46, 12; *expiatorium*, seu hostia pro peccato, Lev. 4, 1-35; 5, 1-13; 6, 17-23; 5, 14-26; 6, 10; 7, 1-7.

EUCCHARISTIA EST VERUM SACRIFICIUM (p. 845 sq. 849-889).

PRAEDICTIO VEL FIGURATIO IN A.T. (p. 845 sq. 849-869), scilicet:

In antiquis sacrificiis (p. 846. 849 sq.): Gen. 4, 4; 8, 20; 12, 8; 22, 2 sqq.: Exod. 12, 27.

In Psal. 21, 23 sqq. (p. 850).

In Isaia 19, 19-21 (p. 850 sq.).

In Isaia 66, 19-21 (p. 851 sq.).

In Daniele, 3, 39 sq.; 12, 11 (p. 852).

In oblatione MELCHISEDECH (p. 845. 852-858): Psal. 109, 4 (coli, cum Hebr. 5, 6. 10; 6, 20; 7, 1 sqq.; Matth. 22, 41-46; Mare. 12, 35-37; Luc. 20, 41-44; Act. 2, 34 sq.; 1 Cor. 15, 25; Hebr. 1, 13; 10, 13); Gen. 14, 18 sq. (coli, cum Hebr. 7, 1 sqq.; 2 Reg. 8, 18; Jud. 6, 18 sq.; Isai. 66, 20; Hebr. 7, 4 sq.). Nec obstat quod in Hebr. 7 nulla fiat mentio de ipso sacrificio Melchisedech.

In prophetia MALACHIAE 1, 10 sq. (p. 845 sq.; 859-869), in qua:

Agitur de *repudiatione antiqui cultus* (p. 859): Malach. 1, 10 sq., coli, cum aliis locis propheticis, i.e. Malach. 1, 6-2, 9; Psal. 49, 8, 14; Isai. 1, 13-15; Amos, 5, 21; Prov. 15, 8.

Agitur de *universalitate cultus veri Dei* in regno messianico (p. 862 sq.): Malach. 1, 10 sq., coli, cum aliis prophetiis, i.e. Psal. 49, 1; 112, 3; Isai. 45, 6; 59, 19; Psal. 21, 28; 71, 10 sq.; Isai. 11, 9; 49, 6; 66, 19; Amos, 9, 12; Mich. 4, 2; Jerem. 3, 16; Mich. 7, 11. Inaniter autem acatholici dicunt in Malachia agi de universalitate cultus veri Dei, contenti in ipsa paganorum religione (p. 863 sq.): Isai. 45, 5; 1 Cor. 10, 20; Rom. 1, 21-25; Act. 17, 22 sq.

Agitur de *sacrificio proprie dicto*, non vero de mero sacrificio laudis (p. 865-896), ut patet tum ex contextu, 3, 3 sq., tum ex vocibus proprie sacrificialibus, adhibitis in ipso textu, scilicet Muktar, Muggash et Minchah.

Muktar (suffitur) in Scriptura semper accipitur in proprio sensu sacrificio, Lev. 1, 9. 17; 3, 11. 16; 4, 10. 35; 2, 1. 15; 6, 15; 24, 7 (immo et Habacuc, 1, 16), si forte expiantur Psal. 148, 8; Prov. 27, 9; Cant. 3, 6. Nec obstat metaphorica acceptio in Psal. 140, 2 et Apoc. 5, 8.

Muggash (offertur) in sensu sacro adhibetur pro sacrificio proprie dicto, Malach. 1, 7-8; 2, 13; 3, 3; Exod. 32, 6; Lev. 2, 8; 8, 14; Jud. 6, 19; Amos, 5, 25.

Minchah (oblatio), quae in sensu profano accipitur pro dono (Jud. 3, 15; 1 Reg. 10, 27; 4 Reg. 17, 4; Psal. 45, 13; Osee, 10, 6), in sensu sacro significat proprium sac-

rificium, imo incruentum, Lev. 21, 1 sq.; 6, 7. 13; 7, 9; Num. 15, 4, si excipiat 1 Reg. 2, 17 et Gen. 4, 4, ubi designat cruentum sacrificium.

Inaniter autem acatholici allegant parallelismum Joan. 4, 21-23 et Rom. 1, 12 ad probandum etiam in Malachia agi de sacrificio improprie dicto (p. 869).

PROMISSIO SACRIFICII EUCHARISTICI (p. 869-872) in *Joan. 4, 21-23* (Verba Christi ad Samaritanam) et *Joan. 6, 52* (Sermo de pane vitae).

INSTITUTIO SACRIFICII EUCHARISTICI (p. 872-883): Matth. 26, 26; Mare. 14, 22; Luc. 22, 19; 1 Cor. 11, 24; Matth. 26, 28; Mare. 14, 24; Luc. 22, 20; 1 Cor. 11, 25; Luc. 22, 16. 18; Joan. 17, 19.

